MAYNOOTH LIBRARY
00015822

WITHDRAWN


Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/bwb_KU-170-359

DE DEO UNO ET TRINO

Typis « Presses Gruuthuuse » Brugis.

231.044 TD-GOD
29.

TRACTATUS

DE

DEO UNO ET TRINO

AUCTORE

JOSEPH VAN DER MEERSCH

PHIL. AC S. THEOLOG. DOCTORE,
OLIM IN MAJORI SEMINARIO BRUGENSI THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSORE,
ECCL. CATH. BRUG. CANONICO POENITENTIARIO.

Editio altera, aucta atque emendata

BRUGIS (BELGII)
CAR. BEYAERT, EDITOR PONTIFICIUS.

MCMXXVIII.

APPROBATIO PRIORIS EDITIONIS.

Opus quod inscribitur *Tractatus de Deo uno et trino,* auctore Joseph Van der Meersch, Ph. ac S. Theolog. D., ingenti labore ac solertia conscriptum libenter approbamus, utpote quod doctrinam sanam, egregiis ducibus praeviis, praeprimis doctore Angelico, accurate exponit. Faxit Deus ut, ex Auctoris voto, in eo opere inveniant lectores fundamentum atque incitamentum ulteriorum meditationum theologicarum, necnon agendae vitae interioris et prosequendae unionis contemplativae cum Deo O. M. Uno ac Trino.

Brugis, in festo S. Joseph, 1917.

† G. J. Episc. Brugen.

Denuo imprimatur.

Brugis, in festo S. Stephani Protomartyris, 1927.

† G. J. Episc. Brugen.

PRAEFATIO PRIORIS EDITIONIS.

In usum praesertim alumnorum nostrorum, theologicum tractatum de Deo uno et trino *confecimus, conati accurate exponere ea quae necessaria videbantur ad duplex munus secundum quod theologia dividitur in speculativam seu scholasticam et positivam.*

Utile visum est praemittere tractatui stricte dicto prologum de theologia universim spectata, *necnon satis fuse exponere ea quae spectant* demonstrationem existentiae Dei: *haec enim quaestio, nostris praesertim diebus, saepe agitatur, circa illam multa moventur dubia, sententiae diversae propugnantur et periculum est magnum si falsa in hac re pro veris admittantur.*

Licet objectum proprium praesentis tractatus, nempe Deus in semetipso *consideratus, tam sublime sit et infinite superet nostram intelligendi virtutem, tamen, ope divinae Revelationis et scientiae naturalis, multa, imo et multum, de nostro Deo cognoscere valemus. Nonnisi* analogica *quidem est illa nostra cognitio, sed nihilominus vera, et, in suo ordine, dignissima ut de ea magis ac magis inquiramus. Quod aiebat sanctus Leo M. (1) de mysterio Incarnationis, hoc valet de Deo ipso; adeoque doctoris illius verba usurpantes dicere possumus: cum divinae perfectionis et SS. Trinitatis mysterii altitudinem explicare non valemus, sentiamus nobis bonum esse, quod vincimur. Nemo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus divinis, etiam si multum proficiat, semper sibi superesse quod quaerat.*

Quapropter sacra de Deo doctrina est aptissima ut ea nutriamur ac vivamus, ut secundum eam nos exerceamus ad illam erga Deum pietatem, quae et praesenti vitae et futurae habet repromissa bona (2).

Forsitan nimis magna videbitur moles nostri libri: sed praeterquamquod exponenda materia est amplissima, multa, quae ad ipsam doctrinam de Deo minus necessaria scitu dijudicavimus, minoribus typis excusa, intexuimus: ut alumni ibi objectum inveniant et incitamentum ad ulterius studium; ibi etiam frequenter textus Patrum citavimus, quos ut legant alumni et addiscant illorum sermonis interpretationem sapiantque ejusdem pulchritudinem.

JOS. VAN DER MEERSCH.

Brugis, in die octava Epiphaniae Domini, anno 1917.

---

(1) *Sermo IX in Nativitate Domini*, P. L., t. LIV, col. 226.
(2) Cf. *I Tim.*, IV, 6-8.

PRAEFATIO ALTERIUS EDITIONIS.

Quum jam a duobus annis exhausta fuerit prima hujus nostri tractatus editio, quumque ut typis iterum emittatur utile visum fuerit, conati sumus illum in quibusdam partibus emendare atque augere.

Praecipua mutata atque, ut spero, meliora facta invenire est n. 6^{bis} ubi egimus de distinctione theologiam inter et apologeticam (1); n. 16^{bis}: de notione dogmatis; n. 83^{bis}: de valore cognoscitivo intellectus nostri etiam in statu naturae lapsae; n. 87^{bis}: de ineptitudine argumenti, quod vocatur *deontologicum,* ad demonstrandam existentiam Dei, de notione *obligationis, imperfectionis moralis* ac *peccati venialis;* n. 111: de possibilitate bonae fidei in illo qui dubitat de existentia Dei; n. 282-283: de cognitione mystica; 301^{bis}-302: de ratione formali *supernaturalitatis* et de supernaturalitate intuitivae visionis Dei (2); n 449^{bis}: de modo quo Deus velit *tentationes;* n. 731^{bis} et 777^{bis}: de notione *processionis* Filii et Spiritus Sancti; n, 768: de notione *subsistentiae* in Deo.

Utinam qualecumque opus nostrum clericos manuducere possit ad Deum attingendum, quem cognoscere et consequenter diligere est ultimus hominis finis.

AUCTOR.

Scribebam Brugis die festi S. Thomae Apostoli, 1927.

---

(1) Quae n. 6^{bis} exponimus, typis jam impressa erant quum Ex. D. Lamiroy in *Collat. Brug.*, 1927, p. 50 ss. scripsit dissertationem *de methodo demonstrandi Ecclesiam,* in qua scite confirmatur quae propugnamus de distinctione adaequata inter theologiam et apologeticam; praelaudato auctori etiam consentimus dicenti quod illa scientia, quae saepius vocatur *apologetica,* rite, imo melius, diceretur: *scientia propedeutica ad theologiam.*

(2) Ibi refutamus opiniones recenter propugnatas a R. P. de Broglie et a R. P. Maréchal.

Index rerum analyticus.

PROLOGUS DE THEOLOGIA.

CAPUT I.

De essentia theologiae.

Art. 1s. De ratione theologiae. 1
Art. 2s. De divisione theologiae. 6

CAPUT II.

De principiis theologiae. 9

CAPUT III.

De theologiae praestantia. 15

CAPUT IV.

De animo quo theologiae sit vacandum. 16

Liber Primus.

DE DEO UNO SECUNDUM ESSENTIAM.

Prooemium 21

PARS PRIMA.

DE IIS QUAE PERTINENT AD SUBSTANTIAM DEI.

Sectio Prima.

De existentia Dei.

CAPUT I.

Status Quaestionis.

Art. 1s. De cognoscibilitate existentiae Dei. 22
Art. 2s. De demonstrabilitate existentiae Dei 23

CAPUT II.

Doctrina Ecclesiae catholicae circa cognoscibilitatem existentiae Dei. 40

CAPUT III.

Demonstratio existentiae Dei ex naturali rationis humanae lumine.

Praenotandum 48
Art. 1ˢ. De necessitate logica praedictae demonstrationis. 49
Art. 2ˢ. Exponuntur argumenta demonstrantia Deum existere. . . . 50
Art. 3ˢ. De atheismo 84

Sectio Secunda.

De essentia Dei.

Praenotandum 93

CAPUT I.

De notione et de distinctione essentiae et attributorum Dei.

Art. 1ˢ. De notione essentiae et attributorum Dei. 96
Art. 2ˢ. De distinctione attributorum divinorum ab essentia divina. . 101

CAPUT II.

De essentia metaphysica Dei. 113

CAPUT III.

De singulis perfectionibus quae essentiae divinae conveniunt.

Art. 1ˢ. De simplicitate Dei 127
Art. 2ˢ. De perfectione et infinitate Dei.
§ I. De perfectione 138
§ II. De infinitate 145
Art. 3ˢ. De ubiquitate et immensitate Dei.
§ I. De ubiquitate 153
§ II. De immensitate 159
Art. 4ˢ. De immutabilitate Dei 163
Art. 5ˢ. De aeternitate Dei 169
Art. 6ˢ. De unicitate Dei 175
Art. 7ˢ. De veritate, bonitate, pulchritudine Dei.
§ I. De veritate 183
§ II. De bonitate 186
§ III. De pulchritudine 189

CAPUT IV.

De modo quo Deus a nobis cognoscitur ac nominatur.

Art. 1ˢ. De modo quo Deus a nobis cognoscitur 193
§ I. De analogica cognitione Dei 196
§ II. De intuitiva cognitione Dei 203
§ III. De incomprehensibilitate Dei 218
Art. 2ˢ. De modo quo Deus nominatur a nobis.
§ I. De nominibus quae de Deo dicuntur 221
§ II. De propositionibus quae de Deo formantur. 224
§ III. De ineffabilitate Dei 226
Scholion practicum 227

PARS SECUNDA.

DE IIS QUAE PERTINENT AD OPERATIONEM DEI.

CAPUT I.

De vita Dei. 230

CAPUT II.

De cognitione Dei.

Art. 1ˢ. De cognitione divina in se spectata 234
Art. 2ˢ. De objecto et de divisione cognitionis divinae.
§ I. De objecto cognitionis divinae 240
§ II. De divisione scientiae divinae 252
Art. 3ˢ. De modo et de medio quo Deus cognoscit res.
§ I. De modo cognitionis divinae 255
§ II. De medio objectivo in quo Deus cognoscit alia a se. . . . 261

CAPUT III.

De volitione Dei.

Art. 1ˢ. De volitione divina in se spectata 279
Art. 2ˢ. De objecto et de divisione volitionis divinae.
§ I. De objecto volitionis divinae 284
§ II. De divisione volitionis divinae 290
Art. 3ˢ. De modo et de efficacia volitionis divinae 296
Art. 4ˢ. De sanctitate Dei 307

CAPUT IV.

De providentia Dei.

Art. 1ˢ. De providentia secundum se spectata 318
Scholion 1ᵐ. De salvifica Dei voluntate 326
Scholion 2ᵐ. De existentia mali et divina providentia 333
Scholion 3ᵐ. De providentia circa inaequalem conditionem hominum. 337
Art. 2ˢ. De praedestinatione 340
§ I. Doctrina catholica 341
§ II. Ulterior dogmatis explicatio et controversia inter theologos. 352
Art. 3ˢ. De reprobatione 370
§ I. Doctrina catholica 371
§ II. Ulterior explicatio 371

CAPUT V.

De potentia Dei. 375

CAPUT VI.

De beatitudine Dei. 382

Scholion practicum 384

Liber Secundus.

DE DEO TRINO SECUNDUM PERSONAS.

Prooemium 389

Sectio Prima.

Ipsum dogma SS. Trinitatis revelatum ostenditur.

CAPUT I.

SS. Trinitatis existentia ex S. Scriptura.

Art. 1ˢ. Testimonia N. T. de tribus Personis singillatim sumptis.
§ I. Doctrina Christi 392
§ II. Doctrina scriptorum inspiratorum 396
Art. 2ˢ. Testimonia N. T. de tribus Personis simul consideratis.
§ I. Doctrina Christi 399
§ II. Doctrina scriptorum inspiratorum 400

CAPUT II.

SS. Trinitatis existentia cognita ex traditione catholica.

Art. 1ˢ. Catholica Traditio ante concilium Nicaenum.
§ I. Praxis et cultus Ecclesiae 403
§ II. Testimonia Patrum 405
Art. 2ˢ. Concilium Nicaenum et documenta posteriora 410
Art. 3ˢ. Brevis synopsis haeresum vel errorum circa dogma SS. Trinitatis 413

Sectio Secunda.

Ulterior explicatio dogmatis SS. Trinitatis.

CAPUT I.

De processionibus divinis.

Notio processionis 419
Art. 1ˢ. De processione Filii a Patre 423
Art. 2ˢ. De processione Spiritus a Patre et Filio 429
Art. 3ˢ. Ulterior explicatio de divinis processionibus 438

CAPUT II.

De relationibus in Deo. 441

CAPUT III.

De personis divinis.

Notio personae 453
Art. 1ˢ. De divinis personis in communi 460
Art. 2ˢ. De divinis personis comparatis ad essentiam et ad relationes.
§ I. De objecto secundum quod procedunt Verbum et Spiritus. . 461
§ II. De operatione communi ad extra 466

§ III. De actibus notionalibus 467
§ IV. De notionibus et de proprietatibus 468
Art. 3ª. De divinis personis comparatis ad invicem.
§ I. De earumdem aequalitate 472
§ II. De circuminsessione 477
Art. 4ª. De personis divinis comparatis ad missiones earum ad creaturas 480

Sectio Tertia.

De modo quo se habet SS. Trinitas ad naturalem rationem et de modo loquendi de illo mysterio.

CAPUT I.

De SS. Trinitatis incognoscibilitate naturali rationi. . . 489

CAPUT II.

De modo loquendi de mysterio SS. Trinitatis.

Art. 1ª. De appropriatione 504
Art. 2ª. De usu et de suppositione nominum.
§ I. De usu nominum 508
§ II. De suppositione terminorum 512
Conclusio et compendium 516
Scholion practicum 518
Index rerum alphabeticus 521

Index Bibliographicus [1].

I. Opera.

Fontes citamus ex DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum.* 14ª edit., Friburgi Br., 1911 (2).

A. OPERA THEOLOGICA.

1° Opera generalia de theologia dogmatica.

BARTMANN, *Lehrbuch der Dogmatik,* 2e Auf., Freiburg i. Br., 1911.
BELLARMINUS, *De controversiis,* Pragae, 1721.
BONAVENTURA (S). *Opera omnia,* Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1882-1902.
CABROL, *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie,* Paris.
CASAJOANA, *Disquisitiones scholastico-dogmaticae,* Barcinone, 1888.
D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* Paris.
DEL VAL, *Sacra theologia dogmatica,* Matriti, 1906.
DIONYSIUS CARTUSIANUS, *Opera omnia,* Monstrolii, an. 1896 et ss.
GONET, *Clypeus theologiae thomisticae,* Coloniae Agrippinae, 1677.
GOTTI, *Theologia scholastico dogmatica,* Venetiis, 1750.
HEINRICH-GUTBERLET, *Dogmatische Theologie,* Mainz, 1873 ss.
HURTER, *Compendium theologiae dogmaticae,* 9ª edit., Oeniponte, 1896.
PESCH, *Praelectiones dogmaticae,* Friburgi, 1908.
PETAVIUS, *Opus de theologicis dogmatibus,* Antverpiae, 1700.
POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik,* 5e Auf. Paderborn, 1911.
SALMANTICENSES, *Cursus theologicus,* Lugduni, 1679.
SCOTUS, *Opera omnia,* Parisiis, 1890 ss.
SUAREZ, *Opera omnia,* Parisiis, 1836-1868.
TANQUEREY, *Synopsis theologiae dogmaticae,* edit. 14ª, Tornaci, 1913.
THOMAS (S.) AQUINAS. *Commentum in quatuor libros sententiarum,* Parmae, 1856.
— *Summa contra Gentiles,* Romae, 1888.
— *Summa theologiae,* Romae (ex typographia S. C. de propaganda fide) ab an. 1888.
— *Quaestiones disputatae,* Parisiis, 1883.
— *Opuscula selecta,* Tiferni Tiberini, 1886.
VACANT-MANGENOT, *Dictionnaire de théologie catholique,* Paris.
WAFFELAERT (Mgr.), *Méditations théologiques,* Bruges, 1910.
— *Goddelijke beschouwingen,* Brugge, (sub prelo).

2° Commentarii in Opera S. Thomae.

BANNEZ, *Scholastica commentaria in I P. S. Thomae,* Romae, 1586.
BILLOT, (card.), *De Deo uno et trino,* 7ª ed., Romae, 1926.
— *De virtutibus infusis,* 3ª ed., Romae, 1921.
— *De gratia Christi,* Prati, 1912.
— *De Verbo Incarnato,* 5ª edit., Prati, 1912.
— *De natura et ratione peccati personalis,* Romae, 1894.
— *De personali et originali peccato,* Prati, 1910.
BILLUART, *Summa Sancti Thomae hodiernis academiarum moribus accommodata,* Parisiis, Letouzey et Ané.

(1) In hoc indice non referimus opera SS. Patrum Ecclesiae.
(2) Hoc opus in nostro tractatu citavimus sic: *Enchir.*

BUONPENSIERE, *Commentaria in I. P. Summae theologicae,* Romae, 1902.
CAJETANUS, *Commentarius in Summam theologiae S. Thomae* — in editione Summae theologiae S. Thomae citata suprà.
CAPREOLUS *J., Defensiones theologiae divi Thomae Aquinatis,* Turonibus, 1900-1902.
DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina praemotionis physicae,* Parisiis, 1886.
FERRARIENSIS, *In Summam S. Thomae contra Gentiles,* Lugduni, 1586.
JANSSENS, *De Deo uno,* Romae, 1899.
— *De Deo trino,* Friburgi Br. 1900.
MOLINA, *Commentaria in Primam S. Thomae Partem,* Lugduni, 1622.
PÈGUES, *Commentaire français littéral de la Somme Théologique de S. Thomas d'Aquin,* Toulouse, 1907 ss.
SYLVIUS, *Commentarii in Summam S. Thomae,* Antverpiae, 1697.
TERRIEN, *S. Thomae Aq. doctrina sincera de unione hypostatica,* Parisiis, 1893.
VASQUEZ, *Commentaria ac disputationes in Summam S. Thomae,* Antverpiae, 1721.
WIGGERS, *Commentaria in primam Partem S. Thomae Aq.,* Lovanii, 1651.

BERTHIER, *L'étude de la somme théologique,* Paris, 1909.
HOOGVELD (naar Dr GRABMANNJ *Thomas van Aquino,* Utrecht, 1914.
SERTILLANGES, *S. Thomas d'Aquin,* Paris, 1910.

3° Tractatus speciales.

ALVAREZ, *De auxiliis divinae gratiae,* Lugduni, 1611.
BESSMER, *Theologie und Philosophie des Modernismus,* Freiburg. i. Br., 1912.
BOUQUILLON, *De virtutibus theologicis,* Brugis, 1890.
— *Theologia moralis fundamentalis,* 2ª edit., Brugis, 1890.
CALLEWAERT, *De sacra liturgia universim,* Brugis, 1919.
CANUS (Melchior), *Opera theologica,* Romae, 1900.
CARBONE, *De Modernistarum doctrinis,* Romae, 1909.
CEULEMANS, *De parvulis, qui sine baptismo moriuntur,* Lovanii, 1886.
DE BAETS, *De ratione ac natura peccati originalis,* Gandae, 1899.
— *Quaestiones de operationibus divinis,* Lovanii, 1903.
DE BONNIOT, *Le problème du mal,* 3e edit., Paris, 1911.
DE BROUWER, *De Ecclesia Christi,* Brugis, 1891.
DE DORLODOT, *Quaestiones quodlibetalium duae priores,* Lovanii, 1903.
DE LAPPARENT, *Science et apologétique,* Paris, 1905.
DEL PRADO, *De gratia et libero arbitrio,* Friburgi, Helv., 1907.
DE MUNNYNCK, *De existentia Dei,* Lovanii, 1904.
DE POULPIQUET, *L'objet intégral de l'apologétique,* Paris, 1912.
— *Le miracle et ses suppléances,* Paris, 1914.
DE RIPALDA, *De ente supernaturali,* Parisiis, 1870.
DE SAN, *Tractatus de Deo uno,* Lovanii, 1894.
DE SMET, *De sacramentis in genere,* 2ª edit. Brugis, 1925.
DE TONQUÉDEC, *L'immanence,* Paris, 1913.
— *Introduction à l'étude du merveilleux et du miracle,* Paris, 1916.
DRIESSEN, *God en Godsdienst bij E. Kant,* Utrecht, 1912.
DU PETIT BORNAND, *Sur la question du nombre des élus,* Paris, 1905.
FRANZELIN, *De Deo Trino,* Romae, 1869.
— *De Deo uno,* Romae, 1870.
— *Examen doctrinae Macarii Bulgakow... de processione Spiritus S.* Romae, 1870.
— *De divina traditione et scriptura,* Romae, 1870.
FROGET, *De l'habitation du Saint-Esprit dans les âmes justes,* Paris, 1900.
GARCIA, *Lexicon scholasticum,* Quaracchi, 1910.
GARDEIL, *Le donné révélé et la théologie,* Paris 1910.
— *La crédibilité et l'apologétique,* 2e édit. Paris, 1912.

GARRIGOU-LAGRANGE, *Le sens commun, la philosophie de l'être et les formules dogmatiques,* Paris, 1909.
— *De Revelatione,* Romae, 1918.
— *Dieu.* Son existence et sa nature, Paris, 1919.
GISLER, *Der Modernismus, Einsiedeln,* 1912.
JANSSENS Al. (Miss. van Scheut). *De H. Drievuldigheid,* 2e uitg., Brussel, 1925.
JUNGMANN, *De Deo uno et trino,* 4a edit., Ratisbonae, 1882.
— *De gratia,* 6a edit., Ratisbonae, 1896.
— *De Deo creatore,* 4a edit, Ratisbonae, 1883.
KLEUTGEN, *De ipso Deo,* Ratisbonae, 1881.
LAMBRECHT, *De Deo uno et trino,* Gandavi, 1891.
LEBRETON, *L'encyclique et la théologie moderniste,* Paris, 1908.
LESSIUS, *Opuscula,* Antverpiae, 1626.
— *De perfectionibus moribusque divinis,* Parisiis, 1881.
MANZONI, *Compendium theologiae dogmaticae,* Aug. Taurinorum, 1910.
MATTIUSSI, *Il veleno Kanziano,* Monza, 1907.
— *Le XXIV tesi della filosofia di S. Tommaso d'Aquino,* Roma, 1917.
MERCIER (Card.), *Le Modernisme,* Bruxelles, 1908.
MOLINA, *Concordia,* Parisiis, 1876.
PALMIERI, *De Deo creante et elevante,* Romae, 1907.
PESCH, *Theologische Zeitfragen,* vierte u. fünfte Folge. Freiburgi. Br. 1908.
PIGNATARO, *De Deo creatore,* Romae, 1905.
POLMANUS, *Breviarium theologicum,* Parisiis, 1863.
ROSA, *L'enciclica « Pascendi »,* Roma, 1909.
SORTAIS, *La providence et le miracle devant la science moderne,* Paris, 1909.
STRAUB, *De Ecclesia Christi,* Oeniponte, 1912.
TERRIEN, *La grâce et la gloire,* Paris, 1897.
UDE, *Doctrina Capreoli,* Graecii, 1905.
VAN CROMBRUGGHE, *De Verbo Incarnato,* Gandavi, 1909.
VALLET, *Les fondements de la connaissance,* Paris, 1909.
VAN DEN BERGHE, *De legibus,* Brugis, 1904.
VAN DER MEERSCH, *De divina gratia,* 2a edit., Brugis, 1924.
VAN HOONACKER, *De rerum creatione ex nihilo,* Lovanii, 1886.
VAN NOORT, G., *De Deo uno et trino,* Amstelodami, 1907.
— *De gratia Christi,* Amstelodami, 1908.
— *De Deo Redemptore,* 2a edit., Amstelodami, 1910.
— *De vera religione,* 2a edit., Amstelodami, 1907.
— *De fontibus Revelationis,* 2a edit., Amstelodami, 1911.
WEISS, *Kant und das Christentum,* Köln, 1904.
WILMERS, *De Christi Ecclesia,* Ratisbonae, 1897.

4° Opera exegetica de S. Scriptura.

BARDENHEWER, *Maria-Verkundigung,* Freiburg i. Br., 1905.
BEELEN, etc., *Het Oud Testament,* Brugge, 1896.
— *Het Nieuwe Testament,* Brugge, 1891.
CORLUY, *Spicilegium dogmatico-biblicum,* Gandavi, 1884.
CORNELY, etc., *Cursus Scripturae Sacrae,* Parisiis, Lethielleux.
LAGRANGE, *L'Evangile selon saint Marc,* Paris, 1911.
LEPIN, *Jésus Messie et Fils de Dieu,* 2e édit., Paris, 1905.
— *La valeur historique du quatrième évangile,* Paris, 1910.
PRAT, *La théologie de S. Paul,* Paris, 1908, 1912.
THOMAS (S.) AQUINAS, *Commentarius in omnes S. Pauli epistolas,* Taurini, 1896.
VAN STEENKISTE, *Commentarius in omnes S. Pauli epistolas,* Brugis, 1889.
VAN STEENKISTE & CAMERLYNCK, *Commentarius in epistolas catholicas,* 5a edit., Brugis, 1909.
— *Commentarius in Actus Apostolorum,* Brugis, 1910.
VAN DER HEEREN, *Psalmi et cantica Breviarii,* Brugis, 1913.

B. Opera historica.

Aengenent, *Handboek voor de geschiedenis der Wijsbegeerte,* Amsterdam, 1908.
Albers, *Handboek der algemeene Kerkgeschiedenis,* 3de uitg., Malmberg, 1913.
Bardenhewer, *Patrologie,* 3e Aufl., Freiburg i. Br. 1910.
Capéran, *Le problème du salut des infidèles, essai historique,* Paris, 1912.
d'Alès, *La Théologie de Tertullien,* Paris, 1905.
— *Novatien,* Paris, 1925.
De Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions,* 4e edit., Paris.
De Ghellynck, *Le mouvement théologique au XIIe siècle,* Paris, 1914.
De Groot, O. P., *Denkers van onzen tijd,* Amsterdam, 1910.
De Wulf, *Histoire de la philosophie en Belgique,* Louvain, 1910.
— *Histoire de la philosophie médiévale,* 4e édit., Louvain, 1912.
Fillion, *Les étapes du Rationalisme,* Paris, 1911.
Friethoff, O. P. *De predestinatie-leer van Thomas en Calvyn,* Zwolle, 1925.
Grabmann, *Die Geschichte der scholastische Methode,* Freiburg i. Br., 1909.
Granderath-Kirch, *Geschichte des Vatikanischen Konzils,* Freiburg i. Br., 1903-1906.
Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles,* Paris, 1907 ss.
Huby, *Christus,* Paris, 1912.
Kleutgen, *Die Theologie der Vorzeit,* Münster, 1860.
— (trad. Sierp), *La philosophie scolastique,* Paris, 1870.
Krebs, *Der Logos als Heiland im ersten Jahrhundert,* Freiburg i. Br., 1910.
Laemmer, *Clementis Alexandrini de λογῳ doctrina,* Lipsiae, 1855.
Le Bachelet, *Auctarium Bellarminianum,* Paris, 1913.
Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinité,* Paris, 1910.
Mercier (Card.), *Les origines de la psychologie contemporaine,* Louvain, 1897.
Nager, *Die Trinitätslehre des hl. Basilius des Grossen,* Paderborn, 1912.
Rouët de Journel, *Enchiridion patristicum,* 2a edit., Freiburgi Br., 1913.
Schmidt-Lemonnyer, *La révélation primitive et les données actuelles de la science,* Paris, 1914.
Schneeman, *Controversiarum... initia,* Friburgi Br., 1881.
Schwane, (trad. Belet), *Histoire des dogmes,* Paris, 1903.
Sortais, *Histoire de la philosophie ancienne,* Paris, 1911.
Tixeront, *Histoire des dogmes,* Paris, 1905-1909.
Van Oppenraay, *La doctrine de la prédestination dans l'église réformée des Pays-Bas,* Louvain, 1906.
Weinand, *Die Gottesidee, der Grundzug der Weltanschauung des hl. Augustinus,* Paderborn, 1910.

C. Opera ascetica et mystica.

Aernoudt, *De imitatione s. Cordis Jesu,* Tornaci, 1872.
Bainvel, *Introduction à la 10e édition des* grâces d'oraison *du R. Père Poulain,* Paris, 1923.
Bossuet, *Elévations sur les mystères, Œuvres complètes,* t. VII, Paris, 1862 ss.
Chautard, *L'âme de tout apostolat,* Paris, 1914.
De Caussade, *L'abandon à la Providence divine,* Paris, 1909.
De Ponte (Ven.), *Meditationes,* Friburgi Br., 1890.
François (S.) de Sales, *Œuvres complètes,* Annecy, 1892 ss.
Garrigou-Lagrange, *Perfection chrétienne et Contemplation,* Saint Maximin, 1923.
Gay, *Vie et vertus chrétiennes,* Paris, 1878.
Jean de la Croix (S.), (trad. H. Hoornaert), *La montée du Carmel,* Bruges, 1915.
— *La nuit obscure. La vive flamme d'amour,* Bruges, 1916.
Joret, *La contemplation mystique,* Lille-Bruges, 1923.
Lessius, *Recollectiones precatoriae...* Friburgi Br., 1892.
Mahieu, *Probatio charitatis,* 3a edit., Brugis, 1923.
Monsabré, *Exposition du dogme catholique,* Paris.

NIEREMBERG (trad. GARÉNAUX), *La beauté de Dieu*, Tournai, 1910.
PHILIPPUS A SS. TRINITATE, *Summa theologiae mysticae*, Bruxellis, 1874.
POULAIN, *Des grâces d'oraison*, 8e edit., Paris, 1909.
THÉODORE DE SAINT-JOSEPH, *Essai sur l'oraison selon l'école carmélitaine*, Bruges, 1923.
THÉRÈSE (Ste), *Œuvres complètes*, Paris, 1907.
WAFFELAERT (Mgr), *Eening der minnende ziel met God*, Brugge, 1916.
ID. (trad. R. HOORNAERT), *L'union de l'âme aimante avec Dieu*, Bruges, 1916.
ID. *De geestelijke duif*, Brugge, 1918.

D. OPERA PHILOSOPHICA.

APPELMANS, *Pages de Philosophie*, Malines, 1904.
BEYSENS, *Theodicee of natuurlijke Godsleer*, Amsterdam, 1907.
BITTREMIEUX, *De analogica nostra cognitione de Deo*, Lovanii, 1913.
BOEDDER, *Theologia naturalis*, 2a edit., Friburgi Br., 1911.
BOSSUET, *De la connaissance de Dieu et de soi-même*, *Œuvres complètes*, t. XXIII, Paris, 1862 ss.
DE BAETS, *Les bases de la morale et du droit*, Gand, 1882.
DE JAEGHER, *Institutiones philosophicae*, 2a edit., Rollarii, 1914.
DE MARIA, *Philosophia peripatetico-scolastica*, Romae, 1893.
DE SAN, *Institutiones metaphysicae specialis*, T. I. *Cosmologia*, Lovanii, 1881.
GREDT, *Elementa philosophiae aristotelico-thomisticae*, Friburgi Br., 1909, 1912.
HUGON, *Logica*, Parisiis, 1903.
JANSSENS, EDG., *Le néo-criticisme de Charles Renouvier*, Louvain, 1904.
LAMINNE, *La philosophie de l'Inconnaissable*, Bruxelles, 1903.
LIBERATORE, *Institutiones philosophicae*, Prati, 1883.
LORENZELLI (Card.), *Philosophiae theoreticae institutiones*, Romae, 1890.
MARITAIN, *La philosophie Bergsonnienne*, Paris, 1909.
— *Réflexions sur l'intelligence*, 2e éd., Paris, 1926.
MATIUSSI, *Logica* (manoscritto), Milano, 1895.
— *Fisica razionale* (manoscritto), Milano, 1896.
— *Distinzione tra l'essenza e l'essere*, Firenze, 1912.
MERCIER (Card.), *Ontologie*, 3e edit., Louvain, 1902.
— *Critériologie générale*, Louvain, 1906.
NYS, *Cosmologie*, Louvain, 1903.
OLLÉ-LAPRUNE, *La certitude morale*, Paris, 1902.
PALMIERI, *Institutiones philosophicae*, Romae, 1874.
PESCH, T., *Institutiones philosophiae naturalis*, Friburgi B., 1880.
POINCARÉ (H.), *La valeur de la science*, Paris, 1909.
REMER, *Summa praelectionum philosophiae scholasticae*, Prati, 1895.
RUYSSEN, *Kant*, Paris, 1906.
SCHIFFINI, *Principia philosophica*, Aug. Taurinorum, 1892.
— *Disputationes metaphysicae specialis*, ibid., 1894.
— *Disputationes philosophiae moralis*, ibid., 1891.
— *Institutiones philosophicae in compendium*, ibid., 1893.
SENTROUL (Mgr), *La philosophie religieuse de Kant*, Bruxelles, 1911.
— *Kant et Aristote*, 2e édit., Louvain, 1913.
WILMANN (in 't Nederlandsch bewerkt door VAN ALTDORF), *De wijsgeerige vakwoorden*, Hoogstraten, 1911.
ZIGLIARA, *Summa philosophica*, 12a edit., Parisiis, 1900.

II. Periodica.

Acta Sanctae Sedis, Roma.
Bulletin d'ancienne littérature et d'archéologie chrétiennes, Paris.
Cahiers du cercle thomiste féminin, Paris.
Civiltà cattolica, Roma.

Collationes Brugenses, Brugis.
Collationes dioecesis Tornacensis, Tornaci.
Collationes Gandavenses, Gandavi.
Collationes Namurcenses, Namurci.
Ephemerides theologicae Lovanienses, Lovanii.
Etudes, publiées par les Pères de la Compagnie de Jésus, Paris.
Gregorianum, Roma.
Revue apologétique, Bruxelles.
Revue Augustinienne, Louvain.
Revue d'histoire ecclésiastique, Louvain.
Revue des sciences ecclésiastiques et la science catholique, Paris, Arras.
Revue des sciences philosophiques et théologiques, Kain, Paris.
Revue du clergé français, Paris.
Revue ecclésiastique de Liège, Liège.
Revue néo-scolastique, Louvain.
Revue pratique d'apologétique, Paris.
Revue thomiste, Toulouse.
Scuola cattolica, Milano.
Stimmen aus Maria-Laach, Freiburg i. Br.
Theologie und Glaube, Paderborn.
Theologische Quartalschrift, Tübingen.
Vie diocésaine, Malines.
Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbrück.

PROLOGUS
DE THEOLOGIA

CAPUT I

DE ESSENTIA THEOLOGIAE

ARTICULUS Is. De ratione Theologiae.

1. Quid sit doctrina sacra.

S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. I, a. 1, docet ad humanam salutem necessarium fuisse ut detur doctrina quaedam secundum revelationem divinam, praeter philosophicas disciplinas quae ratione humana investigantur. Praedictae necessitatis *duplex ratio* assignatur : *una* est, quia homo ordinatur ad finem supernaturalem : haec est necessitas *physica* revelationis. Huic necessitati satisfit revelatione *eorum quae excedunt humanum intellectum,* imo quae omnis creati intellectus capacitatem excedunt, quae sunt mysteria proprie dicta. *Altera* ratio est quia homines, in praesenti rerum ordine, laborant impotentia morali ad congruam cognitionem sibi acquirendam veritatum religiosarum quae per rationem investigari possunt : huic necessitati satisfit etiam per revelationem illarum veritatum quae non excedunt capacitatem humani intellectus : haec est *moralis* necessitas revelationis (1).

Jamvero complexus omnium veritatum a Deo revelatarum vocatur *doctrina sacra* (2).

2. Quid sit scientia.

Scientia, strictissima et propriissima acceptione, et *subjective* sumpta (h. e. pro actu cognoscendi) definitur : « Cognitio certa veri evidentis, necessarii, ex causis ejus propriis et immediatis » (3). Quapropter actus sciendi est cognitio *conclusionis* certae, evidentis (evidentia intrinseca), de scibili necessario, obtentae per demonstrationem stricte dictam *a priori,* in qua id quod in praemissis enuntiatur est ontologice ratio proxima ejus quod in conclusione asseritur (4).

---

(1) De qua cf. *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 171.

(2) Circa quam rite notat CAJETANUS in *h. l.*, n. VI: « Sacra doctrina neque sumitur pro fide, ut distinguitur contra theologiam; neque pro theologia, ut distinguitur contra fidem; sed sumitur pro cognitione a Deo revelata, sive formaliter, sive virtualiter, ut habet rationem disciplinae et doctrinae, abstrahendo a ratione crediti et sciti ». Eamdem interpretationem tradit PÈGUES, *Commentaire français littéral de la Somme théologique,* T. I, Toulouse, 1907, p. 10.

(3) DE JAEGHER, *Institutiones philosophicae*², Rollarii, 1914, n. 183. Cf. explicationem *ibid.*

(4) Cf. DE JAEGHER, *o. t.*, n. 176, 179 s.

Si scientia sumitur *objective,* et non quidem pro *particulari* quodam *scibili,* sed pro eo quod vocatur *scientia totalis,* et in strictissima acceptione, tunc scientia totalis est : integrum aliquod organicum systema conclusionum certarum, evidentium de scibili necessario, quae statuuntur per demonstrationem *a priori* et quae ratione ordinantur in unum totum logicum. Talis scientia est v. gr. mathematica.

Secundum quod deficit plus vel minus ratio alicujus elementi in iis quae enumeravimus, secundum hoc etiam deficit ratio strictissima et propriissima scientiae, et porro secundum hoc sumitur scientia acceptione plus vel minus lata. Ut autem habeatur scientia, essentialiter requiritur *illatio unius veritatis ex alia* seu *demonstratio* et proinde ratiocinium : unde scientia est de *conclusionibus.* Quapropter scientia objective sumpta et totalis, sive strictissime sive non stricte accepta, definitur : « complexus conclusionum, quae circa aliquod *subjectum* (1) versantur, et sub principiis a quibus procedunt, ad ordinem in unitatem exiguntur » (2).

3. Theologiae natura describitur.

Hisce praemissis, intelligemus qua ratione doctrina sacra fiat scientia. Complexus veritatum a Deo revelatarum seu doctrina sacra est ampla materia circa quam versari potest humana cogitatio et ad intellectualem inquisitionem movetur homo desiderio sciendi. Homo igitur, qui *credit* impellitur ad perfectiorem sibi acquirendam de creditis cognitionem : hoc significatur a S. Anselmo per hoc dictum : *fides quaerens intellectum* (3).

Credens porro, quaerendo penitius intelligere id quod credit, investigat in explicite revelatis ea quae implicite continentur. Illa autem eruuntur *ratiocinio.*

Jamvero duobus modis aliquid e veritatibus revelatis deducitur : a/ proxime, cum per argumenta hermeneutica et historica in verbo Dei scripto vel tradito enuntiatum aliquod contentum, adeoque in se ipso revelatum, esse ostenditur; b/ remote, cum ex his quae in se revelata sunt, ratiocinando deducitur cum certitudine conclusio quae virtualiter tantum in revelata veritate continetur (4). Circa has conclusiones habetur scientia proprie dicta.

Praeter hunc intellectus laborem, habetur et alius qui consistit in hoc quod *ordo logicus constituatur* tum inter veritates in se revelatas, tum inter has et conclusiones ex his illatas : hoc negotio doctrina sacra excolitur in scientiam totalem. Tandem ad perfectionem scientiae requiritur etiam ut objectiones, quae vel contra veritates revelatas, vel contra earum conclusiones moventur, refutentur (5).

---

(1) Hoc est *subjectum attributionis,* scil. « illud unum ad cujus perfectam nobis ingerendam notitiam ultimo ordinantur omnes alicujus scientiae considerationes ». DE JAEGHER, *o. c.,* n. 186.

(2) DE MARIA, *Philosophia peripatetico-scholastica,* Roma, 1893, t. I, p. 301. Propter imperfectionem cognitionis humanae, saepe in una totali scientia (sensu latiori) inveniuntur conclusiones certae, evidentes et a priori demonstratae; aliae a posteriori certae, aliae probabiles.

(3) Hujus locutionis sensum necnon totam scientificae inquisitionis methodum adhibitam a s. Anselmo dilucide exponit cl. GRABMANN, *Die Geschichte der scholastische Methode,* Freiburg i. Br., 1909, t. I, p. 272-339.

(4) Cf. KLEUTGEN, *Institutiones theologicae,* Vol. I, *De ipso Deo,* Ratisbonae, 1881, n. 92 ss.; GARDEIL, *Le donné révélé et la théologie,* Paris, 1910, p. 190 ss.

(5) Cf. MONSABRÉ, *La prédication,* Paris, 1901, p. 15, 25-30 ubi optime describitur munus theologiae, quatenus *conclusiones* infert, *analogiis* explicat mysteria, veritates inventas *ordine logico* ponit in unum totum.

Jamvero circa complexum veritatum a Deo revelatarum factus est, praesertim a tempore S. Anselmi (1) et deinceps, ille triplex labor intellectualis, scilicet ex revelatis inferre conclusiones, inter illas omnes veritates constituere ordinem logicum, refutare objectiones; sic condita est vera quaedam scientia totalis quae vocatur *theologia.*

Theologia definitur : « rerum divinarum ex divina revelatione comparata scientia » (2). *4. Definitur, et objectum indicatur.*

Per vocabulum *scientia* indicatur genus; per alia indicatur differentia specifica. Jam explicuimus quomodo ex revelatis constituatur scientia, remanet ut de objecto formali et de subjecto formali addamus verbum. Ad theologiam pertinent ea omnia et sola quae demonstrari possunt *ex revelatione divina,* quapropter theologiae *objectum formale* est *verum demonstrabile ex verbo Dei.* Sed objectum materiale seu res cognita, quae et quatenus ex verbo Dei cognoscitur, est vel ipse Deus vel aliquid ad Deum spectans, ita ut Deus sit illud unum ad cujus perfectam nobis ingerendam notitiam ultimo ordinentur omnes praedictae scientiae considerationes : quapropter *Deus* est *subjectum attributionis* seu subjectum formale theologiae (3).

Scholion. 1° Ratio formalis *objecti,* h . e. ratio cur aliquid a theologia demonstrari possit, vocatur etiam *ratio formalis qua* vel *sub qua;* ratio autem formalis *subjecti,* h. e. ratio cur aliquid a theologia consideretur, *ratio formalis quae.* Itaque in theologia ratio formalis *quae* est divinitas, nempe ly spectans esse ad Deum (het op God betrek hebben); ratio formalis *qua* est revelatio, nempe ly revelatum esse a Deo (het door God veropenbaard zijn) (4).

2° Diximus suprà ad theologiam pertinere quae sunt *demonstrabilia* ex revelatione divina : et sane theologica *scientia,* quatenus distinguitur ab ipsa fide, importat cognitionem per ratiocinium acquisitam de iis quae sunt a Deo revelata. Sed illa *demonstratio* aliter et aliter habetur : quandoque enim ad hoc praecise construitur (explicando documenta revelationis) ut ostendatur aliquam propositionem esse **explicite** *revelatam;* quandoque ad hoc tendit ut ostendatur aliquam propositionem esse **formaliter implicite** revelatam; quandoque in hoc consistit ut ex propositione explicite vel formaliter implicite revelata inferat *discursu proprie illativo* aliam propositionem : haec porro propositio est proprie *conclusio theologica* et continetur *virtualiter* tantum in revelatione. In cognoscendis talibus propositionibus sub lumine praemissarum, ex quibus inferuntur, verificatur maxime ratio *scientiae.* — Censemus Ecclesiam, vi potestate magisterii, posse infallibiliter definire ut *revelatas* propositiones explicite et propositiones formaliter implicite revelatas; posse etiam infallibiliter definire ut *veras* conclusiones theologicas, imo omnes propositiones quae sunt logice connexas cum aliqua veritate revelata. Cf. *Collat. Brugen.,* t. VI, 1901, p. 514; t. XIII, 1908, p. 26; t. XIV, 1909, p. 410, 417. Si autem admittitur Ecclesiam posse infallibiliter damnare tamquam erroneas sententias quibus negantur conclusiones theologicae certae, logice admittendum est Ecclesiam posse infallibiliter tamquam veras definire conclusiones theologicas.

Corollaria. 1ᵘᵐ. Ex dictis intelligitur theologiam esse scientiam *fidei.* Etenim fides, proprie dicta, seu intellectus adhaesio ad veritates a Deo *5. est scientia fidei;*

(1) Cf. GRABMANN, *o. c.,* p. 332. Quapropter s. Anselmus recte vocatus est *pater Scholasticae, o. c.,* p. 337.

(2) KLEUTGEN, *o. c.,* n. 2. Hic auctor perfectissime totam quaestionem *de ipsa theologia* pertractat. Ut patet, agitur hîc de theologia *supernaturali,* quae communiter theologia sine addito nuncupatur, et alia est a theologia naturali quae vocatur *theodicea.*

(3) KLEUTGEN, *o. c.,* n. 15 ss. Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. I, a. 3, 7.

(4) Ita fere KLEUTGEN, *o. c.,* n. 16.

revelatas propter auctoritatem Dei revelantis, praesupponitur in illo qui ex illis veritatibus deducit alias, et sub lumine principii revelati, quod ut praemissa assumitur, infertur conclusio. Inde theologia, considerata subjective, est habitus acquisitus ex fide (1), et ideo excellit certitudine alias scientias (2), attamen quia est acquisitus, non infusus, ideo est *entitative* naturalis (3) : supernaturalis autem dici potest tum quia ex supernaturali habitu animi efflorescit tum quia principia objectiva ejus sunt veritates a Deo revelatae (4).

6. distincta realiter ab Apologetica.

Concludes ulterius *apologeticam* non pertinere ad theologiam et esse ab hac scientia realiter distinctam (5) : apologetica enim non ex divina revelatione sumit argumenta, sed unice ex philosophia et historia, nec praesupponit fidem sed, e contrario, tota ordinatur ad ipsum factum Revelationis ostendendum et ad stabiliendum judicium credibilitatis ac credenditatis quod est prius fide. Proinde apologetica, nec objective nec subjective, est *fidei* scientia (6).

6bis. De opinione quadam circa apologeticam.

Adnotatio. Cl. P. Garrigou-Lagrange, in opere *De revelatione*, t. I, p. 52 ss, propugnat apologeticam non esse specifice ant generice distinctam a theologia imo nec adaequate distingui a theologia sed esse partem ejus: cui sententiae non est adhaerendum.

Omissa quaestione utrum apologetica dicenda sit generice potius quam specifice distincta a theologia, tenendum est apologeticam esse *realiter et adaequate*, ac *saltem specifice*, distinctam a theologia.

Etenim in apologetica *objectum formale quod* et *objectum formale sub quo* sunt diversa ac in theologia.

1° Ut rite exponit cl. P. Garrigou-Lagrange, *o. c.*, p. 42, objectum *formale quod* Apologeticae est credibilitas imo credentitas mysteriorum fidei; hoc est enim *ultima conclusio* ad quam tota Apologetica ordinatur.

Objectum autem *formale sub quo* attingitur praedictum objectum est lumen naturalis rationis; scilicet omnes conclusiones quae in Apologetica demonstrantur, sive sint historicae, sive sint metaphysicae, probantur lumine rationis naturalis : ita ut adhaesio ad conclusiones illas non supponat fidem, secus esset petitio principii : omnes conclusiones Apologeticae ita exponuntur et demonstrantur ut homo, rite utens rationis naturalis lumine et logice ratiocinans intelligere valeat illas esse veras: tota ratio *sciendi* illas consistit in hoc quod sunt conclusiones naturaliter cognoscibiles evidentiâ sive intrinseca, sive extrinseca.

2° In theologia vero, objectum *formale quod* est Deus sub ratione deitatis (7) et objectum *formale sub quo* attingitur illud objectum est lumen fidei nempe revelatio ab ipso Deo facta.

---

(1) Inde patet hanc scientiam haberi non posse in rationalista, etiamsi ille sibi acquireret cognitionem ejus quod docent theologi catholici. Inde alterius speciei cognitio *historia theologiae* et alterius *theologia positiva*. cf. HUGON, in *Revue thomiste*, 1910, t. XVIII p. 655.

(2) Cf. KLEUTGEN, *o. c.*, n. 30.

(3) Cf. JANSSENS, *Praelectiones de Deo Uno*, t. I, Roma, 1899, p. 38; PHILIPPUS A SS. TRINITATE, *Summa theologiae mysticae*, t. II, p. 284.

(4) KLEUTGEN, *o. c.*, n. 45.

(5) KLEUTGEN, *o. c.*, n. 52, 80. Hoc assertum propugnavit fusius cl. P. GARDEIL, *La crédibilité et l'apologétique*², Paris, 1912, p. 203 ss. Inde apologetica non recte vocatur theologia fundamentalis, cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 46. Videsis LE BACHELET, ap. D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi catholique*, art. *apologétique*, col. 244 ss.; PÈGUES, *Comm. franç. littér. de la Somme Théologique*, t. I, 1e P., p. 16 ss.

(6) Circa divisionem apologeticae perutiliter leges GARRIGOU-LAGRANGE, *De revelatione*, t. I, p. 46-50.

(7) Cf. GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.*, p. 8, qui opportune refert haec S. Thomae verba: « Sacra doctrina *propriissime determinat de Deo*... quia non solum quantum ad illud quod est per creaturas cognoscibile (quod philosophi cognoverunt...) sed etiam *quantum ad id quod notum est sibi soli de seipso*, et aliis per revelationem communicatum ». *Sum. Theol.*, I, Q. I, a. 7.

Jamvero indubium est scientiam in qua formale objectum sub quo attingitur suum cognoscibile est *lumen naturalis rationis* esse realiter, adaequate et saltem specifice diversam a scientia in qua formale objectum, sub quo attingitur suum cognoscibile, est divina *revelatio,* h. e. *lumen supernaturale,* prorsus indebitum naturali intellectui.

Ut suam probaret opinionem cl. P. Garrigou-Lagrange insistit multum in hoc quod objectum formale sub quo, seu lumen Apologeticae est, uti dicit, lumen rationis *sub directione fidei, o. c.,* p. 43. Aliquo sensu admitti potest quaedam *directio fidei* in condenda scientia apologetica, quatenus nempe illi, qui illam scientiam constituerunt, quum jam crederent ipsi, habuerunt rationem de quibusdam veritatibus revelatis, adeoque conati sunt removere a nondum credentibus impedimenta fidei, necnon illa motiva credibilitatis exposuerunt et propugnaverunt quae de facto, in praesenti rerum ordine, elegit Deus ut credibilia faceret ea quae revelavit; sed illa directio remanet *extrinseca* ipsi demonstrationi qua cognitio acquiritur scientiae apologeticae si apologetica rite conficitur, singulae propositiones *demonstrantur* solo rationis lumine, ita ut in illa scientia sufficiat naturalis capacitas intellectus, qui ad adhaesionem *determinatur evidentia extrinseca vel intrinseca.* Nullo modo admitti potest quod in apologetica lumen sub quo attingitur objectum sit quasi mixtum ex naturali rationis lumine et ex quodam supernaturali lumine (1).

Cl. P. Garrigou-Lagrange ad suam opinionem propugnandam argumentatur etiam ex hoc 1°) quod theologia tractare debet de omnibus quae sunt de fide, ergo etiam de iis quae sunt definita circa ipsam revelationem; 2°) quod theologia ut est suprema scientia debet defendere principia fidei ac fidei motivum; 3°) quod Apologetica debet defendere per media ab ipso Deo revelante tradita evidentem mysteriorum fidei credibilitatem (o. c., p. 53-57).

Ad hoc triplex argumentum respondetur dicendo : multa asserta, materialiter spectata, pertinere possunt *et* ad *theologiam* et ad *apologeticam;* porro pertinent ad theologiam quando demonstrantur praemissis desumptis *ex revelatione divina* cui praesupponitur adhaesio jam facta per fidem; pertinent vero ad apologeticam quando demonstrantur praemissis *ex scientia naturaliter cognoscibili,* nempe ex philosophia et ex historia : inde, v. gr., confici potest tractatus *theologicus* de Ecclesia et alius *apologeticus* de Ecclesia (2).

Nemo autem negabit cognitionem seu conclusionem quae nititur veritati a Deo revelatae et proinde fidei esse *intrinsece et essentialiter* aliam a cognitione seu conclusione quae nititur principio naturaliter noto et proinde adhaesioni determinatae evidentia extrinseca vel intrinseca illius principii. Ergo apologetica, utpote complexus ordinatus conclusionum certarum, quae ex *naturali rationis lumine* statuunt credibilitatem et credenditatem religionis a Deo revelatae, est scientia specifice vel generice distincta a theologia.

Quae hucusque exposuimus solide confirmantur ex variis Ecclesiae documentis quibus vindicatur naturalis capacitas intellectus humani ad stabilienda fundamenta fidei et quibus rite distinguitur munus philosophiae apologeticam constituentis a munere theologiae. En propositionem quam subscribere debuit Ludov. Eug. Bautain, 8 Sept. 1840 : « Quamvis debilis et obscura reddita sit ratio per peccatum originale, remansit tamen in ea sat claritatis et virtutis ut ducat nos cum certitudine ad [cognoscendam] existentiam Dei, ad revelationem factam Judaeis per Moysem et Christianis per adorabilem Hominem-Deum » (3). Sed praesertim considerandum est quod docet Pius X *de relatione inter Philosophiam et Theologiam,* in encyclica « Communium rerum », 21 aprilis 1909:

---

(1) Quod hîc dicitur non negat auxilium supernaturale quo Deus hominem *interne* adjuvat ut rite perspiciat valorem demonstrativum argumentorum (Videsis quod de illa re diximus in *Collat. Brugen.,* t. XX, 1920, p. 157, ubi dijudicavimus opus R. P. DE POULPIQUET, O. P., *Le miracle et ses suppléances*). Auxilium subjectivum homini a Deo collatum non attingit illam scientiam *objective* spectatam et *totalem* (cf. n. 2) quae vocatur *apologetica* et quae est complexus seu integrum organicum systema conclusionum certarum, quae stabiliunt credibilitatem et credenditatem religionis a Deo revelatae.

(2) Quod dicimus de asserto et de integro tractatu dicendum est etiam de refutanda objectione: quandoque eadem objectio refutari potest vel ex solo naturali rationis lumine, vel ex principio desumpto a revelatione.

(3) *Enchir.,* 1627.

« ... Philosophiae (igitur) munus est praecipuum in perspicuo ponere fidei nostrae rationabile obsequium et, quod inde consequitur, officium adjungendae fidei auctoritati divinae altissima mysteria proponenti quae plurimis testata veritatis indiciis, *credibilia facta sunt nimis* [Ps. 92, 5]. Longe aliud ab hoc Theologiae munus est, quae divina revelatione nititur et in fide solidiores efficit eos qui christiani nominis honore se gaudere fatentur; nullus quippe christianus debet disputare quomodo, quod catholica Ecclesia corde credit et ore confitetur, non sit; sed semper eamdem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo, humiliter quantum potest, quaerere rationem quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat; si non potest non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum » (1).

Nostris diebus quibus non parva confusio notionum diffusa est et quibus viget apud multos periculum confundendi *supernaturalem* et *naturalem* ordinem, requiritur ut plena luce effulgeat mentibus diversitas muneris tum apologeticae tum theologiae.

7. Est una scientia.

2um. Licet multa et diversa considerentur a theologo et se habeant ut objecta materialia, tamen *una* est theologia quia omnia, quae demonstrat, per *eamdem rationem formalem* seu idem medium objectivum demonstrat, scilicet testimonium divinum, quapropter omnia in theologia considerantur sub luce divinae revelationis.

Praeterea theologiae etiam quaedam specialis unitas convenit ex hoc quod subjectum ejus est ipse Deus, et proinde singulare.

ARTICULUS IIs. **De divisione Theologiae.**

8. Theologia dividitur, ratione materiae, in dogmaticam et moralem.

I. Ratione *materiae* dividitur theologia in theoreticam et practicam : *theoretica,* quae etiam *dogmatica* dicitur, ea est quae ut immediatum objectum habet ipsum Deum, consideratum in se ipso, in sua vita, suisque operationibus ad extra; *practica,* quae et *moralis* dicitur, ea est quae ut immediatum objectum habet ea quibus dirigendi sunt actus humani in ordine ad finem ultimum (2). Quae ut melius intelligantur notemus sequentia :

1. Theologia proprie dicta seu supernaturalis, universim spectata definitur: rerum divinarum ex divina revelatione comparata scientia (3). Objectum illius theologiae est vel ipse Deus vel aliquid ad Deum spectans, ita ut Deus sit illud unum ad cujus perfectam nobis ingerendam notitiam ultimo ordinentur omnes praedictae scientiae considerationes, ideoque Deus sit *subjectum attributionis* theologiae.

Jamvero inter cognoscibilia, circa quae versatur praedicta scientia, alia nobis manifestant quid sit ipse Deus, quomodo *ad intra* operetur, quomodo et quae sit operatus *ad extra* : haec omnia homo ut vera contemplatur et sunt objectum theologiae *theoreticae;* alia vero nobis manifestant quomodo dirigendi sint actus humani in ultimum finem, nempe in ipsum Deum : haec sunt objectum theologiae *practicae.*

---

(1) *Enchir.*, n. 2120. Videsis nn. 1637, 1795, 1799.

(2) Cf. KLEUTGEN, *o. c.*, n. 37; JANSSENS, *o. c.*, p. 3; BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis*², Brugis, 1890, p. 4, qui scribit: « Hinc recte theologia moralis definiri posse videtur: « legum et mediorum, quibus homo, ad ordinem supernaturalem elevatus, dirigitur et adjuvatur « ut juxta Dei ordinationem vivat et ad salutem perveniat, scientia revelationi innixa... Objectum « *immediatum* constituunt regulae operationibus praescriptae et media ad operandum data... Ob« jectum *mediatum* constituunt actus humani ».

(3) Cf. supra, n. 4.

Ex dictis apparet theologiae applicari distinctionem quae statuitur de scientia universim sumpta : « *Speculativa* est (seu *theoretica*) quae sistit in » veri *contemplatione; practica,* quae verum cognitum *ulterius ordinat ad* » *directionem operationis.* — Quò itaque *practica* dicatur scientia, non » sufficit eam *ab ipso sciente* forsitan ordinari ad quidpiam inde lucrandum » vel consequendum; nec sufficit *scientiam ipsam promovere operationem* » *qualitercumque;* sed requiritur ut *ipsius scientiae dictamen sit norma* » *operationem idealiter praeformans ac dirigens* » (1). Inde licet theologia dogmatica aptissima sit qua augeatur in nobis charitas aliaeque virtutes et licet ad hunc finem dirigenda sit a nobis (2), non tamen ideo fit practica.

2. Ex dictis patet theoreticam et practicam theologiam non esse specifice diversas scientias, sed unius ejusdemque scientiae duas partes, intime connexas (3). Imo unus alterve tractatus sub alia et alia consideratione et ad theoreticam et ad practicam theologiam pertinere dicendus est : v. gr. tractatus *de gratia.* S. Thomas hunc tractatum ponit in parte morali seu practica *Summae Theologicae,* quia sub nomine *gratia* designantur supernaturalia et intrinseca principia actuum humanorum qui et quatenus dirigendi sunt in ultimum finem supernaturalem (4). Potest tamen etiam ad theoreticam seu dogmaticam theologiam referri tractatus de gratia, quatenus hujus objectum est complexus donorum supernaturalium quae sunt in nobis participatio vitae divinae et quatenus abstractio fit ab officiis specialibus quae inde homini imponuntur.

Si ad invicem comparantur theologia *theoretica* et *practica,* huic praestat illa. « Dogmatica enim versatur circa objectum fidei primarium et principale, » nempe Deum in se ipso, in sua vita suisque operationibus consideratum, » dum moralis versatur circa objectum fidei secundarium, scilicet Dei » servitium, hominis in Deum directionem. Praeterea moralis dogmaticae » tota innititur: sane si Dei personalis existentia, creatio hominis, lapsus, » incarnatio Verbi et redemptio non admittantur, tota statim ruit moralis » christiana; si praedictae veritates imperfecte explicentur, simul moralis » christiana corrumpitur. Et haec est ratio cur quaevis haeresis, quodvis » falsum systema theologicum, suum in regulis vitae influxum habuerit » (5). Ex dictis intelligitur cur theologia, quae est *una* scientia, si integra consideratur, sit magis theoretica quam practica, uti docet S. Thomas (6).

---

(1) DE JAEGHER, *o. c.*, n. 184.

(2) Cf. MAHIEU, *Probatio charitatis*[3], Brugis, 1923, p. 42 ss.

(3) « Moralis doctrina cum dogmatica multis in locis ita cognata ac concreta est, ut divelli « nisi violenter non possit; ut in quaestionibus de sacramentis, de gratia, justificatione et « merito, de fine hominis etc., sed ea quoque, quae separari non incommode queunt, altera ab « alteris illustrantur. Quare praestat secundum veterum morem utramque in unum doctrinae « corpus redigere ». KLEUTGEN, *o. c.*, n. 37.

(4) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De virtutibus cardinalibus, Tr. I, de prudentia,* etc.; Brugis, 1887, p. III-XXX ubi exponitur totus ordo et nexus rerum quae a S. Thoma in *Summa Theologica* docentur; JANSSENS, *o. c.*, p. 78.

(5) BOUQUILLON, *o. c.*, p. 8.

(6) *Sum. theol.*, I. Q. I. a. 4. — Hoc etiam notemus: « Etsi ad consequendam salutem « magis conferat virtutem colere quam de ea aliisque rebus sacris late disserere, non sequitur

9. ratione muneris, in systematicam et positivam.

II. Ratione muneris quo fungitur theologia, distinguitur in *systematicam* vel *scholasticam* et *positivam*. Positiva eruit ac statuit veritates a Deo revelatas vel ab Ecclesia propositas. Systematica *a*) dogmata perscrutatur, *b*) quae in eis sunt inclusa aperit, c) nexum, quo inter se vincta sunt, ostendit, *d*) ad alia ex iis cognoscenda progreditur : ita doctrinam sacram facit esse totum logicum et scientiam totalem (1).

Circa quae ulterius consideramus : 1° praedicta divisio aeque dogmaticam ac moralem (2) respicit : utraque enim veritates revelatas statuere debet et deinde illas ulterius perscrutari, ex illis tamquam ex praemissis inferre conclusiones, eaque omnia in logico ordine componere. 2° Theologia positiva, quum tamquam munus proprium habeat stabilire quaenam sint de facto veritates revelatae vel ab Ecclesia propositae, non est per se sola *scientia* : ibi enim tantum habetur ratio scientiae ubi est cognitio conclusionis *in praemissis e quibus infertur* : jam vero factum revelationis alicujus veritatis est omnino contingens, a sola Dei libera voluntate dependens, et proinde nequit ex praemissis inferri.

Si dicitur theologiam positivam per se non esse scientiam, ne putes hoc ideo dici quia esset cognitio facilis obtentu, vel quia non supponeret scientificas cognitiones, vel quia non haberet methodum logicae regulis determinatam, sed hoc dicitur quia talis est naturae ut objectum proprium sit mere stabilire *contingens* factum. — Ad positivam etiam theologiam, proprie dictam, non spectat ordinare in totum logicum veritates revelatas: inde Enchiridion, quod continet ordine *chronologico* symbola, definitiones, declarationes Magisterii Ecclesiae, non est tractatus *scientificus theologiae*. — Ad positivam theologiam maxime necessaria est *eruditio*, quae est cognitio monumentorum cujuscumque generis (sive scriptorum, sive pictorum, etc.) et factorum quae in illis manifestantur : quae cognitio regulatur imprimis per *hermeneuticam* et *criticam* (3). Ad speculativam maxime requiritur *metaphysica* tum generalis, tum specialis. Sed non raro ad alias etiam scientias est recurrendum praesertim in refellendis erroribus.

3° Ad theologiam tum systematicam tum positivam pertinet etiam refutare objectiones quae contra utriusque asserta proponuntur : quatenus hoc munere fungitur vocatur theologia *polemica*.

10. Haec distinctio implicite apud St. Thomam.

Duplex theologiae munus quod nunc indicatur per vocabula *positiva* et *systematica*, describitur a S. Thoma his verbis: « Quaedam disputatio ordinatur ad removendam dubitationem an ita sit; et in tali disputatione theologica utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi quibuscum disputatur. [Haec est *positiva* theologia]... Quaedam vero est disputatio... ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit : et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur : alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est; sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet. [Haec

---

« magis pertinere ad doctrinam sacram virtutum officia quam divina explicare aut majus quid« dam esse vitae sanctioris praecepta quam Deum ipsum cognoscere. Quare si major dicta « sit charitas fide aliisque donis, non tamen scientia mysteriorum ». KLEUTGEN, *o. c.*, n. 27.

(1) Cf. FRANZELIN, *De divina Traditione et Scriptura*, Roma, 1870, p. 619 s.; KLEUTGEN, *o. c.*, n. 38; COCONNIER, in *Revue thomiste*, 1903, t. X, p. 629 ss.; GARDEIL, *Le donné révélé et la théologie*, p. 215 ss.; HUGON, in *Revue thomiste*, 1910, t. XVIII, p. 652 ss.

(2) Cf. BOUQUILLON, *o. c.*, n. 15.

(3) Cf. DE JAEGHER,, *o. c.*, n. 165.

est *speculativa* theologia, faciens scire quomodo sit verum id quod dicitur] » (1).

Vocabulum *speculativa* theologia quandoque opponitur *positivae* theologiae, quandoque *practicae* theologicae: ne fiat confusio distinguatur: *systematica* theologia a positiva et *dogmatica* a morali.

Totius theologiae divisio rite indicatur a P. Garrigou-Lagrange, *De revelatione*, t I, p. 29, hac tabella :

- positiva
  - biblica
  - patristica
  - symbolica (2)
- systematica vel scholastica
  - dogmatica
  - moralis sub qua
    - casuistica
    - ascetica
    - mystica

11. Dogmaticae theologiae partitio.

Dogmatica seu theoretica theologia dividitur ulterius in varias partes seu in diversos tractatus, diversaque est haec partitio secundum diversos auctores (3). Hic ordo satis communiter nunc servatur: I. *De ipso Deo,* essentia uno, personis trino; II. de Deo *ad extra operante,* nempe de Deo *creante ac elevante* simul ac de lapsu generis humani per peccatum; III. de *Deo Incarnato ac redemptore;* IV. de Christi opere hac in terra permanente seu *de Ecclesia* (tractatus *theologicus*) (4); V. de Deo sanctificatore seu *de gratia;* VI. de Deo consummatore seu *de Novissimis.*

Caput II

DE PRINCIPIIS THEOLOGIAE (5)

12. Doctrinae sunt varia principia.

Principii nomen late patet : « Omne enim a quo aliquid procedit, quocumque modo, dicimus esse principium » (6).

Itaque *doctrinarum* quoque principia non unius sunt generis. Nam 1) *mens,* quae cognoscit, 2) *fontes* seu *loci* e quibus cognitiones hauriuntur, 3) et inter *cognita* ipsa quaedam prae caeteris sunt principia, quia ex his inferuntur alia cognoscenda.

A. Cum sermo est de *naturali* scientia, 1) primo modo principium est animus humanus nativo rationis lumine donatus. — 2) Deinde fontes e quibus haurit tres distinguuntur, scilicet : *a*) *intelligentia,* facultas nempe mentis, quò fit, ut cum primum vis intelligendi agere incipit, vera quaedam generalissima sua sponte cognita habet (7); *b*) *sensus* sive externus sive internus; *c*) *testificatio* hominum (8). — 3) Cognitiones autem illae dicuntur principia,

---

(1) *Quodlibetum IV,* q. IX, a. 18.

(2) « Haec instituit recensionem criticam symbolorum fidei, definitionum et declarationum Ecclesiae de rebus fidei et morum simulque propositionum damnatarum *o. c.,* p. 30.

(3) Cf. JANSSENS, *o. c.,* p. 78 ss.; KLEUTGEN, *o. c.,* n. 42.

(4) Plerumque tamen in *apologetica* ponitur tractatus de Ecclesia; qua talis non pertinet ad theologiam proprie dictam. Apte distinguerentur duo de Ecclesia tractatus, unus apologeticus, alter theologicus.

(5) Hic articulus summi momenti desumitur ex P. KLEUTGEN, o. c., n. 44 ss.

(6) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I. Q. XXXIII, a. 1.

(7) Cf. S. THOMAS, *o. c.,* I, Q. LIX, a. 1 ad 1; II-II, Q, XLIX, a. 5, ad 3.

(8) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 144 ss.

e quibus aliae multae non tamquam e locis promuntur, sed tamquam e radice ratiocinatione educuntur : quae vel cunctis disciplinis sunt communes vel singulis propriae. *Communes* instar legum sunt seu normarum quibus in pervestiganda veritate et omni doctrina judicanda dirigimur, unde dignitates (ἀξιωματα) dictae sunt; *propriae,* quae positiones (θέσεις) appellantur, fere constant definitione proprii cujusque scientiae objecti, ut cum physicus statuit quid sit corpus, vel ethicus quid sit actus moralis.

13. Theologiae principia sunt:

B. Jamvero ex his quae dicta sunt de naturali scientia, facilius, quae de *theologiae* principiis tenenda sunt, capiuntur.

1) humanus intellectus fide illustratus.

1° Primo modo principium theologiae est intellectus humanus, *supernaturali fidei divinae lumine imbutus.*

Hinc tria inferuntur : *a*) proprium est theologiae *ex auctoritate* argumentari, ita ut, quod non demonstratur ex revelatione, theologiae scitum non sit. « Neque vero, monet S. Thomas, hoc derogat dignitati hujus doctrinae : nam licet locus ab auctoritate, qui fundatur super ratione humana, sit infirmissimus; locus tamen ab auctoritate, qui fundatur super revelatione divina, est efficacissimus » (1).

b) Theologia nostra *supernaturalis* est non solum quia ex revelatione divina argumentum sumit, sed etiam quia ex supernaturali habitu animi efflorescit. Sic enim se habet ad lumen fidei divinitus infusum, ut se habet habitus philosophiae ad intelligentiam naturaliter inditam. Igitur habitus theologiae, ratione principii objectivi, h e. complexus veritatum revelatarum et ratione principii subjectivi h. e. habitus fidei, est supernaturalis, attamen in se, seu entitative spectatus, est naturalis, utpote acquisitus usu rationis, ut postea explicabitur.

c) Quodsi, propter supernaturalitatem mox indicatam, theologia ab omni scientia naturali differt specie, in sua tamen specie, scientiae scilicet supernaturalis, imperfecta est. Perfecta enim scientia evidentiam habet; quam theologus nancisci non potest nisi viso proprio theologiae objecto, i. e. Deo. Unde theologia nostra non perficitur nisi visione beata.

14. 2) fontes, sc. divina intelligentia.

2° *Fontes* ex quibus hauritur theologia sunt :

a) *Divina intelligentia* ipsa, quum ipse Deus de se et de operibus suis loqui nobis dignatus sit;

Traditio et S. Scriptura,

b) Attamen Deus non singulis per se ipse mysteria revelat, sed olim quidem Patribus in Prophetis, novissime vero in Filio loquens Apostolis Ecclesiam instituit ut doctrinam revelatione acceptam cunctis praedicaret, et curavit ut scripta ab Ipso inspirata conficerentur ad fidelium eruditionem. Quapropter nobis fontes, e quibus haurienda est doctrina sacra, sunt imprimis *Traditio divino-apostolica* et *S. Scriptura,* quae, quoad se, infallibiliter exhibent nobis veritates a Deo revelatas. Traditionis vero cognitio acquiritur ex scriptis Patrum, ex definitionibus et declarationibus Magisterii Ecclesiae, ex scriptis theologorum et aliis monumentis v. gr. pictis, sculptis, etc. quibus exprimitur communis christianorum fides. Attamen ipsa *Ecclesia docens* est nobis *proxima regula fidei.*

Ulterior explicatio. Si abstractio fit a formali ratione Traditionis divinae et si documenta praedicta singillatim spectantur, tunc etiam nobis fiunt totidem fontes seu *loci* e quibus desumuntur doctrinae sacrae cognitio, necnon argumenta quibus explicatur et propugnatur. Quibus etiam adjungenda est ratio humana et omnis

(1) *Sum. theol.* I, Q. 1, a. 8, ad 2.

disciplina naturaliter acquisita : philosophi enim aliique scientiarum cultores quandoque recte scripserunt de veritatibus quae vel sunt revelata vel connexa cum revelatis, et proinde etiam ex illis desumi possunt argumenta ad doctrinam sacram excolendam et praesertim defendendam. Quapropter auctores distinguunt locos theologicos in *proprios* et *communes* : *proprii* sunt qui a fidelibus, qua talibus, habentur, scilicet *Traditio divina, S. Scriptura, Ecclesiastici Magisterii* definitiones, declarationesque diversi generis, *Patrum, Theologorum* scripta. Loci communes sunt disciplinarum humanarum opera, praesertim philosophorum, historicorum, etc. (1).

Quoad *usum* locorum imprimis animadvertendum est illos adhiberi posse ut *auctoritates* et tunc alii alium habent valorem : Traditio stricte dicta, S. Scriptura, Ecclesiae definitiones valorem habent absolutum, quia sunt infallibiles; alii vero non nisi relativum habent valorem et probabile tantum argumentum praebent.

Sed saepe fit ut auctor, sive ecclesiasticus, sive profanus, sententiam promat non unice tamquam judicium personale, sed tamquam conclusionem ex praemissis illatam : si illatio est recta, necessitas (seu certitudo) conclusionis dependet a praemissis : in praedictis porro auctoribus possunt inveniri conclusiones omnino certae, utpote recte demonstratae : quae si perspicitur demonstratio, jam non ob auctoritatem dicentis, sed ob perspectam evidentiam admittitur propositio (2)

ratio humana,

c) Tandem *ratio humana* ac naturalis scientia, quae per istam gignitur, est fons theologiae, imo praecipuus, si consideratur essentia *scientiae*. Per rationem enim humanam fit *demonstratio conclusionum quae ex revelatis inferuntur*. Jamvero ipsum cognoscibile per discursum ex revelatis a Deo, sumptum praecise et formaliter, est adaequatum objectum materiale nostrae theologiae (3).

Multiplex usus rationis in theologia reducitur ad sequentia : *a*) detegere, distincte cognoscere et nitide exprimere singulas veritates a Deo revelatas; *b*) illas comprobare argumentis naturalibus et explicare per similitudines naturaliter notas; *c*) refutare objectiones quae fiunt vel fieri possunt contra illas; *d*) ex veritatibus revelatis tamquam ex praemissis inferre alias veritates tamquam conclusiones certas : hic est usus rationis in theologia quam maxime proprius, ut supra diximus; *e*) omnes veritates a Deo revelatas omnesque earum conclusiones etiam remotissimas in unum totum logicum ordinare, ita ut perspiciatur et ipsa connexio inter diversas veritates.

Ulterior explicatio de usu rationis in theologia.

15. Ulterior explicatio de usu rationis : cujus ope distincte percipiuntur veritates revelatae,

1. Generatim loquendo finis operis humanae rationis circa veritates revelatas est perfectior de his intellectio. Hanc autem perfectiorem intellectionem acquirit homo per operationes naturales intellectus (apprehensionem, judicium, ratiocinium) et per cognitiones naturaliter obtentas. Imo ne ficta sit fides nostra, oportet ut per humanam rationem aliquid *cogitemus* de creditis, secundum quod dicit S. Augustinus : « Credimus enim Dominum Jesum Christum natum de virgine quae Maria vocabatur. Quid sit autem virgo et quid sit nasci et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus » (4).

Intellectio nostra de veris revelatis eo erit perfectior quo mens humana erit magis exculta et applicata ad cogitandum de revelatis. Disciplinae porro quae praecipuum munus habent in constituenda theologica scientia sunt *dialectica* et *metaphy-*

(1) Cf. MELCHIOR CANUS, *Opera theologica*, Romae, 1900, t. I: *De locis theologicis*, L, I, c. III, p. 5; VAN NOORT, *De fontibus Revelationis*, Amstelodami, 1911, n. 9.
(2) Cf. S. THOMAS, *o. c.*, a. 8; PÈGUES, *o. c.*, p. 43 ss.
(3) Cf. KLEUTGEN, *Die Theologie der Vorzeit*, Münster, 1860, t. IV, n. 295; GARDEIL, *Le donné révélé et la théologie*, p. 222 ss.
(4) *De Trinitate*, L. VIII, c. 5.

sica (1). Dialectica seu formalis logica « docet quo artificioso ordine inter se schematice construendi ac disponendi sint actus rationis ad hoc ut recte pro sua indole procedant » (2). Inde dialectica informat rationem ut rite rem propositam investiget, dividat in partes, notiones definiat, recte ratiocinetur et demonstret, principia ac conclusiones ordinet. Per metaphysicam introspiciuntur veritates revelatae, quatenus ad illas applicamus notiones de essentiis rerum et principia quae cum essentiis rerum connectuntur. V. gr. revelata veritas secundum quam credimus *in unico Deo esse tres subsistentes nempe Patrem, Filium et Spiritum Sanctum,* enucleatur per metaphysicas notiones de substantia, de hypostasi, de relatione, etc.; per conclusiones; v. gr. quod non possent esse nisi *tres* Personae in Deo (3). Sic obtinentur expressiones seu formulae scientificae seu philosophicae ipsius veritatis revelatae (4): cognitio porro sic obtenta aperit verum et realem dogmatis sensum, estque illi *homogenea,* ut quandoque dicitur (5). Ex dictis intelligitur cur Leo XIII docuerit perpetuum et multiplicem requiri philosophiae usum ut sacra theologia naturam, habitum, ingeniumque verae *scientiae* suscipiat atque induat (6).

Hinc apparet quanta sit necessitas philosophiae verae ad hoc ut quis possit veram acquirere scientiam theologicam. V. gr., si quis falsam teneret notionem de persona, etiam falsum cogitaret de Trinitate et de Incarnatione. Inde complexus veritatum revelatarum nobis indirecte et implicite imponit quaedam principia philosophica, quibus si contradicitur, contradicatur et ipsi fidei necesse est. Quapropter perspicitur ratio et opportunitas praecepti iterum lati nuperrime a Pio X quo jussit ut studiorum theologicorum fundamentum ponatur *philosophia S. Thomae;* ne autem in vanum daretur hoc mandatum curavit Summus Pontifex ut per *S. Congregationem Studiorum* explicite determinarentur principia et majora Thomae Aquinatis pronuntiata quae sancte inviolateque tenerentur (7). Haec enim sunt dictamina rationis naturaliter cognita, quae immutabiliter connectuntur cum veritatibus a Deo revelatis, quae explicationem illarum praebent rectam, et quorum ope ex revelatis rite inferuntur conclusiones.

et eruuntur quae implicite in illis continentur.

2. Speciatim considerandum est quod opus praecipuum theologiae est *ex revelatis eruere ea quae implicite in illis continentur.* Etenim « revelatio potest considerari *quoad se* et *quoad nos* et revelatio quoad nos, distingui quoad *omnes* et quoad *doctiores. Quoad* se scilicet revelatum est quidquid in verbo Dei revelantis per se continetur; *quoad nos* autem quidquid sufficienter nobis innotescit. Quare in revelatis quoad se, a completo revelationis aevo, nullum amplius datur incrementum; in revelatis quoad nos potest dari major minorve extensio, tum quia doctiores nonnulla vident certo revelata, quae vulgus adhuc fugiunt; tum quia temporum decursu, Ecclesiae magisterium potest manifestius proponere veritates hucusque minus certo ut de fide propositas » (8). Hic progressus fit ope inquisitionis theologiae, cujus proinde est ex revelatis eruere ea quae implicite in illis continentur. Sed alia in revelatis implicite continentur *formaliter,* ita ut non sint nisi explicatio eorum quae explicite revelantur; alia vero implicite continentur *virtualiter* tantum, quippe quae sunt *conclusiones* vero ratiocinio illatae ex revelatis (9). Ad priora

(1) Cf. GRABMANN, *o. c.*, p. 311 ss.
(2) DE JAEGHER, *o. c.*, n. 5.
(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXX, a. 2.
(4) Cf. PINARD, ap. D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* art. *Dogme,* col. 1146 ss.
(5) Circa hoc cf. GARRIGOU-LAGRANGE, *Le sens commun, la philosophie de l'être et les formules dogmatiques,* Paris. 1909, p. 117 ss.; GARDEIL, *Le donné révélé et la théologie,* Paris. 1910, p. 187 ss.
(6) Encyclica « Aeterni Patris », 4 Aug. 1879, ap. *Leonis XIII Acta,* Brugis, Desclée, t. I, p. 92.
(7) Vide illa documenta ap. *Acta Apostolicae Sedis,* 1914, t. VI, p. 336, 383, et ap. *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 591 ss. Circa studium doctrinae Thomae Aquinatis egregia quaedam ultimis annis scripta sunt, inter quae: BERTHIER, *L'étude de la Somme théologique,* Paris, 1909; GARDEIL, *o. c.*, p. 285; PÈGUES, *o. c.*, p. XI, s.; RICHARD, *Introduction à l'étude et à l'enseignement de la scolastique,* Paris, 1913, p. 299; HOOGVELD, *Thomas van Aquino,* (naar Dr Grabmann). Utrecht, 1914.
(8) Ita JANSSENS, (post Schaetzler), *o. c.*, p. 44.
(9) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 516 ss.; t. XIV, p. 410 ss.; VAN NOORT, o. c., n. 192 ss.

detegenda spectat theologia *positiva* (v. gr., ipsius est ostendere quomodo in illis, quae nobis explicite revelata fuere de singulari et eminenti sanctitate B. M. V., contineatur formaliter quod fuerit immaculata in sua conceptione et immunis ab omni labe originalis peccati). Ad posteriora detegenda spectat theologia *systematica*, cujus etiam est ordinare in totum logicum omnes veritates revelatas omnesque ex illis deductas conclusiones etiam remotissimas, sive theoreticas, sive practicas.

3. Ex dictis intelligitur quod licet homo, in exsequendo labore intellectuali supra descripto circa revelata, utatur ratione naturali et variis disciplinis naturaliter acquisitis, tamen eatenus *ad theologiam proprie pertinet* aliqua propositio, quatenus *lumine fidei* cognoscitur, sive ipsa sit revelata (1), sive sit ex revelata veritate tamquam conclusio illata. Unde non esset *theologica* cognitio quae, *occasione* tantum sumpta alicujus veritatis revelatae, ex mere naturali rationis lumine acquireretur. Attamen legitimus et opportunus est mos ut in libris theologicis quaedam inveniantur quae *per se* ad scientias vel disciplinas profanas pertinent, quae tamen ad integram intellectus informationem conferunt, quaeque praeterea reducuntur ad theologiam quatenus ad penitiorem intellectum spectant tum ipsius veritatis revelatae, tum conclusionum illius. V. gr. S. Thomas, *Sum. theol.*. I, Q. V, tractat notionem de *bonitate* in communi : haec tractatio, quae mere philosophica est, ordinatur ad hoc ut plene intelligatur qua ratione bonitas conveniat Deo, et cur in S. Scriptura dicatur Deum esse bonum (2).

16. 3) Ipsa dogmata sunt principia theologicae scientiae.

3° Ipsa fidei *dogmata,* quatenus sunt pronuntiata quibus in aliorum cognitionem ratiocinando perveniri potest, sunt theologiae principia.

Dogma, stricte dictum, est sententia divinitus revelata et qua talis, ab Ecclesia ut credenda proposita (3).

Conclusio theologica, stricte dicta, est sententia certa, ratiocinio proprie dicto illata ex dogmate (4).

Opinio scolastica est sententia probabilis quae ad dogmatis vel conclusionis theologicae explicationem proponitur.

Systema scholasticum dicitur complexus sententiarum quae ordinantur sub principiis a quibus derivant. Tria praecipua distinguuntur, scilicet systema S. Thomae, Scoti et Suarezii.

In nuperrimo decreto Sacra Congregatio Studiorum approbavit theses quae sunt doctrinae S. Thomae majora pronuntiata et sancte servanda : sententiae quae iis contradicunt in systemate Scoti et Suarezii jam non approbantur ab Ecclesiae Magisterio, imo improbantur (5).

Ipsa veritas revelata distinguitur *quoad nos* ab ejusdem explicatione philosophica: ita, v. gr. licet omnes catholici credant ac confiteantur Verbum esse vere et realiter hominem et proinde in Christo unicam esse personam

---

(1) Jam diximus ope theologiae fieri ut veritates explicite credendae proponantur ut a Deo revelatae, quae prius non nisi implicite credebantur. Veritates revelatae sunt *principia* scientiae theologicae, ut infra dicemus.

(2) Etiam in libris philosophicis contingit ut quaedam habeantur quae ad philosophiam proprie dictam non pertinent. V. gr. ad hoc ut perfecta acquiratur cognitio de *psychologia* praemitti possunt notiones de *physiologia:* utriusque unio in eodem libro non mutat diversam rationem utriusque disciplinae, et physiologia non fit psychologia. Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 368; REINSTADLER, *Elementa philosophiae scholasticae*[7], Friburgi, 1913, t. II, p. 3 s.

(3) Cf. KLEUTGEN, *De ipso Deo,* n. 85; TIXERONT, *Histoire des dogmes,* Paris, 1905, t. I, p. 1 ss.; VAN NOORT, *o. c.*, n. 210.

(4) Cf. KLEUTGEN, *o. c.*, 92 ss.

(5) *Acta Apostolicae Sedis,* 1914, t. VI, p. 338, 383; Cf. *Collat. Brug.*, t. XIX p. 593 et 596.

simul ac duas naturas, tamen quatuor proponuntur explicationes diversae circa ipsam unionem hypostaticam (1).

Illae possunt singulae libere propugnari, ne tamen inde concludas eas esse omnes intrinsece probabiles. Nec inordinate agit qui unam ut *certam* defendit, quando ejus demonstrationem habet perspectam.

Nota. Fieri potest ut aliqua propositio sit *et* revelata, *et* conclusio theologica, *et* solo naturalis rationis lumine cognita. V. gr. Revelatum est hominem esse liberum; hoc idem inferri potest ex hoc quod revelatum est hominem posse vere mereri vitam aeternam vel juste puniri aeterno supplicio; tandem hoc etiam cognosci potest naturali cognitione. Ecclesia potest etiam infallibiliter definire sententias certo illatas ex revelatis, vel solo rationis lumine certo cognitas: illae possunt tum etiam adhibere tamquam principia in theologia, quatenus tenentur fide ecclesiastica (2).

16bis. Ulterior explicatio de notione dogmatis.

Dogma definitur sententia divinitus revelata et, qua talis, ab Ecclesia ut credenda proposita (3).

Dicitur 1° *sententia* vel *veritas :* hoc intelligitur *objective :* nempe dogma est ipsa res a Deo revelata et expressa sermone humano: illa res est objectum fidei. Quum ipsa res revelata exprimatur in sermone humano, quaedam distinctio est admittenda inter ipsum *dogma* et ejusdem *formulam verbalem* : nam idem potest exprimi diversis formulis. Inde intelligitur posse dari mutationem et progressum in formula dogmatis, quin sit ulla mutatio in dogmate nempe in ipsa re revelata et credenda.

Dicitur 2° : *divinitus revelata,* h. e. veritas ab ipso Deo *immediate* communicata uni homini vel pluribus, deinde vero ab illis tradita ad alios homines.

Dicitur 3° : *qua talis, ab Ecclesia ut credenda proposita :* haec propositio fit vel solemni judicio vel exercitio magisterii ordinarii et universalis (4).

Nota. Auctores quidam catholici, qui definitionem dogmatis modo expositam tenent, et circa progressum doctrinae catholicae non adhaerent errori, tamen incohaerenter loquuntur de *evolutione* dogmatis. Haec enim expressio justificari nequit, quum nulla detur evolutio *ipsius dogmatis :* nam dogma manet immobile, quum sit veritas a Deo revelata; sed de dogmate tamquam de objecto cognoscibili, augeri potest et perfici ipsa *cognitio,* nempe *fides* (5) tum singulorum fidelium, tum illorum qui potestatem docendi in Ecclesia exercent, tum omnium fidelium (6). Cum hoc profectu crescit etiam numerus propositionum quae *explicite* ut credendae proponuntur.

Quamobrem relinquenda est expressio: evolutio dogmatis vel dogmatum: *primo,* quia sanae doctrinae non est cohaerens; *deinde,* quia Modernistae illa utuntur ad exprimendum et confirmandum errorem quo tenent : « dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem, tum quod ad realitatem attinet, non esse nisi intel-

---

(1) Cf. VAN NOORT, *De Deo Redemptore,* Amstelodami, 1910, n. 47 ss.

(2) Cf. BILLOT. *De virtutibus infusis,* Romae, 1921, thes. XIII, p. 268; VAN NOORT, *De fontibus Revelationis,* n. 246; *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 418 ss.

(3) De sensu quo adhibebatur vocabulum *dogma* apud philosophos paganos, in S. Scriptura et apud priores Ecclesiae Patres, cf. PINARD, ap. D'ALÈS, *dict. apolog. de la foi cath.,* art. *dogme,* col. 1122.

(4) Cf. VAN NOORT, *De fontibus Revelationis,* n. 206 s.

(5) Praeter fidem crescere et evolvi potest scientia fidei, nempe theologia: ordinariò utraque simul proficit.

(6) Quod declaravit *Concilium Vaticanum, Const., de fide catholica,* c. 4, *Enchir.* n. 1800.

ligentiae christianae interpretationes, evolutionesque quae exiguum germen (1) in Evangelio latens exterius incrementis auxerunt perfeceruntque » (2).

CAPUT III

DE THEOLOGIAE PRAESTANTIA

17. Theologia aliis scientiis praestat, tum quà est theoretica,

Theologia omnibus scientiis praestat. Quod S. Thomas sic demonstrat (3): theologia, quae est *una* scientia, est praecipue theoretica et etiam practica.

Quà theoretica, alias scientias superat : *a*) ratione *certitudinis* : aliae enim scientiae certitudinem habent ex solo naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; theologia vero principaliter certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest (4); *b*) ratione *dignitatis materiae* seu excellentiae objecti : aliae enim scientiae considerant tantum ea quae rationi subduntur; theologia vero est principaliter de iis quae sua altitudine rationem superant.

tum qua practica.

Quà *practica,* theologia omnes alias scientias practicas superat ratione *finis* ad quem dirigit omnes humanos actus : ille finis est ultimus, est enim aeterna beatitudo : ad hunc finem ordinantur omnes fines aliarum scientiarum.

Tandem alias scientias omnes superat theologia quatenus est *scientia subalternata scientiae Dei et beatorum* et quatenus est *velut quaedam impressio divinae scientiae* in nobis (5).

18. Est sapientia.

Corollarium. Theologia est *sapientia.* « Cum enim sapientis sit ordinare et judicare; judicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur, ille sapiens dicitur in unoquoque genere qui considerat causam *altissimam* illius generis... Ille igitur qui considerat simpliciter *altissimam* causam totius universi, quae Deus est, maxime sapiens dicitur... Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo secundum quod est altissima causa : quia non solum quantum ad illud quod est per creaturas cognoscibile... sed etiam quantum ad id quod notum est sibi soli de seipso et aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia » (6).

---

(1) Comparatio germinis, in humo depositi et evolventis sese in arborem, fuit etiam a quibusdam catholicis adhibita ad illustrandum progressum in fide seu in doctrina christiana: illa tamen comparatio non est apta: praesertim in hoc deficit quod germen *ipsum,* utpote vivens substantia, realiter et *intrinsece* crescit et augetur: cum dogma, e contrario, *ipsum* sit immobile et illi *extrinsecus* crescat cognitio humana. Cf. VALLET, *Les fondements de la connaissance,* p. 360; GARDEIL, *Le donné révélé et la théologie,* p. 155.

(2) Propos. 54ª in decreto « Lamentabili » *Collat. Brug.,* t. XII, p. 526; *Enchir.,* n. 2054.

(3) *Sum. theol.,* I, Q, I, a. 5.

(4) Hic designatur certitudo quam ipsa veritas revelata, qua talis, nata est conferre intellectui; attamen, propter debilitatem nostri intellectus, facilius, licet inordinate, dubia exsurgere possunt contra veritates revelatas quam contra veritates naturaliter notas.

(5) Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.,* I, A. I, a. 2, et a. 3 ad 2.; GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.,* p. 20.

(6) S. THOMAS, *l. c.,* a. 6. — In cognitione mere naturali, philosophia est *sapientia* quia *ultimas* et *altissimas* scrutatur causas rerum omnium universim et ideo distinguitur a *scientiis particularibus,* quae in rerum rationibus proximicribus et specialioribus se continent. Ita DE JAEGHER, *o. c.,* n. 1.

Caput IV

DE ANIMO QUO THEOLOGIAE STUDIO SIT VACANDUM

19. Studium fiat recta intentione,

1. Opus acquirendi hanc scientiam, sicut quodlibet opus, ordinari debet ad ultimi finis consecutionem (1), et proinde in illo labore intendere debet unusquisque gloriam Dei, illudque, quoad tempus illi impertiendum, regulare secundum officia status sui.

ardenti sciendi desiderio.

2. Quum autem theologia superet excellentià suà scientias omnes, ipsa summo cognoscendi desiderio est prosequenda; quum Deus ipse sit hujus scientiae subjectum attributionis, nullum datur cognoscibile quod magis juvat ad hominis perfectionem. « Cum perfectio hominis consistat in conjunctione ad Deum, oportet quod homo ex omnibus quae in ipso sunt, quantum potest, ad divina innitatur et adducatur ut intellectus contemplationi et ratio inquisitioni divinorum vacet » (2).

20. Haec praesertim in clerico requiruntur,

Clericus autem et sacerdos, 1°) vi status, specialem ac gravissimam *obligationem* habet studendi theologiae, non solum ut propriam sed etiam ut aliorum curet perfectionem : oportet enim *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (3). Quod officium nostris praesertim diebus necessarium est ac difficile, quum aetate hac nostra quamplurimi in christiano populo sunt qui in summa ignoratione eorum versentur quae ad salutem aeternam nosse oportet (4). Ut hoc munere fungi rite possint sacerdotes, et simul ut propriae consulant perfectioni, non faciunt satis qui totum studium suum convertant in theologiam quamdam (si hoc nomen illa meretur) mere casuisticam ejusque conclusiones ultimo practicas, ut aiunt; sed oportet ut theologiam *dogmaticam* et *principia* rei moralis intelligere, praedicare et propugnare valeant (5).

cujus etiam est ex zelo studere, cum pietate,

2°. *Modus,* quo praedictum studium fieri decet, apparet ex statim dictis : fiat igitur ex amore Dei, zeloque erga animas salvandas; cum pietate (6), proinde cum ardore, perseverantia et animi firmitate in difficultatibus superandis, necnon postuletur sapientia a Deo qui dat omnibus affluenter (7).

cum modestia,

Oportet etiam ut cum modestia homo de divinis inquirat. Contra quod « tripliciter potest homo peccare. Primo ex praesumptione, quia scilicet sic ea scrutatur aliquis quasi perfecte comprehensurus... Secundo ex hoc quod in his quae sunt fidei, ratio praecedit fidem, non fides rationem, dum scilicet

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 631 ss.
(2) S. Thomas, *In Boëtium de Trinitate*, c. II, a. 1.
(3) *Ad Tit.*, I, 9.
(4) Cf. Pius X, *encyclica* « *Acerbo nimis* » de christiana doctrina tradenda, ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 337 ss.
(5) Legatur omnino praefatio ad *Meditationes theologicas* Illmi ac Revmi Waffelaert, ap. *Collat. Brug.*, t. I, p. 57.
(6) Cf. Mahieu, *o. c.*, p. 42, 103 ss.; et *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 9-10.
(7) *Jac.* I, 5.

aliquis hoc solum vult credere quod ratio potest invenire, cum debebat esse e converso... Tertio ultra modum suae capacitatis ad divinorum perscrutationem se ingerendo » (1).

qua rationabiliter diffidens propriis viribus adeat magistros ab Ecclesia probatos praesertim S. Thomam;

Modestia, de qua hic agitur, in prudentia ac in humilitate radicem habens, consistit in animi habitu quo homo agnoscit fallibilem esse in operando intellectum humanum et proinde debito modo diffidit suis viribus, rationabilemque nutrit timorem ne erret : proinde docilis adit illos magistros quos ipse Deus posuit ut doctrinam sacram tuerentur ac evolverent, quos, ex constanti supremi Magisterii Ecclesiae monito, cognoscimus esse sanctos Patres et scholasticos theologos (2), quos inter prorsus eminet S. Thomas Aquinas, quippe qui ipse « doctores sacros, quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est » (3). Hujus igitur doctrina imprimis est non quidem *credenda* (quum *scientia* sit acquirenda) sed perscrutanda. Quod studium iterum commendavit ac praecepit Summus Pontifex Pius X, in Motu proprio de studio doctrinae S. Thomae Aquinatis in Scholis catholicis promovendo, dato die 27 Julii 1914. In quo legimus : « Itaque omnes qui philosophiae et sacrae theologiae tradendae dant operam, illud admonitos jam voluimus, si ullum vestigium, praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore. — Nunc vero hoc praeterea edicimus, non modo non sequi Thomam, sed longissime a sancto doctore aberrare eos, qui, quae in ipsius philosophiae principia et pronuntiata majora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant. Quod si alicujus auctoris vel Sancti doctrina a Nobis Nostrisve decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus atque ita etiam, ut ad laudes suasio jussioque adderetur ejus vulgandae et defendendae, facile intelligitur eatenus comprobata, qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret » (4). V. suprà, n. 16.

21. caveat a scepticismo,

Ne praedicta modestia confundatur cum quodam scepticismo practico, cum consuetudine quasi semper dubitandi absque ratione positiva (non loquor de dubio mere methodico) ac si ipse valor cognoscitivus intellectus humani vel certitudo theologiae speculativae non admitteretur. Modestia ad hoc movere nos debet ut magna sollicitudine curemus ut Logicae regulas adamussim servemus in operationibus nostris intellectualibus, ut nostram agnoscamus negligentiam vel inadvertentiam, ubi opus est, non vero ut intellectum humanum, qui Dei donum est pretiosissimum et ex essentia sua rectissimum, quasi despiciamus (5).

---

(1) S. THOMAS, *In Boëtium de Trinitate*, l. c.

(2) Cf. Pie IX Syllabus, prop. 13, ap. DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 1713.

(3) CAJETANUS, *In Sum. Theol.* II-II, Q. CXLVIII, a. 4, Cf. Leonis XIII encyclica « Æterni Patris », ap. *Leonis XIII Acta*, t. I, p. 100; Pii X encyclica « Pascendi » ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 674 ss.

(4) *Acta Apostolicae Sedis*, 1914, t. VI, p. 338; *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 523.

(5) Hoc etiam notemus quod si semel demonstrata est aliqua propositio, haec conclusio immutabiliter vera est, etiamsi multi audacter illam negent vel sophismatibus impugnent. Praecipuum igitur opus est ut inquiratur utrum ex certis praemissis recta facta sit illatio.

ab admiratione erga haereticos,

Cum aestimatione et reverentia erga Patres et theologos componi nequit nimia admiratio erga haereticos, praesertim rationalistas ac modernistas : licet illi in quibusdam secundariis quaestionibus potuerint vera detegere ac rite exponere, tamen maxima est in operationibus intellectualibus ipsorum inordinatio, qua praecipua ac fundamentalia omnis scientiae principia negant (1) : eatenus illi in *bona fide* versari possunt, quatenus ignorantia laborant.

et a neglectu Scholasticae.

Contra modestiam et prudentiam agit qui scholasticam et doctrinam ac methodum negligit, et haereticorum opera fiducialiter legit, quin sufficienter informatus sit scholastica philosophia ac theologia, sine quibus non capax est homo detegendi sophismata saepe subtilia erroresque in illis scriptis sparsos.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 349.

LIBER PRIMUS

De Deo uno secundum essentiam

LIBER PRIMUS

De Deo uno secundum essentiam

Prooemium.

22 Tractatus momentum.

Quae hucusque de praestantia theologiae diximus, praesertim valent de illa parte in qua de ipso Deo directa fit consideratio. « Melius est enim, inquit S. Bonaventura (1), vel modicum quid de Deo scire, quam coelestium et terrestrium notitiam habere ». Praeterea « quo sublimiore Dei idea fuerimus imbuti, eo sinceriori sensu reverentiae, humilitatis, amoris etc. replebimur studioque exardescemus virtutum... Multum deinde juvat Dei contemplatio ad altiorem rerum creatarum cognitionem, imo ad contemnenda omnia terrena » (2).

23. divisio.

Christianae porro fidei primaria veritas est quae affirmat unum esse Deum, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, seu « unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate ». Quapropter in *primo* libro sermo erit de Deo uno secundum essentiam et in *secundo,* de Deo trino in personis.

Libri primi erunt partes duae quarum *prima* de iis quae pertinent ad *substantiam* Dei aget, *secunda* de iis quae pertinent ad *operationem* Dei.

(1) *In III Sent.*, dist. XXIII, a. 1, q. 4, ad 5. *Opera omnia*, Quaracchi, 1882-1902, t. III, p. 483.
(2) HURTER, *Theologiae dogmaticae compendium*, Oeniponte, 1896, t. II, n. 1.

PARS PRIMA

De iis quae pertinent ad substantiam Dei.

SECTIO PRIMA

De existentia Dei

CAPUT I

STATUS QUAESTIONIS

ARTICULUS Is. **De cognoscibilitate existentiae Dei.**

24. Origo notionis de Deo.

1) *Nomine Dei* significamus ens supremum, personale, realiter distinctum a mundo visibili et ejusdem causam. — Eodem sensu sumunt vocabulum illi qui *athei* dicuntur et censent non existere Deum. — Ejusdem entis existentiam negant, si non verbis saltem re, qui vocantur *pantheistae* et *monistae* (1).

2) *Origo* notionis de Deo. Hic abstrahimus a quaestione *psychologica* de origine idearum nostrarum et consideramus *logicum* ordinem.

a) *De facto,* plerique homines notionem de Deo acquirunt per instructionem ab aliis hominibus acceptam.

b) Sed homo, etiam in praesenti ordine Providentiae, est *physice* capax acquirendi notionem de Deo ex consideratione rerum quae hominem circumdant (2).

c) Quoad viam qua homo potest naturaliter sibi comparare ideam de Deo : ex consideratione propriae animae, tamquam principii substantialis ac spiritualis potest homo assurgere ad apprehensionem spiritus infiniti et ad quaestionem utrum hoc ens existat (3). Etiam ex consideratione rei *effectae* seu *causatae* connaturaliter assurgit homo ad ideam entis primi quod est causa non-causata.

---

(1) Nomine *Monismus,* generice sumpto, designatur doctrina quae dicit primum principium mundi esse *immanens* phaenomenis, non adaequate distinctum ab illis. Monismus opponitur *Dualismo* qui admittit Deum realiter et adaequate distingui a mundo visibili. Cf. BEYSENS, *Theodicea,* Amsterdam, 1907, n. 9 vv.

(2) Cf. VAN DER MEERSCH, *De divina gratia,* 2a ed., Brugis, 1924, n. 34 ss.

(3) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicae,* ap. *Collat. Brug.,* t. I, p. 518-521; *Méditations théologiques,* t. I, p. 42 ss.; *Goddelijke beschouwingen,* bl. 70 vv.

ARTICULUS II^us^. **De demonstrabilitate existentiae Dei.** (1).

Quando homo confusam saltem notionem habet de ente quod vocatur Deus, surgit quaestio *utrum sit Deus.*

25. Variae sententiae non admittendae circa demonstrabilitatem existentiae Dei:

Circa modum quo judicium : « *Deus est* seu *existit* » in nobis firmum seu certum stabilitur, non paucae fuerunt opiniones diversae : quarum praecipuas indicabimus ut pateat status quaestionis tractandae.

argumentum S. Anselmi,

Imprimis notamus duo argumenta quae ut invalida habemus.

Primum est argumentum quod S. Anselmo (1033-1093) attribuitur et quo existentia Dei *a priori* demonstratur, nempe ex analysi notionis entis quo majus cogitari nequit (2). Disputatum est tum circa ipsum sensum argumenti, tum circa S. Anselmi mentem de vi demonstrativa illius. Sed dubitare non valemus quominus praedictum argumentum sit vere ontologicum ac *a priori* et fuerit a S. Anselmo propositum ut per se validum (3).

Talis autem ratiocinatio est sophistica, quia continet indebitum transitum ab ordine mere logico ad ordinem ontologicum. Etenim si *mente* concipio ens quo majus cogitari nequit, *concipio* ens necessario existens; sed ex hoc solo quod in mente mea efformo conceptum entis necessario existentis, nequeo statim inferre existere *extra mentem* tale ens (4).

26. Cartesii.

Nec etiam admittendum est aliud argumentum np. Cartesii (1590-1650) quod non quidem *a priori* est, sed *a posteriori.* Sic ratiocinatur: habemus in nobis ideam entis *infiniti;* atqui haec idea nequit a nobis effici, quia ejus objectum est omnino supra nos; ergo haec idea in nobis producitur ab ipso *Ente infinito,* quod proinde existit (5). Huic ratiocinio respondetur *negando minorem.* Et sane ideae entis infiniti in nobis productae ratio sufficiens invenitur in modo nostro naturali cognoscendi, quo ex consideratione entis finiti assurgimus ad notionem entis infiniti. — Nec pessumdatur valor objectivus nostrae cognitionis ex hoc quod habeat homo notionem alicujus entis non actu existentis : concipere enim possum aliquid ut *possibile,* abstrahendo ab actuali ejusdem existentia. Ita, v. gr. in geometria considerantur variae figurae corporis quanti, abstracte sumpti, et logice circa illas demonstrantur theoremata, quin a parte rei existant corpora talis figurae quantitativae.

27. Doctrinae non admittendae: **Agnosticismus**

A saeculo XVIII invaluerunt quaedam doctrinae quae hoc inter se commune habent quod valorem objectivum seu vere cognoscitivum intellectui humano partim denegant et proinde *demonstrationem* existentiae Dei non jam admittunt, vel saltem plenam ejusdem vim non agnoscunt.

---

(1) Ponitur distinctio inter *cognoscere* Deum et *demonstrare* Deum existere: a) quia haberi potest notio de ente quin possit vel debeat demonstrari ejus existentia; b) quia nostris praesertim diebus haec distinctio in usu est.

(2) S. ANSELMUS, *Proslogium,* c. 2.

(3) Cf. JANSSENS, *o. c.,* p. 101 ss.; BAINVEL, ap. VACANT, *Dictionnaire de théologie catholique,* art. ANSELME, col. 1350 ss.

(4) Cf. S. THOMAS, *Summa cont. Gent.,* L. I, c. 10 et 11; *Sum. theol.,* I, Q. II, a. 1, ad 2; KLEUTGEN, *La philosophie scolastique* (trad. Sierp), Paris, 1870, t. IV, n. 937; BILLOT, *De Deo,* Romae, 1926, thes. III, § 2; *Collat. Brug.,* t. VII, p. 439.

(5) Cf. Card. MERCIER, *Critériologie*[5], Louvain, 1906, n. 94.

Reid, *Reid* (1710-1796), qui scepticismum ab Hume defensum impugnat, admittit in homine quemdam *instinctum* (*common sense*), quo instinctive et quasi caece, nempe absque cognitis motivis persuasionis, adhaeremus quibusdam veritatibus, inter quas est existentia Dei (1).

Kant, *Kant* (1724-1804) negavit valorem objectivum cognitionis rationis *speculativae* de omni re supra-sensibili, consequenter de Deo; etiam negavit posse *demonstrari* existentiam Dei ratiocinio; sed admittebat valorem absolutum rationis *practicae,* nempe judicii quo homo affirmat se habere obligationem moralem (*imperativum categoricum*): obligatio consideratur quasi phaenomenon, ut factum quod immediate percipitur; quum haec obligatio nequeat admitti nisi tribus praesuppositis, scil. libertate humana, immortalitate animae humanae, et existentia Dei (sub conceptu entis concedentis felicitatem): ideo Kant admittebat existentiam Dei. Actus vero quo homo tenet Deum existere non est actus rationis speculativae, non est conclusio ratiocinii proprie dicti, sed est aliqua *fides,* adhaesio nempe ineluctabilis et quasi caeca, non data propter auctoritatem testis (2).

Jacobi, *Jacobi* (1743-1804) (protestans) sese opposuit criticismo Kantii. Ipse Jacobi distinguit *sensum, rationem* (h. e. facultatem intellectivam procedentem per ratiocinia) et *intellectum* (h. e. intellectum immediate, absque ratiocinio, aliquid cognoscentem » (3), et tenet quod sicut sensus immediate percipit res sensibiles ita *intellectus* immediata quadam spirituali sensatione percipit res suprasensibiles et primo loco ipsius Dei existentiam. Haec immediata perceptio Dei est quasi aliqua intellectualis *sensatio* de Deo et vocatur fides (4).

Schleiermacher, *Schleiermacher* (1768-1834) aliique contenderunt existentiam Dei admittendam esse propter meram *affectionem* et inclinationem cordis seu voluntatis; admiserunt nempe dari in homine aliquem *sensum religiosum, sensum Infiniti,* etiam *sensum* nostrae absolutae *dependentiae* erga ens Infinitum. Praedictae doctrinae maxime convenit nomen *Sentimentalismus.*

Renouvier, *Renouvier* (1815-1903) habetur ut auctor *neo-criticismi* in Gallia. Hic partim rejicit systema Kantii, licet ab illo dependeat: quum enim Kant, ex critica rationis theoreticae, huic omnem valorem cognoscitivum denegat circa res immateriales et veritates metaphysicas; tamen ex critica rationis practicae, huic agnoscit valorem cognoscendi obligationem moralem, et exinde *necessitatem credendi* tria postulata, scilicet libertatem humanam, immortalitatem animae et existentiam Dei. Secundum Renouvier, cognitio humana (prout haec opponitur fidei) omnino limitatur ad sola phaenomena; quaelibet res immaterialis, considerata ut *res in se,* est incognoscibilis, nec notio vere cognoscitiva haberi potest de illa. E contrario, omnis certitudo circa veritates morales (et circa omne quod non est phaenomenon) habetur sola fide. Haec porro fides non est quaedam *necessaria* adhaesio, sicut tenebat Kant, sed dependet a nostra libertate et a nostra passione, nempe ab amore nostro. Inde etiam omnis fides moralis (nempe fides de veritatibus ordinis moralis) est *relativa,* h. e. ita a nobis dependens ut non nisi *relationes* rerum ad nos admittere possimus, et ut non possimus cognoscere res prouti sunt in se ipsis. Inde etiam non potest admitti *existere* aliquod Ens Absolutum et Infinitum (licet incognoscibile) sed notio *Infiniti* est prorsus contradictoria (5).

---

(1) Cf. AENGENENT, *Handboek voor de geschiedenis der wijsbegeerte.* Amsterdam, 1908, n. 135.

(2) Circa doctrinam Kant, cf. RUYSSEN, *Kant,* Paris, 1905: WEISS, *Kant und das Christentum,* Köln, 1904; DRIESSEN, *God en Godsdienst bij E. Kant,* Utrecht, 1912; Mgr SENTROUL, *La philosophie religieuse de Kant,* Bruxelles, 1911; ID., *Kant et Aristote*[2], Louvain, 1913, p. 36 s.; 264 ss; AUG. VALENSIN, ap. D'ALÈS, *Dict. apolog. de la foi cath.,* art. *Criticisme Kantien;* CHARLES, ap. VACANT, *Dict. de théol. cath.* art. *Kant et Kantisme.*

(3) S. Thomas etiam distinguit *intellectum* et *rationem* non quidem ut duas facultates realiter ab invicem distinctas, sed ut duos modos diversos quibus agit eadem facultas. Cf. *Sum. theol.,* I, Q. LIX, a. 1, ad 1; II-II, Q. XLIX, a. 5, ad 3. Cf. *Collat. Brug.,* t. X, p. 243 s. ubi alia usurpatio illorum verborum indicatur.

(4) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 101.

(5) Circa doctrinam Renouvier, cf. OLLE-LAPRUNE, *La certitude morale,* Paris, 1902, p. 313 ss.; EDG. JANSSENS, *Le néo-criticisme de Charles Renouvier,* Louvain, 1904.

Spencer (1820-1904) suas opiniones exposuit praesertim in quinque libris inter se connexis, quorum primus *First Principles* editus est an. 1862. Spencer non admittit posse demonstrari existentiam Dei quatenus ex cognitis effectibus infertur existentia causae, nec admittit posse cognosci naturam Causae Primae ex cognita natura effectuum; sed tenet tamen omnino existere aliquam Virtutem, aliquam Ultimam Realitatem hujus mundi, aliquod Absolutum. *Spencer.*

Hujus entis naturam nullo modo cognoscere possumus, illudque est *Incognoscibile* (1). Sic propugnat Spencer doctrinam quam vocat *agnosticismum* (2) *positivum: agnosticismus* dicitur quia incognoscibilitatem affirmat Entis illius cujus existentiam asserit; *positivus,* quia positive asserit existentiam praedictae Realitatis; opponitur agnosticismo negativo, qualis defendebatur ab A Comte (1798-1857) qui censet nihil ultra phaenomena esse cognoscibile et proinde nec affirmandam nec negandam esse existentiam alicujus entis quod sit extra et supra phaenomena. De agnosticismo postea redibit sermo.

28. Crisis.

Illa systemata brevissime indicavimus, lectorem remittendo ad auctores citatos ut ampliorem de singulis hauriat notitiam. Utilis tamen visa est illa expositio ut appareat fundamentalis error ex quo deinde derivatus est *Modernismus*, de quo postea erit sermo. Error porro fundamentalis consistit in negando vero valore cognoscitivo rationis humanae, et nominatim, a tempore Kantii, in distinctione male intellecta inter rationem *theoreticam* et rationem *practicam,* et inter modum quo cognoscimus phaenomena eorumque leges, et modum quo cognoscimus res immateriales et veritates metaphysicas. Praedicti auctores censent nos de phaenomenis eorumque legibus, etiam de factis quae conscientiâ psychologicâ percipimus, habere veram cognitionem et certam, cui praelucet evidentia et circa quam potest constitui *scientia;* non admittunt nos habere, per abstractionem e cognitis sensibilibus rebus, notionem proprie dictam de rerum materialium essentia (3) et deinde, per prima principia per se nota, mediante ratiocinio recto, nos inferre posse existentiam rerum immaterialium et ulterius statuere circa essentiam illarum rerum conclusiones certas (4). Ex hoc sequeretur omnem cogitationem et sermonem de Deo, de lege morali, de religione, esse derelinquendam. Sed hanc sequelam non admittunt praedicti auctores : recurrunt porro ad aliquam adhaesionem omnino diversam a scientia et statuunt aliquam *fidem* naturalem : haec fides, licet aliter ab aliis explicetur, hoc tamen proprium habet

---

(1) De hoc Ente, secundum Spencer, nulla habetur *scientia,* quippe quae terminatur ad sola phaenomena; existentia Incognoscibilis admittitur adhaesione quae dicitur *fides.* Circa doctrinam Spencer, cf. HALLEUX, *La philosophie d'Herbert Spencer,* in *Revue néo-scolastique,* 1904, t. XI, p. 18 ss.; LAMINNE, *La philosophie de l'Inconnaissable,* Bruxelles, 1903, p. 15 ss.; praesertim DE GROOT, *Denkers van onzen tijd,* Amsterdam, 1910, p. 11 ss., qui *o. c.,* p. 25, animadvertit: « Bij het lezen dezer agnostieke dialektiek gaat onze geest als in en uit een nevel. De oorzaak daarvan zijn die vaak gewraakte tegenstrijdigheden, waarin de schrijver schijnt te geraken door beurtelings het *Onkenbare* op de meest absolute manier te handhaven en van ditzelfde Onkenbare zoovele verheven dingen onverholen te bevestigen. BOUTROUX (*Science et religion dans la philosophie contemporaine,* 1897, p. 114) zeide het met wijsgeeren van allerlei scholen: « Son absolu est force, puissance, énergie, infini, source de conscience, fonds commun du moi et du non-moi, supérieur à l'intelligence et à la personnalité. Peut-on prétendre, dès lors, qu'il est entièrement inconnaissable? »

(2) « Le mot *agnosticisme* a été jeté dans la circulation en 1869 par H. Huxley » CHOSSAT, ap. D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* art. *Agnosticisme,* col. 1.

(3) Haec apud Kant vocatur *noumenon* (cogitabile sed non cognoscibile), est ipsa res in seipsa: *ding op zich* in tegenstelling met *ding voor ons* (sc. phaenomenon). Cf. WILMANN (in 't Nederlandsch bewerkt door VAN ALTDORF), *De wijsgeerige vakwoorden,* Hoogstraten, 1911, bl. 89.

(4) Cf. S. THOMAS, *De veritate,* Q. X, a. 6 ad. 2.

ut sit aliqua adhaesio *caeca* et *dependens a voluntate :* caeca, non hoc sensu quo nos dicimus caecam esse fidem, quia de veritate, cui credendo adhaeremus, non habemus intrinsecam evidentiam, sed hoc sensu quod natura rei, cujus existentia admittitur, nullo modo cognoscitur, et etiam quod non perspiciuntur motiva rationabilia seu principia intellectualia, cur sit adhaerendum tali vel tali propositioni, ideoque sequitur hanc adhaesionem dependere a voluntate, sive necessario agente, sive libere : inde statuitur primatus voluntatis. Voluntatis porro influxum quidam sic exponunt ac si ipsa quasi discerneret verum bonum ab apparente, quia natura sua est ordinata ad bonum.

29. Illa diversa systemata dijudicare et, prout falsa sunt, refutare est munus proprium philosophiae; postea demonstrabimus illa esse incompossibilia cum catholica doctrina circa naturalem hominis cognitionem de Deo. Quaedam tamen breviter notamus :

1) Qui *voluntati* tribuunt capacitatem discernendi, praesertim in re morali ac religiosa, *verum* a falso, vel id cui est adhaerendum ab eo cui non est adhaerendum, confundunt essentiam facultatis *appetitivae* cum essentia facultatis *cognoscitivae*. Voluntas enim ipsa nihil cognoscit, nihil apprehendit intentionaliter, nullius rei, nec ipsius bonitatis, rationem percipit, sed *tendit* in ipsam rem, *quatenus haec ab intellectu apprehenditur ut bona* (1). Inde amor et odium sunt extra ordinem cognitionis, nec judicant; nec etiam amor est signum quod id in quod fertur sit bonum *verum,* quod id in quod fertur sit conforme ordini morali, quod propositio cui complacet sit vera. Nec obligatio moralis consistit in aliqua *physica* voluntatis affectione, proinde obligatio moralis non potest percipi conscientia psychologica (2).

2. Quoad *cognitionem,* praedicta systemata infecta sunt fundamentali errore, quia negant *a*) valorem objectivum primorum et transcendentalium *principiorum* quae per se quoad nos nota sunt, « ex quibus ratio procedit ad cognoscendum in actu conclusiones quae in praedictis principiis potentialiter continentur » (3); *b*) valorem etiam conceptionum, quae « omnibus notae [sunt], ut entis, unius, boni et hujusmodi, a quibus eodem modo procedit intellectus ad cognoscendam quidditatem uniuscujusque rei, per quem [modum] procedit a principiis per se notis ad cognoscendas conclusiones » (4).

Ipsissima igitur natura cognitionis, quae homini propria est, destruitur in illis systematibus (5).

Quoad *ratiocinium,* scholastici etiam distinguunt ex parte *materiae* « ratiocinium *purum, empiricum* et *mixtum*, pro eo quod discursus procedit ex praemissis aut *binis analyticis,* aut *binis syntheticis,* aut *unà analytica* et

---

(1) Cf. S. THOMAS, *De veritate,* Q. X, a. 10 ad 8; *Sum. theol.,* I, Q. LXXII, a. 3; *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 239 s.

(2) De hac re postea loquemur.

(3) S. THOMAS, *Quodlibetum VIII,* a. 4.

(4) S. THOMAS, *l. c.*

(5) Veram doctrinam rite expositam et vindicatam vide apud DE JAEGHER, *o. c.,* n. 99-138.

alterà synthetica » (1). Sed ratiocinii valor, seu ipsius *consequentia,* seu vis, qua ex praemissis legitime statuitur conclusio, non dependet a *materia* circa quam versantur praemissae et conclusio. Inde principium causalitatis, quod est transcendens principium, non minus valet, quando ex illo legitime infertur existentia causae primae incausatae quam quando infertur legitime aliqua lex circa phaenomena, vel quando statuitur natura phaenomenorum vel natura rerum materialium. Quod si hoc negatur, negandus est etiam valor *inductionis,* quae fundatur in principio causalitatis (2). Nec objici potest leges naturales esse objectum *experientiae.* Leges enim naturales, praecise quà *universales,* non sunt objectum experientiae.

3. Praeterea auctores, qui defendunt praedicta systemata et multos scribunt de illis libros, hoc ipso facto oppositionem contradictoriam ponunt inter rationem suam agendi et theses quas propugnant.

Etenim adhibent eadem *vocabula* quibus utuntur homines omnes: v. gr. verum, bonum; intellectus, voluntas; cognitio, amor; sensibile, intelligibile; phaenomenon seu res formaliter quà apparens, substantia seu res in se ipsa; causa, effectus, etc. Illis vocabulis correspondent in mente eorum *ideae* seu notiones quae aliquid repraesentant. Deinde cum illis vocabulis constituuntur *propositiones* quae exprimunt *judicia* interna mentis. Porro judicium consistit in affirmando vel negando *objectivam identitatem* inter praedicatum et subjectum, v. gr. quando judico: homo est liber, affirmo id quod repraesentatur intelligibiliter per notionem *homo* esse realiter idem ac id quod repraesentatur intelligibiliter per notionem: *liber,* h. e. subjectum habens libertatem. Auctores igitur, de quibus agitur, si non meris ludunt verbis, sed si intendunt aliquid dicere et docere, ipso facto quod judicant, agnoscunt implicite et exercite se intellectu cognoscere *id quod est* seu *realitatem;* quodsi agitur de rebus immaterialibus, iterum agnoscunt se cognoscere *res immateriales:* v. gr. quando asserunt: obligatio moralis est in homine, vel: obligatio moralis praesupponit libertatem. Bene deinde notemus cognitionem de eo quod repraesentatur notione immateriali non solum requiri in judicio affirmativo sed etiam in *judicio negativo.* Si quis judicat, v. gr., obligatio moralis non est in homine, oportet ut quid sit obligatio moralis, quid homo, perspectum habeat aeque ac ille qui judicat: obligatio moralis est in homine. Etiam si quis asserit: ipsa substantia rerum non est cognoscibilis, oportet ut admittat se intelligere id quod designatur nomine *substantiae* et id quod designatur nomine *cognoscibilis,* et proinde ut admittat se distinguere inter res quorum aliae sunt cognoscibiles, aliae non cognoscibiles, tandem ut admittat se habere notionem *cognoscibilitatis,* quae est omnino immaterialis.

Omnia proinde judicia quae faciunt illi auctores de intelligibilitate, de

---

(1) DE JAEGHER, *o. c.*, n. 168.

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c., n.* 172. — De valore ontologico et transcendentali principii causalitatis et de modo quo dependet a principio omnino primo, seu principio identitatis, cf. GARRIGOU-LAGRANGE, ap. D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* art. *Dieu,* col. 968 ss.

veritate, de certitudine, de moralitate, de causalitate, vel vana sunt et quasi stupide feruntur, vel supponunt cognitionem de rebus immaterialibus, cognitionem quae ultra pura phaenomena seu apparentias rerum protenditur ad essentias rerum attingendas et ad ipsum esse. — Praeterea illi auctores ad stabiliendas theses afferunt rationes cur sit id quod affirmant esse vel cur non sit id quod negant esse, contendunt justificare sua asserta, etiam argumenta impugnant quorum conclusio est opposita thesi quam defendunt (1): ergo et ipsi physica necessitate *ratiocinantur,* nempe ex uno cognito inferunt aliud; eo ipso agnoscunt implicite quod intellectus capax est perspiciendi *consequentiam* inter praemissas et conclusionem. Consequentia autem non est phaenomenon. Illa porro ratiocinandi capacitas est, per se, independens ab objecto materiali circa quod versantur praemissae et conclusio: ratiocinii enim regulae extra omnem *determinatam* materiam stabiliuntur et valent (2); irrationabile esset contendere ratiocinium seu discursum valere tantum circa phaenomena, quum essentialiter eadem sit illa operatio circa quodlibet objectum: quapropter de rebus immaterialibus mediante recto ratiocinio haberi potest scientia proprie dicta, cujus certitudo est perfecta et absoluta, et quae determinatur ab evidentia. Non igitur admittendum quod tantum *fides* quaedam habeatur de enuntiabilibus quae spectant moralitatem et religionem.

30. **Traditionalismus:**

Traditionalistae etiam minus aequo tribuunt rationi humanae. « In hoc omnes conveniunt asserto, individuam cujusque hominis rationem esse de se *physice impotentem* ut exercitio nativae suae virtutis acquirat sibi notiones intellectuales claras ac certa judicia *de veritatibus pluribus ordinis etiam naturalis:* quare ab origine succurrendum ei fuit *directa Dei revelatione,* a primo homine ad singulos successive posteros transmittenda ac transmissa per *traditionem sermonis* et *institutionem socialis magisterii* » (3).

31. qui distinguitur in

Ubi vero definiendi sunt hujus humanae rationis impotentiae *limites,* itemque ubi explicandus est *modus* quo per traditionem ei succurritur et quo primitiva revelatio sit intelligenda, Traditionalistae inter se discrepant.

rigidiorem: de Bonald,

1. *Rigidiores* quidem volunt, absque *magistrali institutione,* cognitiones intellectuales nobis oriri non posse *ullas.* Per appulsum nempe externae loquelae, homini cuivis *innatae ideae* a sopore *excitandae* sunt et, ut prodeant, sermone *vestiendae:* quum igitur nequiverit homo ipse invenire sermonem, nec hoc etiam potuerit societas humana, quippe quae supponit sermonem, relinquitur ut ipse Deus primo homini dederit sermonem et in sermone manifestaverit veritates cognitu necessarias ordinis religiosi, moralis, socialis, quales sunt: existentia Dei creatoris, legislatoris et judicis, etc. Auctoritati igitur Dei loquentis innititur omnis cognitio. Ita docebat *de Bonald* (1754-1840) (4), praesertim in opere *Recherches philosophiques sur les premiers objets des connaissances morales,* Paris, 1818.

Lamennais,

Lamennais, edidit opus *Essai sur l'indifférence en matière de religion,* in quo

(1) Impugnant multum, et quandoque subtiliter, scholasticorum demonstrationes quibus statuitur existentia Dei.

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 60 ss.

(3) DE JAEGHER, *o. c.*, n. 438; cf. etiam POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik*[5], Paderborn, 1911, t. I, p. 25 ss.

(4) De cujus vita et doctrina cf. CONSTANTIN, ap. VACANT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Bonald.*, col. 958 ss.

denegat rationi *ratiocinanti* capacitatem gignendi quamlibet certitudinem (1); *fides* vero absolutam nobis tribuit certitudinem, quatenus nititur *sensui communi,* nempe consensui omnium hominum in aliquo admittendo (2); jamvero datur veritas quaedam generis humani consensu unanimi admissa et universaliter expressa, scilicet existentia Dei, causae intelligentis omnium quae sunt (3). Haec fides est principium omnis certitudinis et nititur auctoritati Dei ipsius qui, secundum universalem traditionem, se manifestavit sensibiliter homini et revelavit ipsi veritates fundamentales (4). Homo proinde non potuit cognoscere quidquam absque cognitione Dei, non autem potuit cognoscere Deum absque sermone: neque potuit ipse homo invenire sermonem (5). Quapropter in ipso sermone tradito revelavit Deus veritates fundamentales et ipsius Dei auctoritas est fundamentum quo nititur omnis certitudo (6). Tandem a primo patre ad filium et sic porro a generatione ad generationem *traduntur* eaedem primitivae veritates (7).

in mitigatum: Bonnetty, Ventura

2. Alii Traditionalistae, *mitiores,* tenent Traditionem et proinde divinam revelationem homini necessariam esse tantum ad veritates fundamentales *religionis naturalis,* quales sunt existentia Dei, existentia legis naturalis, immortalitas animae, existentia vitae futurae, *inveniendas et certo cognoscendas,* non autem ad illas *demonstrandas* quum semel traditae sunt. Ita docebant *Bonnetty* (1798-1879) (8), *Ventura* (1792-1861).

in adhuc mitiorem: Ubaghs;

3. Alii *adhuc mitiores* concedunt hominem, quando ad expeditum usum rationis pervenit, posse demonstrare existentiam Dei, aliasque veritates fundamentales religionis, sed tenent *institutionem socialis magisterii* requiri tamquam *conditionem sine qua non* ut mens humana possit ad expeditum usum rationis pervenire et proinde capax evadat habendi de Deo existente, de immortalitate animae etc. cognitionem claram ac certam. Praedicta institutio est aliquod auxilium intellectuale externum quod ultimatim supponit interventum Dei, et est necessaria *absolute* in eo statu in quo nunc nascitur homo. Ita docebant *Ubaghs* (1800-1875) (9), aliique (10).

32. ulterius explicatur,

In illis diversis explicationibus hoc commune est quod nativae vi rationis humanae denegatur capacitas sibi acquirendi claram, distinctam ac certam cognitionem de Dei existentia, aliisque veritatibus metaphysicis: huic defectui supplendum dicitur per *fidem* quamdam; hoc tamen nomine non idem designant Traditionalistae quod Kantiani: hi enim intelligunt quamdam caecam et ineluctabilem adhaesionem ad objectum quod in se est incognoscibile; illi vero actum credendi propter auctoritatem magisterii socialis ultimatim innixum Deo, actum porro credendi quo obtineri potest cognitio proprie dicta, imo clara, distincta ac certa de veritatibus metaphysicis.

---

(1) « Le mot raison désigne deux facultés totalement distinctes... la faculté de connaître et la faculté de raisonner. La raison, dans le premier sens, est le fonds même de notre nature intelligente. Etre intelligent au raisonnable, c'est être capable de connaître la vérité... La raison, dans le second sens, est l'opération de l'esprit par laquelle, comparant des vérités connues, nous en découvrons les rapports et nous en tirons des conséquences » LAMENNAIS, *Essai sur l'indifférence en matière de religion,* Gand, 1820, t. II, p. 93 s. Contendit porro auctor illa operatione nunquam gigni certitudinem, *o. c.,* p. 101-109.

(2) *O. c.,* p. 105 ss.

(3) *O. c.,* p. 110 ss., 125 ss.

(4) *O. c.,* p. 137-171.

(5) *O. c.,* p. 172 s. Hic invocat auctor opus conscriptum a De Bonald.

(6) *O. c.,* p. 173 ss.

(7) *O. c.,* p. 178 ss. Circa vitam et doctrinam Lamennais cf. A. FONCK, ap. VACANT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Lamennais.*

(8) Cf. DUBLANCHY, ap. VACANT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Bonnetty,* col. 1019 ss.

(9) Cf. DE WULF, *Histoire de la philosophie en Belgique,* Bruxelles, 1910, p. 301 ss.

(10) Hoc doctrinae compendium desumpsimus ex epistola quam, anno 1860 Ubaghs aliique professores lovanienses miserunt ad cardinalem de Andrea. Hoc documentum videre est apud *Acta S. Sedis,* t. III, 1867, p. 283 ss. De aliis propositionibus, quas antea propugnaverat Ubaghs, cf. *ibid.* p. 216 ss.

Movebantur etiam Traditionalistae desiderio confutandi rationalistas, qui et quatenus, ad divinam revelationem radicitus evellendam, contendebant veritatum omnium, praesertim earum ex quibus constat religio naturalis, notitiam manare ex absoluta et omnino independenti vi ac spontaneitate mentis humanae, quae a primitiva ignorantia paulatim per evolutionem pervenit ad eum rationis usum quo principia et praecepta religionis naturalis clare et distincte cognovit. Contra hoc asserebant Traditionalistae incapacitatem rationis humanae ad hoc ut per se sola, absque interventu Dei, praedictas veritates cognoscat certo.

33. damnatur ab Ecclesia;

Sed in hoc praecise errabant et Ecclesiae catholicae Magisterium nativam vim ac cognoscendi valorem humanae rationis palam propugnavit.

Hîc abstinemus a refutatione mere philosophica Traditionalismi (1), sed Ecclesiae documenta breviter indicabimus.

Jam anno 1835, L. Bautain (1796-1867) jussus est subscribere sex propositiones, quas deinde, anno 1840, paulo mutatas iterum subscripsit, inter quas ad rem nostram pertinent praecipue sequentes:

« Ratiocinatio potest cum certitudine probare existentiam Dei et infinitam perfectionem ejus. Fides, donum coeleste, posterior est revelatione; hinc non potest allegari contra atheum ad probandam Dei existentiam ».

« Quamvis debilis et obscura reddita sit ratio per peccatum originale, remansit tamen in ea sat claritatis et virtutis, ut ducat nos cum certitudine ad [cognoscendam] existentiam Dei, ad revelationem factam Judaeis per Moysen et Christianis per admirabilem nostrum Hominem-Deum » (2).

Anno 1855, S. Congregatio Indicis exegit a Bonnetty plenam adhaesionem ad quatuor propositiones, quas ille sincere admisit ac subscripsit, inter quas:

« Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandum Dei existentiam contra atheum, ad probandum animae rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi et fatalismi sectatorem, allegari convenienter nequit ».

« Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit ».

« Methodus qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos scholastici non ad rationalismum ducit, neque causa fuit cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, praesertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverunt » (3).

Hisce declarationibus stabilitur haec doctrina (4):

34. vera doctrina stabilitur,

1° Rationis humanae nativa cognoscendi vis, quae remanet in conditione praesenti generis humani, talis est ut possit *ratiocinatione* probare *cum certitudine* existentiam Dei, infinitamque ejus perfectionem, etiam animae spiritualitatem, hominis libertatem. Agitur de rationis humanae *physica potentia,* non de modo quo homines de facto sibi comparant cognitionem de praedictis veritatibus. Asseritur porro rationem humanam posse *ratiocina-*

---

(1) Qua de re cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 439 ss.

(2) *Enchir.*, n. 1622, 1627. Cf. BELLAMY, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Bautain*, col. 482 s.

(3) *Enchir.*, n. 1650-1652. — Eadem quoad substantiam doctrina, quae citatis propositionibus continetur, fuit postea definita in Concilio Vaticano, de quo sermo erit infrà.

(4) Cf. DUBLANCHY, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Bonnetty*, col. 1020 ss.

tione, h. e. illa rationis operatione, qua ex praemissis infertur conclusio, probare existentiam Dei, etc.; asseritur nempe has veritates posse *demonstrari*, et ita quidem ut constet praedictas veritates esse *certas*, tales nempe ut ille, qui demonstrationem intelligat, illis adhaereat *judicio firmo* et *immobili*, cui nulla objectio valeat, objective loquendo, substituere dubium.

2° *Fides*, nempe intellectus adhaesio ad veritates propter auctoritatem Dei revelantis, est *posterior revelatione;* quod significat : homo revelationem a Deo factam prius debet cognoscere quam adhaereat revelatis veritatibus; debet porro existentiam Dei prius cognoscere quam cognoscat factam esse a Deo revelationem; quapropter ipsa fides nequit, absque petitione principii, allegari contra atheum ad probandam existentiam Dei.

3° *Rationis usus praecedit fidem :* nempe naturali rationis vi uti debet homo ut praedisponatur ad fidem divinam, ut nempe cognoscat ea quae sunt praeambula fidei; et quibus conficitur judicium credibilitatis.

4° Usus rationis qui instituitur *secundum methodum S. Thomae*, etc., non est illegitimus, nec conducit ad rationalismum; nempe ad errorem qui ita independentiam rationis humanae exaltat ut exinde rejiciatur divina revelatio et consequenter fides.

35. cujus ratio theologica ostenditur,

Praeter has declarationes, duo afferri possunt argumenta theologica (1) quibus ostenditur Traditionalismum, saltem in rigidiori gradu, *destruere fidem* et *prima fundamenta moralitatis.*

1. Fides prudens et dictamini rectae rationis consona praesupponit judicium credibilitatis, quo quis judicat rationabile et debitum esse ut voluntarius rei revelatae propter revelantis auctoritatem adhibeatur assensus. Quaecumque autem ad hoc judicium requiruntur, debent aliunde constare, non ex sola auctoritate ejus cui creditur; nam secus, nihil aliud poneres quam praevium quemdam *fidei* actum, qui pariter requireret antecedentem aliam notitiam credibilitatis et sic in infinitum. Atqui inter omnia ad evidentem credibiltatem praerequisita, primum et maximum fundamentale est certa de existentia Dei, in quem oportet credere, cognitio. Ergo asserere quod naturalis ratio nequit certo cognoscere Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, idem est ac dicere, christianam fidem nequaquam fieri posse evidenter credibilem, sed a quopiam viro prudente et sapiente jure meritoque esse abjiciendam.

2. *Obligationis moralis* distincta notio seu conscientia haberi nequit nisi praesupposita cognitione de existente Deo, tamquam supremo Domino ac Legislatore (2): nisi enim sciam Deum velle me hoc agere vel hoc omittere, non potero cognoscere me, *velim nolim, necessitari moraliter*, seu teneri, ad hoc agendum vel hoc omittendum: nulli enim, nisi Deo, necessario subjectus

(1) Quae exponemus sequentes card. BILLOT, *De Deo uno et trino*, thes. I, § 2, p. 19 ss.

(2) Aliud est cognoscere aliquam determinatam operationem esse conformem vel difformem humanae naturae, et aliud, determinatam operationem esse *obligatorie* ponendam vel omittendam. Homo physice potest velle non esse perfectum; ut cognoscat se *obligari* ad talem determinatum gradum perfectionis requiritur cognitio de ente superiori ipsi et imponente obligationem. Sola consideratio de natura humana non sufficit ad habendam conscientiam de obligatione.

sum; quodsi non constaret me subjectum esse Deo, liberum arbitrium sibi ipsi foret lex et regula suprema, et pro tanto nunquam obligationi proprie dictae subjiceretur. Jamvero, secundum Traditionalistas, existens Deus cognosci nequit nisi per fidem, haec porro est essentialiter dependens a voluntate: jamvero, ex hypothesi, existentia Dei non ita proponitur homini ut voluntas *physica necessitate* imperet actum *fidei* in hoc factum, ergo homo nunquam necessitabitur ad judicandum se *obligari* ad credendum existere Deum: quum judicium de existentia Dei praecedere debeat judicium de qualibet obligatione morali. Ergo in doctrina Traditionalistarum ruunt prima fundamenta omnis moralitates, nempe cognitio de Legislatore supremo et de consequente obligatione morali.

36. **Ontologismus.**

4° *Ontologistae,* qui a Malebranche (1638-1715) ortum ducunt, docent nos *intueri immediate ens infinitum* seu Deum, et consequenter existentiam Dei non esse demonstrandam sed Deum ut existentem a nobis immediate conspici.

Ontologismus 1°) refutatur ex conscientia quam habemus de objecto proprio intellectus nostri et ex perspecto modo quo in nobis gignitur notio *Infiniti* (1); 2°) proscriptus fuit a S. Congregatione S. Officii.

Non hîc integram expositionem et refutationem ontologismi exhibemus (2). S. Congregatio S. Officii septem propositiones sibi subjectas *tuto tradi non posse* respondit, die 18 Sept., an. 1861 (3). Praesertim ad rem nostram considerandae sunt sequentes:

1ª Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectuale.

2ª Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus est esse divinum.

3ª Congenita Dei tamquam entis simpliciter notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habemus.

4ª Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae qua Deus tamquam ens simpliciter intelligitur.

Hoc in decreto non agitur de origine psychologica ideae vel notionis Dei in nobis (4) sed de *objecto* nostrae cognitionis, et rejicitur sententia asserens ipsum Deum, realiter existentem, esse objectum *immediatum* nostrae cognitionis, esse id quod primo *intuemur* et in quo ac sub quo omnia alia cognoscimus. Non igitur confundenda est notio transcendentalis entis universalissimi cum notione Entis in se subsistentis (5). Hujus Entis, prorsus singularis et unici, notionem non nisi *mediate,* mediantibus judiciis et ratiociniis acquirimus.

---

(1) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 416 ss., 424; *Collat. Brug.,* t. VII, p. 438 s.

(2) Cf. ZIGLIARA, *Summa philosophica*[12], Parisiis, 1900, t. II, p. 367 ss.; ID. *Œuvres philosophiques* (trad. Murgue) Lyon, 1881, t. II et III; FRANZELIN, *De Deo uno,* Romae, 1870, sect. II, p. 122 ss.; DE SAN, *De Deo uno,* Lovanii, 1894, P. 1, n. 18; JANSSENS, *o. c.,* p. 92; BILLOT, *o. c.,* thes. II.

(3) *Enchir.,* n. 1659 ss.

(4) Nec rejicitur hîc opinio Cartesii qui contendit ideam Dei seu Infiniti nobis inesse non posse nisi immediate in nobis a Deo *causetur,* sitque nobis *innata.* De Cartesii sententia cf. card. MERCIER, *Les origines de la psychologie contemporaine,* Bruxelles, 1897, p. 18 ss.

(5) De discrimine inter has binas notiones et de erroribus sequentibus ex utriusque confusione cf. JUNGMANN, *o. c.,* n. 72 s.

37. **Néo-apologetica.**

Neo-apologetae (1) vocantur illi auctores qui, praesertim in Gallia, apologeticam traditionalem vel ut insufficientem habent, vel ut invalidam, contenduntque apologeticae munus magis consistere in excitanda *voluntate* ad credendum quam in demonstranda *intellectui* veritate; quidam videntur intellectui voluntatem substituere. Diversas sententias hîc exponere et dijudicare ad hunc tractatum non pertinet, quum agamus tantum de demonstrabilitate existentiae Dei. Sed etiam circa hoc errant vel dificiunt praedicti auctores: quia vel illam demonstrabilitatem omnino rejiciunt, vel integram vim ejusdem non perspiciunt. Illi nempe auctores, sive inconscii sive conscii, et diverso in gradu, Kantismi influxum subeunt, et alicui *agnosticismo* adhaerent, quatenus rationis humanae ratiocinantis valorem in cognoscendo cum perfecta certitudine veritates metaphysicas non admittunt, et illi defectui supplendum putant per aliquam adhaesionem, quae magis ad voluntatem pertinet, et quam *fidem* vocant. Haec sententia refutatur in exponenda catholica doctrina de demonstrabilitate existentiae Dei: de qua infra erit sermo.

38. *Ollé-Laprune*

1. Operae pretium erit hîc breviter exponere opiniones propugnatas ab Ollé-Laprune († 1898), qui fuit vir ingenio temperatus et justum inquirens medium et tamen confusione quadam circa notiones omnino fundamentales ansam praebuit, ut videtur, erroribus pessimis.

Anno 1880 edidit librum cujus titulus *La certitude morale* (2), in quo inquirit de requisitis in homine ut habeat *certitudinem* de veritatibus quae *ad ordinem moralem* pertinent, et in quo praesertim de *voluntatis* influxu exponendo occupatur (3).

Certitudinem *moralem* vocat, non quidem illam quae consequitur ad *testimonium* testis scientis et veracis, sed certitudo quae *propria est adhaesioni humanae ad veritates ordinis moralis* et quae qualitate differt a qualibet alia certitudine (4).

Veritates autem *ordinis moralis* sunt veritates in se *metaphysicae,* sed quae sunt intime connexae *cum ordine morali;* ordo autem moralis designat omne quod pertinet ad *vitam moralem* seu ad omne exercitium activitatis humanae cui praelucet notio *officii* seu obligationis (5). Porro ordo moralis, sic definitus, nititur praesertim quatuor veritatibus, quae sunt: *existentia legis moralis, existentia libertatis, existentia Dei* et *existentia futurae vitae* (6).

Inquiritur porro de certitudine propria adhaesionis humanae ad illas veritates; jamvero illae quatuor veritates possunt vere *cognosci* ab intellectu humano: etenim lex moralis cognoscitur *experientiâ propriâ* in facto *obligationis* (7), libertas cognoscitur conscientiâ psychologica, Dei existentia cognoscitur ratiocinatione, qua ex mundo cognoscitur causa ejusdem, vita futura etiam ratiocinatione cognos-

---

(1) Cf. GISLER, *Der Modernismus,* Einsiedeln, 1912, p. 251 ss. Circa opiniones cardinalis Newman cf. DE GROOT, *o. c.,* p. 244 ss.

(2) Utimur hujus libri secunda editione, quae facta est anno 1892, et quoad doctrinam, non differt a prima.

(3) « Ce livre... est une étude des conditions de la certitude dans l'ordre des vérités morales. Contre ceux que l'on pourrait nommer les *rationalistes secs,* lesquels n'admettent qu'une sorte de mécanisme logique, il établit qu'il y a pour connaître ce qui est de l'ordre moral, des dispositions morales aussi, nécessairement requises. Contre ceux que l'on peut bien nommer les *fidéistes,* il établit que la vérité est *objective,* comme l'on dit, que la vérité est indépendante de notre vouloir et de notre pensée, et que nous avons à la reconnaître, non à la créer... Il faut vouloir que la vérité soit pour affirmer qu'elle est, mais s'il faut vouloir qu'elle soit, c'est parce qu'elle est ». *La certitude morale*², p. VI-VIII.

(4) *O. c.,* p. 11.

(5) *O. c.,* p. 2-11.

(6) *O. c.,* p. 10, 98.

(7) Hoc non admittendum, uti postea dicemus.

citur (1). Ideo intellectus illis veritatibus assentit, sed contra illas exsurgunt multae objectiones, quas intellectus non plene solvit, quas proinde contemnere oportet, et *fiducia* illis inhaerere; haec porro fiducia est actus voluntatis, ideo requiritur consensus voluntatis, et quidem liber, ut adhaesio nostra ad illas veritates morales sit plenus et permanens et proinde ut habeatur certitudo completa circa illas; haec autem adhaesio, quatenus à voluntate dependet est *fides:* sic tandem nostra adhaesio ad praedictas veritates est *mixta ex cognitione et fide* (2). Ut melius intelligatur, si fieri potest, quid intendat auctor in asserendo necessitatem illius *fidei*, tria notemus: *a)* influxus voluntatis, de quo hîc agitur, non est tantum influxus indirectus quo voluntas applicat vel non applicat intellectum ad considerationem actualem alicujus veritatis, vel demonstrationis, vel objectionis (3), sed est influxus directus in ipsum intellectus assensum, qui a voluntate determinatur quum non possit a solo intellectu determinari; *b)* ille voluntatis influxus est aliqua electio, qua, obscuro manente objecto cognitionis, homo *vult* tamen tali propositioni adhaerere, et ideo per voluntatem adhaeret veritati et vadit ultra id quod intellectus cognoscit (4), tunc homo vult ut talis veritas sit; *c)* tandem tunc homo veritati adhaeret *tota anima sua,* intellectu qui cognoscit et voluntate quae consentit (5).

39. **Crisis.** Multa docuit auctor de influxu voluntatis in acquirenda et conservanda cognitione veritatis, nominatim circa illa principia quae sunt fundamenta ordinis moralis.

Attamen illum influxum in essentia sua, non satis distincte, nec rite perspexit. Circa hanc rem, inhaerentes assertis, quae in philosophia sana supponimus demonstrata, sequentia tenemus:

a) Intellectùs assensus *determinatur* evidentia *intrinseca,* sive *immediata,* uti habetur in primis principiis, sive *mediata,* uti habetur in conclusione ex praemissis certis logice illata: in hoc *determinando assensu* voluntas nullam partem habet (6). Voluntatis quidem est *applicare* intellectum *ad consideranda* objecta cognoscenda (7). Actio qua intellectus adhaeret primis principiis, seu veritatibus per se notis quoad nos, vocari potest *intellectus;* actio, qua intellectus adhaeret conclusioni rite demonstratae, est *scientia,* sive stricte, sive late dicta (8). Utriusque judicii firmitas, seu exclusio omnis dubii vel timoris de veritate judicii contradictorii, est *certitudo* (9). Objective loquendo, omnis difficultas, quae movetur contra aliquam conclusionem *demonstratam,* est solubilis. Homo recte agit quando vult applicare rationem suam ad inquirendam solutionem difficultatis, nec ideo immutatur assensus ad conclusionem semel demonstratam; si invenit solutionem, cognitio in ipso perficitur ac confirmatur, hoc sensu quod removetur id quod aliquatenus impediret assensum, sed, proprie loquendo, non augetur ipsa certitudo, quum haec dependeat ab *evidentia* quae determinat positive judicium. Si vero homo, quod non raro prudenter fit, non vult inquirere solutionem difficultatis, illamque contemnit, et remanet in judicio firmo jam habito, certitudo ipsius non augetur,

---

(1) *O. c.*, p. 98-106.

(2) *O. c.*, p. 108-125, 168, 172, 208, 226. — « La nature même de ces vérités [morales], d'un ordre à part et supérieur, les obscurités inévitables que les preuves les plus solides ne réussissent point à écarter, enfin de secrètes convenances qui demandent que l'adhésion aux vérités morales soit morale comme elles, tout concourt à donner ici à la confiance, partant à la volonté, un rôle dans l'affirmation. Et c'est ce qu'exprime bien le mot *foi* ». *O. c.*, p. 117 s.

(3) De hoc influxu loquitur auctor, *o. c.*, p. 45-47.

(4) *O. c.*, p. 73, 87 s., 94, 97, 161.

(5) *O. c.* p. 70, 345. — *O. c.*, p. 50, falso asserit auctor intellectus assensum non plene determinari in judicio quod sequitur ex ratiocinio. Etiam auctor, *o. c.*, p. 51, 95 s., videtur admittere quod nostra adhaesio ad prima principia sit aliquod *credere*, licet omnino necessarium.

(6) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 135-138.

(7) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 258 ss. In ipsa operatione discursiva rationis humanae, antequam intellectus perspexerit in praemissis conclusionem et proinde determinatus fuerit ad assensum, potest *physice* voluntas intervenire et avertere a considerandis praemissis et sic impedire assensum. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.* in *Collat. Brug.*, t. II, p. 556 ss.

(8) Cf. S. THOMAS, *In III Sent.*, Dist. XXIII, Q. II, a. 2.

(9) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 96 ss.

sed tunc removet impedimentum assensus. Ille voluntatis actus potest esse moraliter bonus, imo obligatorius, sed, uti patet, est *extrinsecus* ipsi actui seu assensui intellectus, et proinde non datur adhaesio *mixta* ex intellectu et voluntate, nec adhaesio quae simul esset *scientia* et *fiducia*. Proinde voluntas ipsa non adhaeret *veritati*, nec ipsa pergit ultra id quod ab intellectu intelligibiliter praesentatur (1).

b) Imo quando agitur de *fide* proprie dicta, scilicet de adhaesione intellectus ad aliquid ut verum propter *testimonium*, quando proinde non adest evidentia intrinseca, nec determinatur intellectus ad assensum, tunc voluntatis est *imperare* ipsum assensum (2). Sed ut hoc fiat rationabiliter, h. e., modo consentaneo naturae humanae, praerequiritur judicium credibilitatis, quo sub luce evidentiae *extrinsecae* ponitur assertum, cui est adhaerendum. Quando voluntas imperat assensum, ipse assensus cognoscitivus est essentialiter et totaliter in *intellectu* et ut motivum habet vel evidentiam in attestante vel auctoritatem testis (3), et influxus voluntatis est tunc etiam *extrinsecus* actui intellectus, ita ut neque in hoc casu habeatur una adhaesio *mixta* ex intellectu et voluntate, nec voluntas suppleat id quod deest ut intellectus determinetur a veritate; sed adsunt duo actus realiter et specifice distincti, quorum unus est et remanet in ordine cognoscitivo, alter in ordine volitivo (4).

c) Sicut non datur, sensu exposito, mixta adhaesio ad veritatem, ita nec *certitudo* mixta: firmitas judicii seu certitudo, in se ipsa considerata, vel *determinatur* ab evidentia *intrinseca*, vel dependet, tamquam *a conditione sine qua non*, ab evidentia *extrinseca*, quae afficit judicium credibilitatis. Voluntas potest imperare assensum firmum, etiam *perseveranter* removere rationem a considerando hoc ex quo posset dubium oriri, sed non potest addere lumen intellectui, nec efficere ut evidens fiat id cujus evidentia non lucet intellectui, nec efficere ut demonstrata sit conclusio quae non logice infertur ex praemissis, ideoque sua operatione non ingreditur ordinem cognoscendi.

d) Nec etiam ad perspiciendum verum requiritur ut voluntas *velit* seu *amet* esse id quod est verum et quasi consentiat vero (5). Potest homo, dum recte utitur ratione sua, cognoscere conclusionem a qua tamen aversus est, quam vellet non esse. Inde non dici potest ad cognoscendam veritatem ordinis moralis requiri adhaesionem *moralem*. Imo praerequiritur cognitio *intellectualis* de bono morali, de obligatione, de liceitate, ut possit voluntas *moraliter* bene aut male agere.

e) Ex dictis sequitur α/ quatuor veritates supra enunciatas esse veritates metaphysicas et de iis haberi posse certitudinem metaphysicam, absque influxu voluntatis directo in assensum cognoscitivum; β/ non dari posse *adhaesionem mixtam* ad illas veritates. Dari quidem potest ad idem objectum materiale adhaesio tum intellectus tum voluntatis, v. gr. Deus potest et ratione cognosci et voluntate amari: sed intellectus adhaesio, utpote cognoscitiva, est realiter et specifice distincta ab adhaesione voluntatis, quae est in ordine appetitivo: formale objectum utriusque actus est aliud et aliud; γ/ non admittenda est haec *certitudo moralis* quae, in sensu auctoris, est firmitas adhaesionis *mixtae*, nempe coalescentis ex cognitione et ex fiducia, ex intellectu et ex voluntate (6).

---

(1) Cf. card. BILLOT, *De virtutibus infusis, De fide*, prolegomenon, § 2, p. 207 ss. Romae, 1921.

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 139 ss.; BILLOT, *o. c.*, p. 303 s.

(3) Cf. card. BILLOT, *o. c.*, p. 209 ss.; *Collat. Brug.*, t. XI, p. 628 s., t. XIV, p. 477 s.

(4) De essentiali ac specifica differentia inter actum vitalem intellectus et voluntatis, cf. S. THOMAS, *De veritate*, Q. XXII, a. 10 et 11; *Sum. theol.*, I, Q. LXXXII, a. 3.

(5) Ad rem BOSSUET, *De la connaissance de Dieu et de soi-même*, ch. I, n. 16: « Le plus grand dérèglement de l'esprit, c'est de croire les choses parce qu'on veut qu'elles soient, et non parce qu'on a vu qu'elles sont en effet. C'est la faute où nos passions nous font tomber. Nous sommes portés à croire ce que nous désirons et ce que nous espérons, soit qu'il soit vrai, soit qu'il ne le soit pas... C'est pour cela que nous avons dit que le plus grand mal des passions, c'est qu'elles nous empêchent de bien raisonner, et par conséquent de bien juger, parce que le bon jugement est l'effet du bon raisonnement ».

(6) Videsis quae scripsi in periodico *Ephemerides Theologicae Lovanienses*, 1924, t. I, p. 222 ss.

f) Minime negamus influxum *indirectum* et *directum* voluntatis in operationes intellectus et proinde in persuasiones hominis, etiam quando non agitur de *fide* ad veritates a Deo revelatas. A voluntatis imperio dependet omnis error (1); a mala voluntatis dispositione, sive culpabili, sive non culpabili, etiam a dominatu passionum, dependent ignorantia, praejudicia, ineptitudo ad res considerandas attente, objective, cum animi serenitate; a culpabili voluntate saepe dependet in homine negatio veritatis, ex qua consequuntur practicae conclusiones quas horret vel timet. Sed ille influxus voluntatis non confundendus est cum normali modo operandi intellectus. — Nec etiam confundantur ipsa *certitudo judicii actualis* cum *perseverantia* in adhaesione semel habita: perseverantia importat plus, praesertim quando agitur de adhaesione ad veritates quae saepe impugnantur et quae opponuntur superbiae vel aliis passionibus: quod valet de illis veritatibus, nempe de existentia Dei, etc., quae sunt fundamenta ordinis moralis. Haec confusio inter ipsam certitudinem judicii actualis et certitudinem cognitionis habitualis seu perseverantiam in adhaesione data, in persuasione, videtur praecipua apud Ollé-Laprune et origo confusionis alterius inter operationem propriam intellectus et operationem propriam voluntatis (2).

40. alii. Alii neo-apologetae ulterius progressi sunt et negaverunt posse demonstrari Dei existentiam. Cognitioni speculativae acquisitae per dialecticam seu secundum regulas logicae, substituerunt aliam, nempe fidem: hanc fidem non praecedit judicium credibilitatis, sed motivum tamen credendi adest: Brunetière, v. gr., tenet credendum esse Deum existere quia haec fides exigitur ordine sociali (3).

Blondel cognitionem de Deo procedere dicit ex cognita *actione* humana: hoc vocabulo designat omnem hominis activitatem et praesertim voluntatis seu appetitus activitatem; censet porro in hac activitate penitus considerata hominem posse intueri exigentiam psychologicam ipsius Entis necessarii, Dei, et ideo attingere ipsum Deum ut realiter existentem (4); imo doctrina ad hoc ducere videtur ut admittatur hominem posse in *actione* detegere exigentiam vel praesentiam *supernaturalis* communicationis Dei in anima (5).

41. **Modernismus.** Nomine *Modernismus* designatur complexus opinionum, quae respiciunt philosophiam, apologeticam, theologiam, aliasque cum his connexas disciplinas; complexus qui, objective spectatus, constituit integrum systema doctrinale, cujus affirmationes et negationes intimo nexu connectuntur (6); huic

---

(1) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 143; VALTON, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. cit.*, art. *Erreur*, col. 443 ss.

(2) Circa *perseverantiam* in *fide divina*, cf. HARENT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Foi*, col. 279 ss., 329 ss.; in specie de influxu dispositionum moralium in judicium credibilitatis *perseveranter custodiendum a catholico*, col. 316 ss.

(3) Cf. E. JANSSENS, *L'apologétique de M. Brunetière*, in *Revue néo-scholastique*, 1903, t. X, p. 264 ss.

(4) De hac doctrina cf. DE TONQUÉDEC, *L'immanence*, Paris, 1913, praesertim p. 7 ss., 20 ss., 28 ss., 34 ss., 104 s.; sub alio respectu, VALENSIN, ap. D'ALÈS, *Dict. apol.*, art. *Immanence*, col. 591. De utraque interpretatione, cf. GARRIGOU-LAGRANGE, in *Revue thomiste*, 1913, t. XXI, p. 351 ss. Circa doctrinam D. Blondel qualem nunc tuetur, legatur MARITAIN, *Réflexions sur l'intelligence*, p. 78 ss. De methodo immanentiae, in *Dict. cit.*, col. 580 ss. exposita, videsis *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 619, t. XIX, p. 103, 170, 236, 303, 381, 440; etiam *Revue thomiste*, t. cit. p. 694ss.

(5) Cf. DE TONQUÉDEC, *o. c.*, p. 149 ss. — Confusio inter ordinem naturalem et supernaturalem invenitur etiam apud P. Laberthonnière: cf. CHOSSAT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu*, col. 871.

(6) Rite animadvertit DE TONQUÉDEC, *o. c.*, p. 295: « L'ensemble des erreurs dont l'Encyclique montre si fortement la liaison et la filiation, n'a peut-être été soutenu tel quel par personne: ce n'est pas une raison pour dire que la condamnation n'atteint personne, ni aucune doctrine soutenue en fait. Le document pontifical distingue, à diverses reprises, plusieurs nuances dans le modernisme. Les doctrines censurées sont situées en des plans divers de la même perspective ».

complexui subest duplex fundamentalis error, scilicet *agnosticismus* et *immanentismus vitalis,* ex quo derivatur *evolutionismus* applicatus omni religiosae doctrinae, ac instituto religioso, specialiter christianismo. Ex quo sequitur radicalis destructio tum praeambulorum fidei proprie dictae seu rationalis assensus intellectus ad veritates a Deo revelatas, tum ipsius fidei, sive subjective, sive objective spectatae, dogmatumque catholicorum. Hic « collectus omnium haereseum » damnatus fuit a Pio X, praesertim decreto « Lamentabili », encyclica « Pascendi », formula jurisjurandi contra errores modernismi (1). Modernismus originem habet a doctrina Kantii (2): in hac enim invenitur negatio valoris cognoscitivi rationis humanae speculativae, quae negatio est agnosticismus; deinde in agnito valore *imperativi categorici,* tamquam conscientiae actus de facto quod ad voluntatem seu ad partem affectivam pertinet, habetur origo immanentismi vitalis, qui tamen proxime dependet a sentimentalismo prout evolutus fuit a Schleiermacher ejusque sequacibus. Immanentismum praesertim inculcarunt et evolverunt Modernistae: ita ut in indigentia psychologica divini collocent unicum factum a quo oritur omnis adhaesio hominis ad divinum et in experientia religiosa (3) omne criterium circa ea quae sunt credenda fide, fide scilicet illa quae congruit agnosticismo, quae nititur, non in judicio credibilitatis objective vero, sed in quadam instinctiva necessitate psychologica. Inde remanet ut Deus non sit objectum cognitionis proprie dictae, qua id, quod est vel esse potest, attingitur et vere in cognoscente repraesentatur, sed est objectum alicujus adhaesionis caecae, ineluctabilis (4), de qua jam non apparet utrum potius ad intellectum an ad voluntatem pertineat; caeteroquin multi Modernistae non admittunt distinctionem essentialem inter illas duas facultates (5).

In illo systemate prorsus rejicitur omnis demonstratio de existentia Dei, omnis proprie dicta cognitio, et a fortiori omnis scientia, de natura Dei et

---

(1) Illa documenta videsis ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 521, 597, 661; t. XV, p. 564; ap. *Enchir.*, n. 2001-2065, n. 2071-2109, n. 2145-2147. — De iisdem erroribus brevem expositionem et refutationem dedimus in *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 111, 195, 275; fusius de hac re agunt ROSA, *L'encyclica « Pascendi »*, Roma, 1909; CARBONE, *De Modernistarum doctrinis*, Roma, 1909; BESSMER, *Theologie und Philosophie des Modernismus*, Freiburg i. Br., 1912; GISLER, *o. c.*

(2) Cf. MATTIUSSI, *Il veleno Kanziano*, Monza, 1907; SERGIUS VON GRUM GRGIMAYLO, in *Zeitschrift für katholische Theologie*, 1909, t. XXXIII, p. 438 ss.

(3) R. P. PINARD, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Expérience religieuse*, scripsit dissertationem eruditione amplam et refertam perspicaci critica, in qua inter alia, explicite demonstrat experientiam religiosam (seu facta quaelibet ad religionem pertinentia et cognoscibilia per experientiam seu conscientiam psychologicam) non posse esse unicum aut principale criterium *cognitionis*, col. 1828 ss.; quamdam tamen experientiam, sub judicio rationis rite ratiocinantis et sub ductu auctoritatis doctrinalis, posse esse confirmativam veritatis et medium acquirendae cognitionis, col. 1837 ss.

(4) De illius adhaesionis essentia scrutanda parum solliciti sunt Modernistae. Quidam philosophi, uti Bergson, Le Roy, jam ad hoc devenerunt ut tamquam invalidam et ineptam ad cognoscendum rejicerent naturalem intellectus activitatem, quae fit per conceptus seu apprehensiones et deinde per judicia et ratiocinia. Illi porro substituunt id quod vocant *intuitionem*, quae fieret absque conceptu (seu repraesentatione aut specie objecti cognoscendi) et consisteret in quadam vitali sympathia inter cognoscentem et objectum cognitum et exprimeretur maxime metaphoris. Inutile censemus ulterius haec evolvere: illius systematis expositionem et refutationem invenire est apud MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporain*, Paris, 1909, p. 353 ss.; praesertim apud MARITAIN, *La philosophie Bergsonienne*, Paris, 1914.

(5) Ita loquuntur in « *Programma dei Modernisti* », Roma, 1908, p. 105.

de ejus perfectionibus; imo ita de immanentia divini in homine et de adhaesione hominis ad divinum loquuntur Modernistae ut ex illorum assertis logice sequatur pantheismus et proinde atheismus: nam non admittit vere Deum, ille qui non persuasum habet existere ens personale intellectu et voluntate praeditum, quod sit ab omni re finita realiter et omnino distinctum et omnem rem finitam in perfectione superans.

42. Encycl. « Pascendi »

Haec omnia asserta in logico suo nexu nitide exponuntur in encyclica « Pascendi », e qua quaedam hîc excerpsimus ut attente legantur.

« Jam ut a philosopho exordiamur, philosophiae religiosae fundamentum in doctrina illa modernistae ponunt, quam vulgo agnosticismum vocant. Vi hujus humana ratio phaenomenis omnino includitur, rebus videlicet quae apparent eaque specie qua apparent: earumdem praetergredi terminos nec jus nec potestatem habet.

Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius existentiam, ut ut per ea quae videntur, agnoscere. Hinc infertur, Deum scientiae objectum directe nullatenus esse posse; ad historiam vero quod attinet, Deum subjectum historicum minime censendum esse. — His autem positis, quid de naturali theologia, quid de motivis credibilitatis, quid de externa revelatione fiat, facile quisque perspiciet. Ea nempe modernistae penitus e medio tollunt, et ad intellectualismum amandant: ridendum, inquiunt, systema ac jamdiu emortuum. Neque illos plane retinet quod ejusmodi errorum portenta apertissime damnarit Ecclesia: siquidem Vaticana Synodus sic sanciebat... (1).

Qua vero ratione ex agnosticismo, qui solum est in ignoratione, ad atheismum scientificum atque historicum modernistae transeant, qui contrà totus est in inficiatione positus: quo idcirco ratiocinationis jure, ex eo quod ignoretur utrum humanarum gentium historiae intervenerit Deus necne, fiat gressus ad eamdem historiam neglecto omnino Deo explicandam, ac si reapse non intervenerit: novit plane qui possit. Id tamen ratum ipsis fixumque est, atheam debere esse scientiam itemque historiam: in quarum finibus non nisi phaenomenis possit esse locus, exturbato penitus Deo et quidquid divinum est. — Qua ex doctrina absurdissima quid de sanctissima Christi persona, quid de ipsius vitae mortisque mysteriis, quid pariter de anastasi deque in coelum ascensu tenendum sit, mox plane videbimus.

Hic tamen agnosticismus, in disciplina modernistarum, non nisi ut pars negans habenda est: positiva, ut aiunt, in immanentia vitali constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt. — Religio, sive ea naturalis est sive supra naturam, seu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet.

Explicatio autem, naturali theologia deleta adituque ad revelationem ob rejecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda: et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc immanentiae religiosae principium asseritur. Vitalis porro cujuscumque phaenomeni, cujusmodi religionem esse jam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda: primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui sensus dicitur.

Eam ob rem, cum religionis objectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum cujusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur in subconscientia, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa.

Petet quis forsan, haec divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum facto in religionem evadat?

---

(1) Haec definitio explicabitur infrà, n. 51.

Ad haec modernistae: Scientia atque historia, inquirunt, duplici includuntur termino; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent: hos enim praeter fines adest incognoscibile. Coram hoc incognoscibili, sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in subconscientia lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum fidei scita, praevertente mentis judicio peculiarem commovet sensum: hic vero divinam ipsam realitatem, tum tamquam objectum, tum tamquam sui causam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo conjungit. Est porro hic sensus quem modernistae fidei nomine appellant, estque illis religionis initium... (1).

Jam si, ad credentem progressus, nosse quis velit unde hic in modernistis a philosopho distinguatur, illud advertere necesse est, etsi philosophus realitatem divini ut fidei objectum admittat, hanc tamen ab illo realitatem non alibi reperiri nisi in credentis animo, ut objectum sensus est et affirmationis atque ideo phaenomenorum ambitum non excedit: utrum porro in se illa extra sensum existat atque affirmationem hujusmodi, praeterit philosophus ac negligit. E contra modernistae credenti ratum ac certum est, realitatem divini reapse in se ipsam existere nec prorsus a credente pendere. Quod si postules, in quo tandem haec assertio credentis nitatur, reponent: in privata cujusque hominis experientia. — In qua affirmatione, dum equidem hi a rationalistis dissident, in protestantium tamen ac pseudo-mysticorum opinionem discedunt. Rem enim sic edisserunt: in sensu religioso quemdam esse agnoscendum cordis intuitum; quo homo ipsam, sine medio, Dei realitatem attingit, tantamque de existentia Dei haurit persuasionem deque Dei tunc extra tunc intra hominem actione, ut persuasionem omnem, quae ex scientia peti possit, longe antecellat. Veram igitur ponunt experientiam, eamque rationali qualibet experientia praestantiorem; quam si quis, ut rationalistae, inficiatur, inde fieri affirmant, quod nolit is in eis se ipse consituere moralibus adjunctis, quae ad experientiam gignendam requirantur. Haec porro experientia, cum quis illam fuerit assequutus, proprie vereque credentem efficit. — Quam hic longe absumus a catholicis institutis! Commenta ejusmodi a Vaticana Synodo improbata jam vidimus. — His semel admissis una cum erroribus ceteris jam memoratis, quo facto ad atheismum pateat via, inferius dicemus » (2).

43. Conclusio

Conclusio. 1) Ex dictis apparet *a*) quanta confusio nostris diebus regnet circa primam omnium quaestionum religiosarum, nempe: *utrum sit Deus; b*) hanc confusionem habere originem a tempore quo homines reliquerunt *demonstrationem a posteriori* qualem docuerant Scholastici; *c*) in vanum laborare illos qui simul volunt et tueri persuasionem de Dei existentia et adhaerere systemati philosophico quod pessumdat fundamentum omnis cognitionis intellectualis; *d*) necessarium esse omnino ad persuasionem de existentia Dei servandam, ut in tuto ponantur ipsa notio veritatis, et ipse valor objectivus cognitionis humanae. Quod confirmatur nuperrima condemnatione duodecim propositionum (3).

44. Refutatur objectio desumpta ex multiplici errore circa Dei existentiam.

Dices forsitan: si homines docti dissentiunt circa valorem demonstrativum argumentorum quae afferuntur ad Dei existentiam demonstrandam, oportet ut argumenta non sint evidentia.

Respondetur negando consequentiam: 1. Nam ex hoc solo facto quod quidam

(1) *Enchir.*, n. 2072-2074; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 509-601.

(2) *Enchir.*, n. 2081-2082; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 606-607.

(3) Quas vide in *Collat. Brug.*, t. XXV, p. 248, et in *Civiltà cattolica*, 1925, vol. 3, p. 344. Radicale divortium habetur inter S. Thomam et Kant circa radicem et essentiam cognitionis intellectualis humanae; impossibile quoque est ut qui criticismo Kantiano adhaeret adhuc rationabiliter vel logice habeat *fidem dogmaticam* qualis exigitur ab Ecclesia catholica. Multiplices quae ex Modernismo ortae sunt quaestiones ultimatim reducuntur ad hanc: *quid est veritas?* Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 208; SERGIUS VON GRUM GRGIMAYLO, *o. c.*, p. 444 s.; praesertim DINDINGER, *Die Metaphysik bei St. Thomas und bei Kant*, in *Theologie und Glaube*, 1912, t. IV, p. 544 ss.

rejiciunt argumentum, non sequitur argumentum non esse efficax: « Ne confondons pas efficacité et efficience, la possibilité d'être connu et le fait d'être connu, le droit et le fait, l'essence et l'existence, une faculté et son exercice. Des arguments de réelle valeur, comme des personnes très hautes, peuvent être méconnus. On ne voit pas ce que vient faire en pareille matière le suffrage universel. Une preuve peut n'être pas saisie par tous, parce qu'elle est difficile en soi ou parce que des préjugés et des dispositions morales contraires nous empêchent de l'étudier comme il convient et d'en percevoir la vraie valeur. Bien plus, certains sophistes n'ont ils pas nié le principe de contradiction comme loi du réel? A quoi Aristote se contentait de répondre: « Tout ce qu'on dit, il n'est pas nécessaire qu'on le pense ». (*Met.* 2. IV, c. 3) » (1).

2. Praeterea praejudicia falsa, quibus adhaerentes multi impediuntur quominus perspiciant demonstrationem de Dei existentia, cognoscimus; sunt enim asserta falsa circa ipsum valorem omnis humanae cognitionis, qualia praesertim a Kant fuerunt proposita, uti docebat Leo XIII (2).

3. Tandem ad morales dispositiones quod attinet, superbia elatos esse rationalistas negari nequit: Deo enim obsequium intellectus renuunt et nolunt ulli Revelationi sese subjicere, auctoritatemque doctrinalem quam ipse Deus in Ecclesia Christi contulit prorsus rejiciunt; abstractione facta a propria uniuscujusque culpabilitate, mirum non est ipsos quasi concomitantem superbiae poenam luere per ignorantiam veritatum altissimarum: « In disciplinis enim tradendis permulti philosophari malunt solo rationis magisterio omnino fide divina posthabita: quo firmamento maximo uberrimoque lumine remoto, in multis labuntur, nec vera cernunt. Eorum illa sunt, omnia, quae in hoc mundo sint, esse corporea: hominum et pecudum easdem esse origines similemque naturam: nec desunt qui de ipso summo dominatore rerum, ac mundi opifice Deo dubitent sit necne sit, vel in ejus natura errent, ethnicorum more, deterrime. Hinc demutari necesse est ipsam speciem formamque virtutis, juris, officii. Ita quidem, ut dum rationis principatum gloriose praedicant, ingeniique subtilitatem magnificentius efferunt, quam par est, debitas superbiae poenas rerum maximarum ignoratione luant » (3). Nec dubitavit etiam Pius X tamquam modernismi causam moralem assignare superbiam (4).

Caput II

DOCTRINA ECCLESIAE CATHOLICAE CIRCA COGNOSCIBILITATEM EXISTENTIAE DEI

45. Deum naturali rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse demonstratur:

Propositio. **Deus unus et verus naturali rationis lumine e rebus creatis certo cognosci potest.**

Haec propositio est dogma fidei divinae, definitum in Concilio Vaticano (5).

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura, 1° ex Sap. XIII, 1-9,

A. Ex S. Scriptura.

1. Haec veritas, quam enuntiavimus, affirmatur in libro *Sapientiae,* XIII, 1-9 (6). « Vani autem sunt omnes homines [naturâ, φύσει] in quibus non

(1) Garrigou-Lagrange, *o. c.*, col. 953.

(2) *Lettre aux archevêques, évêques et au clergé de France,* 8 Sept. 1899, in *Collat. Brug.*, t. IV, p. 564.

(3) Leo XIII, encyclica « Exeunte jam anno », 1 Dec. 1888, ap. *Leonis XIII Acta,* t. III, p. 192 s.

(4) Encyclica « Pascendi », ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 673.

(5) *Enchir.*, n. 1785, 1806.

(6) Hic liber compositus videtur lingua graeca, exeunte saeculo III ante Christum, Alexandriae in Ægypto. Cf. Cornely, *Commentarius in librum Sapientiae,* Parisiis, 1910, p. 1 ss.

subest scientia Dei [potius: quibus adfuit Dei ignoratio]: et de his quae videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est (*τον ὄντα*): neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex... A magnitudine enim speciei, et creaturae (secundum aliam lectionem: a magnitudine enim et specie creaturae) cognoscibiliter [*ἀναλόγως*] poterit creator horum videri [potius: auctor eorum conspicitur]... Nec his [h. e. astrorum adoratoribus] debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum [h. e. res adspectabiles hujus mundi]: quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt » (1)?

Hujus pericopae hoc est compendium: « A minus abjecta polytheismi specie initio disgressionis suae sumpto, Sapiens stultitiam eorum carpit, qui praeclarioribus mundi aspectabilis rebus cultum uno Deo vero debitum exhibuerunt (vv. 1, 2); eos enim qui illarum pulchritudine delectati illarumve virtutem et efficaciam admirati sint, ad infinitam creatoris illarum pulchritudinem ac virtutem adscendere debuisse monet ,vv. 3, 5); quapropter hos astrorum adoratores minus quidem reliquis idololatris reprehendendos videri concedit, quatenus per creaturas ad Dei cognitionem pervenire studuerint (v. 6, 7), venia tamen dignos esse negat, quandoquidem omnes, qui ad mundi leges investigandas et explorandas idonei fuerint, mundi dominum multo facilius cognoscere potuerint (vv. 8, 9) » (2).

Docet proinde Auctor sacer vanos (neerlandice *nietig*) esse naturà (h. e. natura humana, in conditione in qua nunc nascuntur homines: ipsa est radix illius vanitatis seu insipientiae in quam culpabiliter ceciderunt (3) homines) omnes quibus deest cognitio Dei, nempe unici ac veri Dei: quia non potuerunt (culpabiliter) ex rebus quae apparent esse bona, perfecta, cognoscere illum qui est, sc. Deum (4), nec ex ipsis operibus, quibus attendebant, intelligere ipsum auctorem. *Ideo* ergo sunt vani homines omnes qui Dei carent cognitione, *quia* ex rebus hujus mundi non intellexerunt Deum, qui et quatenus est auctor seu causa earum. Adjungitur porro sententia: ex magnitudine (i e. ex magna vi et efficientia) enim et pulchritudine creaturarum analogice (i. e. per conclusionem quae comparatione nititur) auctor eorum conspicitur.

His proinde docetur Deum unicum et verum naturali rationis humanae lumine e rebus creatis certo cognocsi posse: agi de cognitione *certa* patet ex toto sermone Auctoris; agi de cognitione *naturali* patet *a*) quia indicatur ipsa indoles cognitionis quae homini est naturalis, nempe cognitio causae ex effectu; *b*) ex hoc versiculo: *Si enim tantum potuerunt scire ut possent aestimare saeculum, quomodo Dominum non facilius invenerunt?* « Æsti-

(1) Quoad totius pericopae interpretationem cf. CORLUY, *Spicilegium dogmatica-biblicum*, Gandavi, 1884, t. 1, p. 78 ss.; CORNELY, *o. c.*, p. 460 ss.

(2) CORNELY, *o. c.*, p. 460.

(3) Alii interpretantur: vani *natura* eo quod vanitas sit eis inolita et quasi naturalis effecta Ita CORLUY, *o. c.*, p. 78.

(4) *ὁ ὢν*, *qui est*, est nomen proprium unici ac veri Dei, uti declaratur in *Exod.*, III, 14.

mare saeculum, ut ex iis quae praecedunt perspicuum est, significat vim et pulchritudinem rerum creatarum, ignis, ventorum, solis et astrorum agnoscere. Quum igitur haec cognitio certe naturalis sit, naturalis esse debet cognitio Dei quae illa est facilior » (1).

46. 2° ex Rom. I, 18-20.

2. S. Paulus idem docet *Rom.* I, 18-20: « Revelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem (Dei) in injustitia detinent: quia quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles ».

Docet S. Paulus ethnicos esse subjectos irae Dei seu puniri propter idololatriam, justamque esse hanc a Deo poenam quia ab idololatria non possunt excusari: veram enim Dei notitiam ex creaturis potuerunt et debuerunt haurire (2).

Docet nempe gentiles de facto *cognoscere Deum,* quatenus, *per ea quae facta sunt,* cognoscuntur intellectualiter et perspiciuntur invisibilia attributa Dei, nominatim aeterna potentia et divinitas, h. e. excellentia omnino suprema (3). Docet igitur S. Paulus homines cognoscere Deum ex rebus creatis. En verba Apostoli: « quod notum est Dei [h. e. quod generaliter vi rationis notum est de Deo] manifestum est in illis [gentilibus]: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi (4), per ea quae facta sunt, intellecta, (*νοούμενα*) conspiciuntur (*καθορᾶται*): sempiterna quoque ejus virtus ac divinitas: ita ut sint inexcusabiles (5) ». Sensus hujus asserti est: quod Gentiles non glorificaverunt Deum, nequit excusari ac si non sufficienter cognovissent Deum: sufficienter cognoverunt Deum, dicit S. Paulus, ideoque magna culpa rei sunt, quia, cognoscentes quidem Deum, ipsum noluerunt agnoscere et colere (6).

Igitur a Deo *revelatum* est ex rebus factis posse cognosci facile ac certo Deum tamquam factorem earum.

47. Confirmatur hoc argumentum.

Praecedens doctrina S. Pauli confirmatur aliis ejusdem verbis: « Cum enim gentes (7) quae legem [h. e. Mosaïcam] non habent, naturaliter [h. e. naturali rationis lumine ducti] ea quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem [h. e. Mosaïcam] non habentes, ipsi sibi sunt lex [h. e. ipsi sibi dictant legem observandam]: qui ostendunt opus legis [opus praescriptum a lege

---

(1) KLEUTGEN, *De ipso Deo,* n. 108.

(2) Cf. CORNELY, *Commentarius in epistolam ad Romanos,* Parisiis, 1896, p. 80.

(3) Cf. PRAT, *Théologie de S. Paul,* t. I, Paris, 1908, p. 268 ss.

(4) H. e. *vel:* inde a creatione mundi; *vel:* a re creata tamquam a qua oritur cognitio; *vel:* a creatura intellectu praedicta, tamquam a subjecto cognoscente: invisibilia intellecta a creatura.

(5) *Rom., I,* 19-20.

(6) *Ibid.,* 21 ss. Paulus in oratione ad Lystrenses, *Act.,* XIV, 16, breviter asseruerat ethnicos posse verum Deum cognoscere ex creaturis: « Et quidem [Deus] non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra [vestra] ».

(7) Cf. FRANZELIN, *De Deo uno,* thes. IV, p. 55.

seu praeceptum de opere faciendo] scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum... » (1).

Docet igitur *explicite* S. Paulus Gentiles naturali rationis lumine cognoscere legem naturalem (quoad quaedam saltem praecepta) qua vere obligantem in conscientia. Ex hoc possumus *inferre* quod ipsi etiam Deum cognoscunt: quia absque praevia cognitione de Deo, tamquam supremo Legislatore, non datur cognitio de lege obligante in conscientia: cognitio legis est *signum* cognitionis Dei (2).

B. Ex doctrina Patrum. *48. B. Ex doctrina Patrum*

« Quamdiu, ait card. Franzelin (3), doctrina de Dei manifestatione per aspectabile hoc universum, solum generatim spectatur, ea apud omnes Patres tam constans est et tot eloquentissimis disputationibus exornata, ut nulli dubitationi locus esse possit. Repetunt enim et inculcant quavis data opportunitate inde ab Apologetis Justino, Athenagora, Tatiano usque ad Gregorium M., Joannem Damascenum, Bernardum: Dei notitiam esse universalem apud omnes gentes eo, quod Dei opera omnibus proposita Deum in se invisibilem humanae rationi demonstrant existentem, atque ita operibus ipsis doctrina continetur et institutio quaedam de Deo, quam omnes homines intelligunt ».

Ut autem Patrum doctrina accurate cognoscatur oportet diversa asserta distinguere (4): non enim omnes formaliter et explicite idem affirmant circa naturalem de Deo cognitionem. Ad thesim nostram statuendam considerandа sunt praecipue sequentia:

1. *Deus ex spectabili hoc universo mundo cognosci potest ab homine.* *49.* Modus autem quo Patres hoc asserunt talis est ut pateat agi de cognitione *certa* et habita *per naturales humanae rationis vires.*

Aristides (c. a. 140) *Apologia,* n. 1, dicit: « Mundum eaque omnia quae in ipso sunt moveri conspiciens, eum a quo movetur et conservatur Deum esse intellexi. Etenim quidquid movet, eo quod movetur fortius est; et quod conservat fortius est eo quod conservatur. Quocirca ipsum Deum esse dico qui omnia constituit atque conservat ».

Tatianus (c. a. 165), *Adversus Graecos oratio,* n. 4. « Hunc [Deum] ex his quae creavit cognoscimus et quod potentiae ipsius invisibile est ex operibus apprehendimus ».

Athenagoras (c. a. 176-180), *Legatio pro christianis,* n. 5-7, docet poëtas ac philosophos cognovisse ex rebus factis Deum existere et quidem unicum esse.

Theophilus antiochenus (c. a. 181), *ad Autolycum:* L. I, n. 5: « Quemadmodum

---

(1) *Rom.* II, 14 s. Cf. *Collat. Brug.,* t. XVIII, p. 287.

(2) Bene notemus non doceri a S. Paulo gentiles *ex cognitione legis* naturalis adduci *ad cognitionem Dei:* quae esset petitio principii. Loco dicendi: « La connaissance de la sanction *implique* celle du Législateur » (Prat, *o. c.,* p. 270), dicamus; « la connaissance de la sanction *présuppose* celle du Législateur ». Praeterea non recta videtur divisio praelaudati auctoris, *o. c.,* p. 268: « Dieu connu des Païens — par la création — par la loi naturelle ». Deus cognoscitur *per creationem,* tamquam per medium cognitionis, non vero per legem naturalem tamquam per medium cognitionis: lex naturalis est *signum* cognitionis de Deo. Qua de re infrà redibit sermo.

(3) *O. c.,* thes. VI, p. 89.

(4) Circa hanc divisionem, cf. Franzelin, l. c.; Pohle, *o. c.,* t. I, p. 14; Rouët de Journel *Enchiridion Patristicum*², Freiburg i. Br., 1913, p. 762 s.

anima in homine non videtur, quum invisibilis sit hominibus sed ex motu corporis intelligitur, ita et Deus oculis humanis videri non potest, sed ex providentia et operibus ipsius videtur et intelligitur ».

S. Irenaeus, exeunte saeculo II, in opere *Contra haereses*, L. II, C. VI, n. 1, docet ratione naturali homines posse ex rebus Universi assurgere ad cognoscendum Auctorem, Deum unicum et omnium Dominum (1).

Eamdem doctrinam proponit nitide Clemens Alexandrinus (2), et Patres saeculi III et saeculi IV. Speciali mentione digna sunt quae dicit Basilius: « Mundus est rationalium animorum schola et gymnasium ad cognitionem Dei, dum per visibilia praebet menti manuductionem ad invisibilia ». *In Hexaemeron*, L. I, n. 6; S. Gregorius Naz. bene exponit quomodo Deum esse doceant et oculi qui res intuentur et lex naturalis, nempe principium causalitatis omnibus naturaliter notum. *Orat. 28*, n. 5, 16; S. Joannes Chrysostomus, commentans verba S. Pauli, *Rom.* I, 19, dicit quod cognitio quam habuerunt gentes de Deo non provenit ex voce Dei, h. e. ex locutione vel revelatione, sed ex creato orbe: « ita sapiens, idiota, scytha, barbarus, ex solo intuitu visibilium pulchritudinem edoctus ad Deum conscendere potest ». *Hom. III, in ep. ad Rom.* n. 2. Idem quoad substantiam docet S. Augustinus, *Serm. 141*, n. 1. Tandem S. Gregorius M. clare dicit: « Omnis homo, eo ipso quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit Deum esse ». *Moral.*, XXVII, 5.

50. 2. Praedicta de Deo manifestatio ita facile et sponte percipitur ut in omnium animis (qui usum rationis habent expeditum) saltem confusa aliqua vel vulgaris cognitio de Deo sit.

Hoc exprimit Clemens Alexandrinus, *Strom. V*, n. 14 ubi, inter alia dicit parentem et rerum omnium effectorem nativa quadam vi et sine disciplina (ἐμφυτως και ἀδιδακτως) percipi ab omnibus hominibus. Tertullianus describit animam rudem et simplicem et non christianam, naturaliter cognoscere et fateri Deum existere. *De testimonio animae*, c. 2 et 5 (3). S. Augustinus *In Joannem*, tract. 106, n. 4, dicit: *Haec est via verae divinitatis*, ut creaturae rationali ratione jam utenti non omnino ac penitus possit abscondi; exceptis enim paucis (sc. atheis) in quibus natura nimium depravata est, universum genus hominum Deum mundi hujus fatetur auctorem ». S. Hieronymus fere idem dicit, *In Ps. 95 tract.* (4).

Quae hucusque indicavimus ostendunt thesim nostram, nempe veritatem definitam in Concilio Vaticano de cognoscibilitate existentiae Dei, pertinere ad doctrinam Patrum. Sed in hac continentur alia circa modum quo Deus cognosci potest (5); in specie inquisitum est de sensu quo Patres dixerint congenitam vel innatam esse hominibus notionem Dei. Circa hoc statuitur a Franzelin (6) haec propositio: « Notio Dei primitiva et adhuc confusa a SS. Patribus *naturae innata* appellatur non eo sensu quo recentiores quidam de *ideis innatis* loquuntur (7). Patres enim illam Dei notitiam cum ipsa rationali natura consertam dicunt, quod naturae insito lumine velut sponte concipiatur ex obvia rerum mundanarum consideratione citra inquisitionem philosophicam et citra institutionem positivae revelationnis; adeoque distin-

---

(1) Cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu*, col. 1036.
(2) Cf. ID., *o. c.*, *col.* 1040.
(3) Cf. D'ALÈS, *La Théologie de Tertullien*, Paris, 1905, p. 37 ss.
(4) Ap. ROUËT DE JOURNEL, *o. c.*, n. 1392.
(5) Cf. HEINRICH, *Dogmatische Theologie*, Mainz, 1873, t. III, § 135, p. 56 ss.
(6) *O. c.*, thes. VII, p. 100.
(7) Nec eo sensu quo illi hodierni auctores, qui rejiciunt demonstrabilitatem de Dei existentia, aliquam spontaneam et quasi caecam ad Deum adhaesionem humanae animae insitam statuunt. Cf. LE BACHELET, ap. VACANT, *o. c.*, art. *Dieu* (De la connaissance spontanée de Dieu), col. 874 ss

guunt *notitiam insitam* non ab acquisita simpliciter, sed tum a cognitione excultiori per diligentiores subtilioresque meditationes, tum maxime a cognitione perfectiori quae revelationi debetur ».

S. Thomas dicit: « Sed tamen ejus [Dei] cognitio nobis *innata* dicitur esse, inquantum per principia nobis innata de facili percipere possumus Deum esse » (1).

Nota. Licet homines omnes, in statu normali, possint physice ac moraliter, imo de facili, acquirere sibi, etiam absque magisterio exterioris humanae institutionis, certam persuasionem de existente Deo, tamen, quoad *indolem* illius cognitionis notare juvabit cum Schiffini (2): « Sunt enim multi incapaces ad penetrandam vim argumentorum ita ut plenam evidentiam de ea assequantur. Hinc rudes multum hac in re, fide sive humana sive divina juvantur, et evidentiam quamdam assequuntur *credibilitatis* potius et *respectivam* quam veritatis et absolutam... Id tamen est *per accidens:* argumenta siquidem, quibus Dei existentia demonstratur, sunt firmissima omnino et quo magis examinantur et penetrantur, eo magis apta sunt mentem convincere, et ad plenissimum eumque metaphysice evidentem assensum pertrahere ». Hoc ultimo asserto confirmatur id quod suprà, n. 39, diximus, refutando opinionem propugnatam ab Ollé-Laprune.

C. Ex declarationibus Magisterii Ecclesiae.

51. C. Ex declarationibus Ecclesiae, nempe praecipue ex Concilii Vaticani definitione,

Jam anno 1341 Facultas Sorbonica ex mandato Apostolico damnaverat theses propositas a Nicolao d'Autricourt respicientes cognoscibilitatem Dei, quarum una erat: « Ex eo quod una res est non potest evidenter, evidentia deducta ex primo principio, inferri quod alia res sit ». « Quod quacumque re demonstrata nullus scit quin ipsa sit Deus, si per Deum intelligimus ens nobillissimum » (3). Sed in Concilio Vaticano, sess. III, die 24 Aprilis 1870, solemniter *definita* est doctrina catholica, occasione diversorum errorum saeculo XIX diffusorum et praecipue traditionalismi (4).

Concilium porro definivit *Deum rerum omnium principium et finem naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse.*

En textum integrum Concilii: « Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; *invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur* [Rom. I, 20]: attamen placuisse ejus sapientiae et bonitati, alia eaque supernaturali via seipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare (5), dicente Apostolo: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* [Hebr. I, 1 sq.] » (6).

« Si quis dixerit, Deum unum et verum, creatorem et dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certe cognosci non posse: anathema sit » (7).

---

(1) *In Boëtium de Trinitate*, Q. I, a. 3, ad 6.
(2) *Disputationes Metaphysicae*, Aug. Taurinorum, 1894, t. II, n. 406.
(3) Cf. Jungmann, *De Deo uno et trino*⁴, Ratisbonae, 1882, n. 21; Chossat, ap. Vacant-Mangenot, *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Dieu*, col. 769.
(4) Circa illos errores et connexionem quam habebant cum antiquioribus, cf. Chossat, *o. c.*, col. 759-810.
(5) Bene notemus hanc de Deo manifestationem per *revelationem* ex hoc ipso esse supernaturalem et omnino distingui a cognitione quae habetur naturali humanae rationis lumine.
(6) *Enchir.*, n. 1785.
(7) *Enchir.*, n. 1806.

52. quae explicatur

Explicatio (1).

Deus, cujus cognoscibilitas affirmatur, est rerum omnium principium et finis, est unus et verus, creator et Dominus noster: sub hac notione, ut patet, intelligitur Deus *personalis,* omnino a mundo distinctus (2), unicus, creator, auctor ordinis moralis, cui subjicimur.

Naturali humanae rationis lumine: his verbis indicatur facultas cognoscitiva intellectualis, illa nempe facultas qua homines cogitant, notiones formando, principia statuendo, conclusiones inferendo. Haec facultas inest homini, quà tali et proinde homini in quocumque statu, etiam in statu praesenti naturae lapsae. Haec porro facultas consideratur secundum propriam ipsius vim cognoscendi, seu secundum lumen naturale. Proinde asseritur a Concilio potentia *physica* cognoscendi Deum. Concilium autem nihil definit circa ipsum exercitium praedictae potentiae, nec circa operationem, psychologice spectatam, qua homo naturaliter acquirit cognitionem Dei (3).

Certo cognosci potest: Deus, sub notione, saltem confusa, quam suprà indicavimus, potest cognosci, nempe hunc Deum existere potest homo percipere et quidem cum certitudine, h. e. absque dubio saltem probabili vel rationabili, ita ut ratione sua rite utendo possit homo firmiter judicare Deum existere, absque formidine de opposito seu quin timeat contradictorium esse verum.

E rebus creatis seu *per ea quae facta sunt.* His indicatur medium *objectivum* cognoscendi Deum, quum ratio humana sit medium *subjectivum* (4). Affirmat nempe Concilium hominem, ex *cognitis* creaturis (seu iis quae facta sunt), seu ex mundo aspectabili cognito, posse et Deum cognoscere, affirmat nempe *mediata* cognitione Deum posse cognosci ab homine. — Concilium non definivit hominem ad evolutum rationis usum, cujus ductu Deum cognoscat, naturaliter pervenire posse, etiam si adolescat seclusus ab omni hominum secum loquentium societate (5). Haec tamen assertio, si agatur de homine etiam primo, in quocumque statu etiam in statu naturae purae, est certa: si haec enim non admittitur, logice concludendum est ad necessitatem divinae revelationis vel alicujus medii positive indebiti naturae humanae et proinde ad negationem physicae potentiae cognoscendi Deum (6).

Concilium non definit mediatam cognitionem, qua naturaliter homo potest cognoscere Deum, esse *demonstrationem* seu proprie dictam illationem (7).

---

(1) In qua tradenda sequimur egregiam dissertationem P. CHOSSAT, *o. c.*, col. 824 ss.
(2) Cf. *Enchir.*, n. 1782.
(3) Cf. CHOSSAT, *o. c.*, col. 826-829, 859 ss.
(4) Cf. CHOSSAT, *o. c.*, col. 843 ss.
(5) Cf. CORLUY, *o. c.*, p. 94; CHOSSAT, *o. c.*, col. 835.
(6) Cf. GRANDERATH-KIRCH, *Geschichte des Vaticanisches Konzils*, Freiburg i. Br., 1903, t. II, p. 432.
(7) Nec deerant rationes cur abstinuerit Concilium ab illa declaratione, cf. CHOSSAT, *o. c.*, col. 848 ss.

Attamen haec assertio est *proxima fidei.*

53. Dei existentiam posse naturali rationis lumine demonstrari est proximum fidei ex declaratione Pii X,

1. Etenim jam ante Concilium Vaticanum a catholicis tenendum erat: *ratiocinationem* posse *cum certitudine probare* existentiam Dei (1); etiam: « *Ratiocinatio* Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem *cum certitudine probare potest.* Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum, ad probandam animae rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit » (2).

2. Pius X, postquam in encyclica « Pascendi », an. 1907, modernistarum erroribus de cognoscibilitate Dei opposuerat Vaticanae Synodi definitionem (3), hanc ulterius explicuit in formula jurisjurandi faciendi contra errores modernismi an. 1910, qua catholicus profitetur se amplecti ac recipere omnia et singula quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae hujus temporis erroribus directe adversantur. Primum autem caput est hoc: « Deum rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine *per ea quae sunt* [Rom. 1. 20] hoc est, per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor » (4). Summus igitur Pontifex, quum nostro tempore saepe negetur Dei existentiam ab homine posse certo cognosci et nominatim valide posse demonstrari, eamdem Concilii Vaticani definitionem profitendam imponit et simul adjungit qualis generis sit cognitio quae naturali rationis lumine haberi potest de Dei existentia: est nempe cognitio qua *ex effectibus cognoscitur causa,* est conclusio *demonstrationis:* etenim ex effectibus infertur esse causam, haec autem illatio fit per ratiocinium cujus una praemissa est principium metaphysicum, nempe principium causalitatis, et altera est enuntiabile experientia cognitum, ex quibus praemissis certis sequitur *certa* conclusio, nempe Deus existit. Quum praedicta *argumentatio* faciat hominem scire Deum esse, est *demonstratio.*

Proinde post hanc solemnem Summi Pontificis declarationem in adjunctis praedictis dubitari nequit quin saltem proxima fidei sit assertio: Dei existentia *demonstrari* potest. *Valorem* igitur *objectivum ratiocinii,* quo ex creaturis infertur esse Deum, proclamavit Pontifex; nihil statuit circa originem notionis Dei, vel facilitatem demonstrationis praedictae vel circa alias quaestiones quae etiam in Concilio Vaticano absque solutione fuerunt relictae.

54. imo hanc

Licet Concilium Vaticanum noluerit explicite damnare assertum quorumdam censentium Deum *non posse demonstrari* (5), tamen fieri potest ut hoc sit de fide,

(1) Propositio subscribenda a Bautain, *Enchir.*, n. 1622. V. Suprà, n. 33.
(2) Thesis subscribenda a Bonetty, *Enchir.*, n. 1650. V. Suprà, n. 33.
(3) Cf. *Enchir.*, n. 2072, 2081; V. Suprà, n. 42.
(4) *Enchir.*, n. 2145; *Collat. Brug.*, t. XV, p. 564.
(5) In primo schemate canonis, quem suprà citavimus, habebatur: « Si quis dixerit Deum..., rationis humanae lumine certo cognosci *et demonstrari* non posse: anathema sit ». Sed illud *et demonstrari* fuit deletum a deputatione pro fide ne explicite damnaretur opinio quorumdam catholicorum existimantium Dei existentiam probari non posse. Cf. EINIG, *De Deo,* Treveris, 1897, p. 5; VAN NOORT, *De Deo,* n. 3; CHOSSAT, *o. c.*, col. 847.

demonstrabilitatem contineri formaliter implicite in Revelatione censemus.

divina, nempe ut hoc in revelatione objective spectata et logice explicata, contineatur implicite et quidem *formaliter*.

Jamvero in libro *Sapientiae* et in *epistola ad Romanos*, suprà citatis, exhibetur et affirmatur possibilis *certa* de Dei exstentia *cognitio* habita *per ea quae facta sunt* seu *ex cognitis rebus creatis:* praedicta autem cognitio idem est ac conclusio *illationis* qua ex effectibus infertur esse causam: haec autem est *demonstratio* (a posteriori). Quapropter censemus hoc esse (de fide divina (licet hoc nondum sit ut tale *definitum* ab Ecclesia) quod homo potest naturali sui intellectus operatione demonstrare (sibi et aliis) Deum existere (1).

Caput III

DEMONSTRATIO EXISTENTIAE DEI EX NATURALI RATIONIS HUMANAE LUMINE

55. Quibusnam generice argumentis demonstranda est existentia Dei

Praenotandum. In capite praecedenti exposuimus secundum catholicam doctrinam quod Dei existentia potest naturali lumine rationis humanae certo cognosci et demonstrari ex rebus factis seu ex mundo adspectabili. In documentis suprà citatis Ecclesiae catholicae magisterium non ulterius declaravit quibusnam in specie argumentis rite fiat illa demonstratio. Nuperrime tamen Sacra Studiorum congregatio, die 27ª Julii 1914, theses approbavit quae continent principia et pronuntiata majora doctrinae S. Thomae et quae ideo sancte inviolateque sunt servandae (2). Porro thesis XXII sic enuntiatur: « Deum esse neque immediata intuitione percipimus, neque a priori demonstramus, sed utique a posteriori, hoc est, per ea quae facta sunt, ducto argumento ab effectibus ad causam: videlicet, a rebus quae moventur et sui motus principium adaequatum esse non possunt, ad primum motorem immobilem; a processu rerum mundanarum e causis inter se subordinatis, ad primam causam incausatam; a corruptibilibus quae aequaliter se habent ad esse et non esse, ad ens absolute necessarium; ab iis quae secundum minoratas perfectiones essendi, vivendi, intelligendi, plus et minus sunt, vivunt, intelligunt, ad eum qui est maxime intelligens, maxime vivens, maxime ens; denique ab ordine universi ad intellectum separatum qui res ordinavit, disposuit, et dirigit ad finem ». Haec igitur quinque argumenta ut valida approbantur. Haec nunc singillatim exponemus solo rationis humanae lumine naturali utentes.

Praenotemus non posse unico argumento demonstrari directe et immediate Deum, sub omni ratione qua cogitabilis est, existere: v. gr. non demonstratur Deum existere formaliter ut primam causam incausatam eodem argumento quo ut ens summe intelligens (3).

Supposita igitur definitione nominali Dei, (quae praerequiritur ad demonstrationem existentiae hujus entis), hoc nomine intelligimus *ens supremum*,

---

(1) Hac nostra conclusione nihil statuitur circa originem psychologicam notionis de Deo, nec excluditur aliud posse dari medium cognoscendi Deum, sed asseritur tamen possibilitas et objectivus valor demonstrationis de Dei existentia.

(2) V. documentum apud *Acta Apostolicae Sedis*, t. VI, p. 383; in *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 596.

(3) Cf. Cajetanus, *In Sum. theol.*, I, Q. II, a. 3, n. III.

a quo alia dependent. Haec porro notio magis ac magis distincta fit ex ipsis argumentis quibus illius entis existentiam demonstramus.

ARTICULUS Ius. **De necessitate logica praedictae demonstrationis.**

Supponimus falsum esse ontologismum, omnemque doctrinam quae assereret nos Deum ipsum, in essentia sua, immediate *intueri* (1). Remanet ut inquiramus utrum haec propositio *Deus existit* sit *immediate* nobis nota, an *mediate* seu ope demonstrationis.

56. Haec propositio « Deus existit » est per se nota quoad se,

Propositio: *Deus existit* est *per se nota quoad se* seu objective spectata.

Etenim haec propositio est per se nota *quoad se,* in qua praedicatum est ontologice de ratione subjecti (2): jamvero *existentia* non solum necessario convenit Deo, sed est realiter ipsa essentia Dei.

Propositio: *Deus existit* non est *per se nota quoad nos.*

non quoad nos,

Etenim propositio per se nota *quoad nos* illa est cujus praedicatum non solum est de ratione subjecti vel saltem immediate sequitur ejus rationem, sed id immediate nobis notum est, ut « totum est majus qualibet sua parte seorsim accepta » (3). Jamvero nos in notione quam naturaliter de Deo habemus non possumus immediate deprehendere ipsum actu existere, quia ipsum in sua essentia non intuemur.

Quapropter illa *necessitas* demonstrandi existentiam Dei pertinet ad ipsam naturam humanam, quae, per abstractionem a rebus sensibilibus, omnem intellectualem cognitionem naturaliter sibi acquirit. Ideo admitti nequit id quod Möhler asserit, et Aicher, in *Theologische Quartalschrift,* (Tübingen), 1914, p. 251, approbando refert, scilicet: « necessitas demonstrandi Deum existere est praecipuum signum lapsus generis humani in Adamo, et, in seipsa, terribile phaenomenon ». *Difficultas* autem quam nunc multi homines experiuntur in perspicienda demonstratione existentiae Dei, difficultas nempe quae provenit ex ignorantia et passionibus, est de facto sequela peccati originalis; sed nescimus utrum illa difficultas nunc major sit quam in omni possibili statu mere naturali fuisset.

Nota 1. Propositio *Deus existit* non solum non est per se nota quoad nos sed etiam non est analytica, non enim a priori vel a simultaneo demonstrari potest, ut suprà diximus loquendo de argumento nuncupato a S. Anselmo (4).

57. nec est analytica

2. « Haec quaestio de demonstrabilitate *a priori* existentiae Dei *etiamsi admitteretur innata nobis idea Dei* est omnino independens ab altera quaestione de ideis innatis. Quaeritur enim utrum ex idea Dei possit divina existentia realis inferri, sive idea illa sit naturaliter indita, sive sit nostra ratiocinatione acquisita. Et hoc bene nota ne unam quaestionem cum altera

(1) V. suprà, n. 36.

(2) Cf. S. THOMAS, *Summa contra Gentiles,* L. I, c. 10; ZIGLIARA, *o. c.,* t. II, p. 381; DE JAEGHER, *o. c.,* n. 144; REMER, *Summa praelectionum philosophiae scholasticae,* Prati, 1895, t. II, p. 388 ss.

(3) « Non est confundenda propositio per se nota quoad nos cum *analytica:* quia multae sunt propositiones analyticae cognitae per demonstrationem [Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 156 s.]... Characteres propositionis per se notae quoad nos sunt *a)* ut cognitis terminis, quibus constat, statim intelligatur; *b)* ut ejus subjectum cogitari nequeat quin praedicatum in eo contineri deprehendatur; *c)* ut nullus intellectus de ejus veritate ambigere queat ». REMER, *o. c.,* p. 309.

(4) Cf. CHOSSAT, *o. c.,* col. 890.

confundas; quamvis verum sit recentiores adsertores demonstrabilitatis a priori existentiae Dei communiter inclinare in innatismum idearum » (1).

ARTICULUS IIus. **Exponuntur argumenta demonstrantia** (2) **Deum existere.**

§ I.

Quinque argumenta proposita a S. Thoma (3).

58. 1um argumentum: ex motu.

1um *argumentum,* ex *motibus* seu mutationibus rerum hujus mundi:

Omne quod movetur, h. e. omne quod transit de potentia ad actum, movetur ab alio ente. Atqui ex experientia constat entia hujus mundi moveri. Ergo illa entia moventur ab alio. Sed illud aliud ens debet esse ultimatim ens *immobile* seu quod ipsum non mutatur in movendo: secus non esset ratio sufficiens motus quem experientia cognoscimus. Ergo existit *primum movens immobile.*

59. Declaratur antecedens,

Declaratio. 1° Primum principium *omne quod movetur ab alio movetur,* est sequela seu applicatio principii magis universalis: *nihil est sine ratione sufficienti* (4).

quid sit moveri,

a) *Moveri,* de quo hîc agitur, est universim *transire de potentia ad actum* (5). Ens eatenus mutatur (passive) quatenus transit de uno modo sese habendi ad alium, quatenus aliquid accipit quod prius non habebat (6), seu quatenus fit id quod prius non erat. Porro hoc *fieri* est *moveri.* Jamvero, antequam ens fiat aliquid, debet esse capax ut fiat hoc: igitur omne moveri est transire de potentia ad actum.

Porro ens, quod et quatenus est *capax* fiendi aliquid seu in potentia habendi aliquam perfectionem, hanc nondum habet; quodsi hanc non habet, hanc nec dare potest sibi ipsi: igitur ut illud ens fiat id quod fieri potest, vel habeat id quod potest habere, requiritur ut alterum ens agat in primum et efficiat hoc transire de potentia ad actum; hoc significamus dicendo: omne quod movetur ab alio movetur.

Porro ut ens moveat aliud seu in illo efficiat perfectionem, oportet habeat hanc perfectionem: si illud ens movens *acceperit* ipsum movere, oportet ut hoc acceperit a tertio.

---

(1) ZIGLIARA, *o. c.*, p. 382.

(2) Est demonstratio *a posteriori.*

(3) *Sum. theol.*, I, Q. II, a. 3.

(4) De hoc principio et de connexione ejus necessaria cum primo omnium principio, seu principio identitatis, cf. GARRIGOU-LAGRANGE, ap. D'ALÈS, *Dict. apol.*, art. *Dieu,* col. 983, 992; card. MERCIER, *Ontologie*[3], Louvain, 1902, n. 186 ss.

(5) Secundum mentem S. Thomae, « omne quod movetur ab alio movetur » non est intelligendum de solo motu *locali* sed de omni transitu de potentia ad actum. Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 262, 349; DE MUNNYNCK, *De Dei existentia,* Lovanii, 1904, p. 66 ss.; GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.*, col. 1026 ss.

(6) Vel quatenus amittit id quod prius habebat: sed in re nostra sufficit considerare mutationem qua advenit id quod prius aberat.

b) Inde inferimus aliud principium: *in serie moventium realiter et actu subordinatorum non potest procedi in infinitum.* Quod significat: quando ens aliquod actu movetur ab alio, et hoc alterum a tertio, et ita porro, motionis primi entis *non datur ratio sufficiens* in hac serie: oportet ut sit aliquod ens quod ipsum sit immotum et causa motus alterius; aliis verbis: singula entia, ex hypothesi, sunt incapacia a semetipso solo movendi aliud et singula indigent moveri a praecedente; quantumlibet protrahatur haec series, insufficientia rationis motus remanet eadem: ut igitur sit sufficiens ratio motus actualis in primo ente considerato requiritur motor immobilis, non motus.

cur in serie moventium realiter et actu subordinatorum non sit procedere in infinitum;

Si in aliquo determinato ente consideratur aliquis motus, puta motus localis, requiritur ergo causa illius motus et ultimatim requiritur ens quod sit movens immobile sub hoc respectu: sed si hoc ens immobile sub hoc respectu esset motum sub alio respectu, iterum requireretur aliud ens immobile sub hoc secundo respectu; unde si considerantur omnes series entium motorum sub quolibet respectu, oportet admittatur quoddam ens quod sit motor absolute immobilis.

2° Res hujus mundi moventur seu transeunt de potentia in actum.

60. declaratur minor.

a) Multa dantur entia quae moventur localiter: v. gr. astra: jamvero illius motus localis non datur ratio sufficiens nisi sit ens quod sit causa alicujus motus localis et quod sit ipsum immobile sub hoc respectu et quod proinde non sit corpus (1).

b) Entia viventia moventur h. e. transeunt de potentia in actum, v. gr. crescunt, acquirunt qualitates: ergo supra omnes series entium viventium existit ens quod est causa illorum motuum vitalium, quod ipsum est vivens, et sub ratione vitae, immobile.

c) Cognoscimus entia spiritualia, v. gr. animam humanam: in anima habetur facultas quae vocatur *voluntas.* Jamvero humana voluntas non est, a primo instanti suae existentiae, in actu volendi; sed *incipit* velle, nempe a statu non volendi transit ad actum volendi; praeterea voluntas incipit velle res quas prius non volebat. Primus voluntatis actus (sive primus absolute, sive primus in quadam serie operationum) est amor erga bonum quod ut finem volumus (2). Ut voluntas actu amet, oportet ut transeat a statu in quo nondum amabat ad actum amandi; ad hoc oportet ut moveatur ab ente quod est actu volens et immobile in volendo (3).

Illa exempla dedimus ut perspiciatur quo sensu dicatur entia hujus mundi moveri; sed argumentum valet pro omni transitu de potentia ad actum;

---

(1) Difficultates quae specialiter moventur contra necessitatem causae immobilis quoad *motum localem* exponuntur et refutantur a GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.*, col. 1030. Notemus hoc quod si diceretur ad motum actualem corporum sufficere ut existant corpora praedita vi quadam ita ut sint ipsa causa immediata motus localis, tamen requiritur causa illorum corporum et causa illius determinatae vis et determinatae corporum positionis, ex quibus oritur motus localis.

(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XX, a. 1; I-II, Q. X; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.*, in *Collat. Brug.* t. V, p. 587 s.

(3) Intellectus non physice, nec efficienter movet voluntatem, non movet quoad exercitium actus, sed tantum *objective*, praesentando objectum, nempe bonum. Cf. S. THOMAS, I-II, Q. IX, a. 1.

statim ac de hac mutatione constat, infertur existere ens quod perfectionis, quae acquiritur, est causa, quod proinde hanc perfectionem habet (vel formaliter vel eminenter), et quidem immobiliter, nempe *a se ipso;* quodsi hoc ens, sub alia ratione movetur, iterum requiritur ens quod sub hac ratione sit causa immobilis, et sic porro: admittendus est igitur motor absolute immobilis, nempe cujus agere actuale sit omnino a semetipso nec indigeat moveri. Jamvero patet hoc ens esse in semetipso, in essentia sua, realiter distinctum ab omni ente mobili, unde patet illud ens esse realiter distinctum a mundo aspectabili, esse supra illum et esse ens supremum: jam sic demonstravimus existere illud ens, cujus essentia, ut postea exponemus, plene respondet notioni quam de Deo habent homines.

Nota. Censemus argumentum *ex motu* logice continere existentiam *praemotionis physicae* in creaturarum operatione (1).

Objectiones.

61. objectiones: 1°) ex notione vitae

1) Omne vivens finitum *movet semetipsum:* ergo falsum est: omne quod movetur, *ab alio* movetur.

R. *Dist. antec.:* Omne vivens finitum *movet semetipsum* hoc sensu quod vivens agit *immanenter,* h. e. quod ipsum est causa *proxima* operationis qua perficitur, *conc.,* hoc sensu quod vivens sit causa *remota* (seu prima) propriae operationis, *nego.*

Explico. Vivens, sicut omne ens, nequit a semetipso solo transire de potentia ad actum, seu a semetipso solo dare sibi perfectionem (puta ipsum *agere*) quam non habet: ut vivens *incipiat* agere debet moveri ab alio; sed si movetur ab alio ad agendum, eliciet operationem quae est ipsi propria, qua nempe perficit semetipsum (2).

62. 2°) ex insufficientia conclusionis

2) Concesso quod admittendus sit quidam *primus motor,* non ostenditur illum motorem primum esse illud quod nos vocamus Deum; ergo argumentum ex motibus non valet ad demonstrandam existentiam Dei.

R. *Dist. antec.* Nondum *explicite* ostenditur primum motorem esse illud ens quod habet omnes notas quas communis notio de Deo continet, *conc.;* nondum ostenditur existere illud ens quod postea *explicite* ostendetur esse illud quod vocamus Deum, *nego.*

Explico. Posito quod demonstratur existere primum motorem, statim demonstratur illum esse motorem *immobilem,* et ulterius esse *actum purum,* proinde *infinitum, immaterialem,* personalem, realiter distinctum ab aliis entibus. Igitur demonstratio ex motibus ducit ad conclusionem: existit motor *immobilis,* et deinde ostenditur illud ens esse idipsum quod vocamus Deum.

63. 3°) ex notione quam scientia

3) Argumentum *ex motibus* propositum a S. Thoma nititur sententiae Scholasticorum qui tenent corpora esse substantias vere unas, in quibus

(1) Qua de re cf. VAN DER MEERSCH, *De Divina gratia,* n. 263 ss.
(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 562; t. XV, p. 13, 79, 135; VAN DER MEERSCH, *o. c.,* n. 263, 267.

naturalis moderna ex hibet de corporibus

insunt accidentia intrinsece modificantia substantiam; qui, in specie, motum localem considerant ut aliquid *ab extrinseco* inditum substantiae corporali de se *inerti;* atqui scientia moderna hanc notionem rejicit et corpora habet ut mere aggregata molecularum et atomorum (1) vel ut constituta elementis ad modum *virium* subsistentium (2); praeterea omnia phaenomena habet ut sequelas *energiae,* quae elementis *intrinseca* est et qua sese mutuo attrahunt vel respuunt: sic producitur motus localis, omniaque alia phaenomena quae non sunt nisi modificationes motus localis; ergo argumentum a S. Thoma propositum *ex motibus* non valet.

R. *Major* transeat.

Minorem distinguo: scientia moderna *logice* et proinde *scientifice* rejicit sententiam Scholasticorum, *nego;* quidam moderni cultores scientiarum naturalium *illogice* rejiciunt sententiam Scholasticorum, *conc.*

Nego consequens.

Explico. α) Peritissimi biologistae moderni agnoscentes essentialem differentiam inter viventia et non-viventia asserunt operationum vitalium non haberi rationem sufficientem in solo motu mechanico (nec in solis viribus, si quae sint, physicis ac chimicis) sed requiri aliquod *principium vitale* (3); inde sequitur corpora *viventia non* esse *mere aggregata* elementorum a se invicem distinctorum et *operationes vitales non* esse sequelas transformationum motus localis elementorum. Utraque conclusio philosophice ut certa demonstratur.

Quoad entia *non-viventia,* nec atomismus purus, nec dynamismus purus, nec atomismus-dynamicus demonstratur ut systema quod corporum essentiam (4) eorumque phaenomena explicat; imo utraque hypothesis falsa videtur (5).

β) Tandem si *abstrahimus* a quaestione de ipsa essentia corporum et de specifica differentia qualitatum ac virium illorum, si consideramus solas *mutationes* seu phaenomena corporum, *concludere debemus ad existentiam alicujus entis* quod est *supra universum corporeum* et *prima causa omnium mutationum* corporearum et proinde *immutabile,* saltem immune ab omni mutatione corporea. Etenim phaenomena certo certius eveniunt *physica necessitate,* h. e. omnino *determinantur* a natura elementorum, a loco quem occupant, a distantia qua ab invicem separantur, etc. Si nunc assurgimus ad prima elementa, a quibus, ex hypothesi, omnia phaenomena ultimatim *determinantur,* dicimus illa phaenomena omnino dependere a natura, a loco, a distantia, ab energia, primorum elementorum: sed impossibile est ut ipsa elementa *eligant* sibi determinatam naturam, sese ponant in

---

(1) Hic est *atomismus:* cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 309.
(2) Hic est *dynamismus:* cf. *ibid.*
(3) Cf. GRÉGOIRE, *Le mouvement antimécaniciste en biologie,* Louvain, 1905.
(4) Quaestio de *essentia* corporum est quaestio *metaphysica,* quae nequit solvi ex *sola experientia physica,* cujus objectum est complexus *phaenomenorum,* qua apparentium sensibiliter.
(5) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 311; NYS, *Cosmologie,* Louvain, 1903, p. 526-556.

determinata ab invicem distantia, etc.; igitur requiritur omnino ut extra illa prima elementa existat aliquod ens quod sit *causa determinans* illa varia adjuncta primorum elementorum; oportet etiam ut illud ens sit omnino *immune* a talibus determinationibus *ab extrinseco* accipiendis, secus in hoc ente non haberetur ratio sufficiens phaenomenorum. Igitur existit, extra et supra mundum, ens quod est prima causa mutationum et quod consequenter est *motor immobilis* (1).

Igitur argumentum S. Thomae desumptum ex motibus valet, etiamsi *abstrahamus* a sententia S. Thomae de essentia corporum illorumque accidentium, ac firmum remanet assertum: *omne quod movetur ab alio movetur;* aliis verbis: omne ens quod mutatur (passive) non habet in semetipso solo rationem adaequate sufficientem propriae mutationis, sed requirit aliud ens, saltem tamquam causam primam mutationis.

64. 2um argumentum, ex rebus factis.

2^{um} *argumentum,* ex rebus *factis* seu ex dependentia rerum a suis *causis efficientibus.*

Si existunt series entium causatorum quorum singula a praecedente producuntur, necessario existit causa incausata; atqui de facto existunt tales series entium causatorum, v. gr. series viventium: ergo existit *causa incausata.*

65. Declaratur antecedens

Declaratio. 1° Antecedens est sequela principii rationis sufficientis: quemadmodum nihil *est* sine ratione sufficienti, ita nihil *incipit esse* sine causa efficiente distincta a se: non enim est possibile quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius; quia esset prius seipso, quod est impossibile. Igitur quando aliquod ens incipit existere, oportet ut aliud ens sit illius efficiens causa.

Consideretur nunc aliqua substantia, v. gr. avis actu existens. Haec avis A non semper exstitit, sed processit ex quodam ovo. Hoc ovum productum est ab avi B. Haec avis processit ex alio ovo quod productum est ab avi C, etc. Quamtumlibet protractam cogites hanc seriem, etiam in infinitum (2), numquam in hac serie erit ratio sufficiens cur hic et nunc existat avis A. Ergo oportet ut extra hanc seriem sit aliquod ens quod sit causa efficiens vel alicujus avis vel alicujus ovi.

Hoc autem ens, cujus existentiam deteximus, estne aliquod ens causatum? Si ita est, oportet ut causatum fuerit ab alio ente: hoc autem aliud, si est ejusdem naturae, etiam necessario productum est ab alio: sic esset nova series entium causatorum. Igitur ut haec existat requiritur ut supra hanc seriem sit ens quod sit causa illius seriei... Quapropter requiritur omnino ut existat ens quod *nec factum* sit, *nec causatum,* et quod sit causa entium causatorum: ergo existit *causa efficiens prima incausata.*

---

(1) Cf. HALLEUX, *Le problème de la Cause Première,* Louvain, 1907, p. 53 ss.

(2) Abstrahimus a distinguendo seriem causarum *per se* subordinatarum et seriem causarum *per accidens* subordinatarum, nec requiritur haec distinctio ad valorem argumenti. Etenim in serie causarum *per se* subordinatarum, ut sit ratio sufficiens existentiae ultimi effectus considerati necesse est devenire ad primam causam in hac serie; in serie causarum *per accidens* subordinatarum, etiamsi admittatur possibilitas seriei *infinitae,* tamen ut sit ratio sufficiens existentiae ultimi effectus considerati, necesse est omnino ut *extra et supra hanc seriem* sit aliquod ens quod sit causa illius seriei. De hac re, cf. card. BILLOT, *De Deo,* thes. IV, § 2, p. 60 ss.

2° Minor facile perspicitur: sufficit considerare viventia quae in hoc mundo sunt.

66. Argumentum valet etiam in hypothesi evolutionis,

Adnotatio. 1. Illud argumentum valet etiam in hypothesi eorum qui contendunt integrum mundum aspectabilem, quemadmodum nunc existit, evolutione ex complexu atomorum fuisse productum: atomi enim et ipsae, quum materiales sint et saltem finitae, sunt causatae et proinde dependentes a causa incausata. Quodsi quis contenderet illas atomos non esse productas, sed a semetipsis existere, ille admitteret proinde existere causam incausatam seu ens a se, sed erraret circa naturam illius entis. Postea demonstrabitur causam incausatam esse ens *a se* et proinde *infinitum* ac *immateriale* (1).

concludit ad existentiam entis unici.

2. Exemplum sumpsimus ex serie avium causatarum: potest etiam considerari series arborum, series hominum. Quaeri potest utrum sit idem ens cujus existentia demonstratur singulis vicibus ac concluditur existere causam incausatam. Affirmative respondetur: nam causa incausata est ens infinitum et hoc est unicum (2).

Objectiones.

67. Objectio ex notione seriei entium.

1) Praedicatum quod singulis entibus non convenit, potest tamen convenire collectioni eorumdem entium; ergo ex hoc quod singula entia seriei entium productorum non habent rationem suae existentiae, non sequitur quod haec ratio sufficiens non insit *toti seriei.*

R. *Dist. antec.* Praedicatum quod aliquo modo, saltem inchoative, convenit singulis, et tale est ut ipsa collectio, qua talis, conferat ad perfectionem expressam per praedicatum... *conc.;* praedicatum quod *nullo modo* convenit singulis et quod non convenit collectioni qua tali, *nego.*

Nego consequens.

Centum homines possunt portare onus, quod duo nequeunt portare; quia singuli homines *aliquid* de onere toto portare possunt: sed si centum sunt homines omnino caeci, si collective sumuntur, nulla erit in ipsis visio. Etiam quia ens productum nullo modo habet in se rationem sufficientem suae existentiae, si datur series talium entium, non habetur in tota serie ratio sufficiens existentiae.

68. Objectio ex possibilitate seriei infinitae entium causatorum.

2) Si admittitur ut possibilis series infinita entium causatorum, unumquodque ens habet rationem sufficientem sui in praecedenti et in hac serie non est inveniendum primum ens; atqui si in hac serie invenitur ratio sufficiens uniuscujusque entis, non est admittendum aliud ens, extra hanc seriem, quod esset causa incausata, nempe Deus; ergo si admittitur ut possibilis series infinita entium causatorum, nequit Dei existentia demonstrari ex processu rerum a suis causis efficientibus; jamvero videtur admittenda tamquam possibilis series infinita entium causatorum; Ergo.

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. III, a 1 ss., Q. VII, a. 1, Q. IX, a. 1.
(2) Cf. ID., *o. c.*, Q. XI, a. 3.

R. Negatur antecedens pro eo quod asserit *in serie entium causatorum* unumquodque habere rationem *sufficientem* sui in praecedenti. Agitur enim de ratione *vere* et *adaequate sufficienti* (1) existentiae uniuscujusque entis causati. Porro supponamus in illa serie ens causatum A: in tantum hoc existit actu in quantum causatum fuit ab ente B; sed haec causa (quum sit ejusdem rationis seu causa univoca cum A) etiam in tantum existit et consequenter in tantum potuit producere A in quantum et ipsa fuit causata ab ente C; haec causa iterum in tantum existit et consequenter in tantum potuit immediate producere B et mediate producere A, in quantum et ipsa fuit causata ab ente D..... Igitur in tali serie unumquodque ens productum non habet rationem sui, h. e. suae actualis existentiae, in ente praecedenti, quum hoc jam supponatur causatum ab alio sine quo non exstitisset; in hac serie, quantumcumque haec protrahatur, remanet semper eadem *insufficientia*. Oportet igitur ut extra et supra hanc seriem inveniatur aliquod ens, alterius ordinis, non causatum sed causa seriei entium causatorum. Ne imaginatione fallamur circa seriem entium causatorum actu infinitam: si quis hanc ut possibilem habeat, non potest proinde in hac serie invenire *primum* ens, quum haec series sit *innumerabilis*. Sed extra et supra hanc seriem existit ens (alterius ordinis ac sunt entia in hac serie) quod est causa seriei. Proinde haec series ab illo ente *dependet* in sua existentia, et hoc sensu dici potest *incepisse*, licet ab aeterno existeret. Si ergo quis possibilitatem seriei entium causatorum actu infinitae admittat, pariter admittere debet hujus seriei causam esse ens incausatum.

69. Ulterior explicatio a) circa το fieri rerum.

Animadvertimus, ad ulteriorem responsionis explicationem, 1° actionem causae secundae (creatae) generantis terminari formaliter ad ipsum *fieri* geniti, et non ad ipsum *esse* ejusdem: hujus asserti veritatem perspiciet qui considerat hominem natum in *existentia permanere* absque actuali influxu genitorum. Audiamus S. Thomam:

« Omnis effectus dependet a sua causa, secundum quod est causa ejus. Sed considerandum est quod aliquod agens est causa sui effectus secundum *fieri* tantum et non directe secundum esse ejus. Quod quidem contingit et in artificialibus et in rebus naturalibus. Aedificator enim est causa domus quantum ad ejus fieri, non autem directe quantum ad esse ejus. Manifestum est enim quod esse domus consequitur formam ejus: forma autem domus est compositio et ordo, quae quidem forma consequitur naturalem virtutem quarumdam rerum. Sicut enim coquus coquit cibum adhibendo aliquam virtutem naturalem activam, scilicet ignis; ita aedificator facit domum adhibendo caementum, lapides et ligna quae sunt susceptiva et conservativa talis compositionis et ordinis. Unde *esse* domus dependet ex naturis harum rerum, sicut *fieri* domus dependet ex actione aedificatoris. Et simili ratione est considerandum in rebus naturalibus. Quia si aliquod agens non est causa formae in quantum hujusmodi, non erit per se causa *esse* quod consequitur ad talem formam, sed erit causa effectus secundum *fieri* tantum. Manifestum est autem quod, si aliqua duo sunt ejusdem speciei, unum non potest esse per se causa formae alterius in quantum talis forma, quia sic esset causa formae propriae, cum sit eadem ratio utriusque. Sed potest esse causa hujusmodi formae secundum quod est in materia, id est *quod haec materia acquirat hanc*

(1) Non est distinguendum inter causam inadaequate et causam adaequate sufficientem: causa sufficiens est causa vere, simpliciter, adaequate sufficiens illius effectus cujus dicitur causa.

formam [scilicet generans actione sua facit ut haec materia acquirat hanc formam], et hoc est esse causam secundum *fieri*, sicut cum homo generat hominem » (1).

2° Ad secundi syllogismi minorem quae sic effertur: *Videtur admittenda tamquam possibilis series infinita entium causatorum*, respondetur *transeat.* 70. b) *circa multitudinem actu infinitam*

De hac enim possibilitate disputatur inter philosophos (2); sive autem illa possibilitas affirmetur, sive negetur, solvetur difficultas allata, ut ex supra dictis constat.

Consideremus circa impossibilitatem *multitudinis* entium *actu* infinitae:

a) Repugnat *numerus infinitus;* est enim numerus: multitudo mensurata per unum (3); porro omnis numerus determinatur ac finitur per ultimam unitatem, quum constet ex additione unitatum.

b) Recte quidam philosophi, docentes quidem numerum infinitum repugnare, tenent tamen ut possibilem multitudinem entium actu infinitam, quae non esset numerabilis, *quoad nos:* etenim non videtur contradictio in hoc quod sit multitudo entium actu infinita, quae tamen *a nobis* non possit *numerari.* Attamen, ut videtur, omnis multitudo est *quoad se* numerabilis: nam omnis multitudo respondere debet alicui numero, sive praedicamentali, sive transcendentali (4): nam *multitudo,* ex formali sua ratione, mutatur si unum adjungitur vel tollitur ex illis quae constituunt multitudinem: igitur videtur de essentia multitudinis, qua talis, ut respondeat numero: quum autem numerus infinitus in se repugnet, ideo impossibilis videtur multitudo entium actu infinita.

Plures aliae quaestiones, cum praecedenti connexae, hic occurrere menti possunt; sed ab illis indicandis abstinemus, quum longiorem exigerent expositionem, quae caeteroquin non requiritur ad solvendam difficultatem a nobis propositam (5).

71. *3um argumentum ex contingentia rerum;*

3um argumentum, ex *contingentia* rerum materialium.

Contingens dicitur ens quod ita existit ut possit non existere, aliis verbis: ens quod non habet in semetipso et a semetipso rationem sufficientem existentiae propriae, adeoque quod de facto non existit nisi *dependenter* ab alio ente, h. e., quod non existit nisi ab extrinseco determinetur ad existendum.

Necessarium, e contrario, dicitur ens quod ita existit ut non possit non existere, aliis verbis: ens quod habet in semetipso et a semetipso rationem sufficientem suae existentiae, adeoque existit a se, omnino independenter ab alio ente.

Hoc posito dicitur:

Si existunt entia contingentia existit ens necessarium; atqui existunt entia contingentia, nominatim viventia corporalia; ergo existit *ens necessarium.*

Ad antecedens: si existunt entia contingentia, nullum eorum habet ex sese cur existat, nec, dum non est, potest facere ut sit; igitur *si omnia entia essent contingentia,* quandoque nullum eorum exstitisset: quod si quandoque nihil fuisset, nec nunc aliquid esse posset; ergo si existunt entia contingentia existit ens necessarium.

---

(1) *Sum. theol.*, I, Q. CIV, a, 1.

(2) De statu controversiae, cf. T. PESCH, *Institutiones philosophiae naturalis.* Friburgi Br. 1880, n. 406 ss.

(3) Cf, DE JAEGHER, *o. c.*, n. 208.

(4) Cf. *Ibid.*

(5) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. III, a. 7; CAPREOLUS, *In I sent.* dist. XLIII et XLIV, a. 2, t. II, p. 536 ss.; FERRARIENSIS, *in Summam contra Gentiles,* L. II, c. 81; CAJETANUS, in I, Q. VII, a. 4; PALMIERI, *Institutiones philosophicae.* Romae, 1874. vol. I, p. 504 ss., et vol. III, p. 176 ss.; T. PESCH, *o. c.*, l. c.; praesertim MATTIUSSI, *Fisica razionale* (manoscritto), Milano, 1896, P. I, p. 91 ss., ubi tota quaestio complete ac dilucide proponitur.

72. *ejusdem argumenti alia enuntiatio.*

Hoc argumentum potest etiam exprimi hoc modo: si aliquid existit, existit ens necessarium; atqui aliquid existit; ergo.

Declaratur antecedens: si aliquid existit hoc est vel necessarium vel contingens; si necessarium, ergo existit ens necessarium; si contingens, ergo dependet ab alio. Hoc aliud est vel necessarium, vel contingens....

Jamvero impossibile est ut omnia existentia sint contingentia, ut suprà ostendimus: ergo si aliquid existit, existit ens necessarium.

Quod ens necessarium est essentialiter distinctum a contingentibus: hoc constat ex ulteriori analysi naturae entis necessarii.

73. *Objectio*

Objectio.

In tantum ex entibus contingentibus demonstraretur existentia Dei, in quantum entia contingentia requirerent, ut causam, ens necessarium: atqui ens contingens non requirit, ut causam, ens necessarium; ergo.

R. *Dist. Maj....* in quantum entia contingentia requirerent, ut causam, saltem *remotam,* ens necessarium, *conc.;* in quantum entia contingentia requirerent, ut causam *proximam,* ens necessarium, *nego.*

Contrad. min. Ens contingens non requirit, ut causam *proximam,* ens necessarium, *trans.;* ens contingens non requirit ut causam saltem *remotam,* ens necessarium, *nego.*

74. *4um argumentum, ex diversitate graduum entium*

4um argumentum, ex *diversitate graduum perfectionis,* qui inveniuntur inter entia de facto existentia.

« Praeobservandum est esse duplicis generis perfectiones. Quaedam sunt quae non suscipiunt majus et minus, sed in indivisibili consistunt; et ista sunt *rationes specificae* rerum, id est, rationes singularum specierum constitutivae... Sed aliae sunt perfectiones, quae magis et minus suscipiunt, ac per gradus alios aliis superiores, inveniuntur progredi ab infirmo versus summum, in eadem ratione, vel *analoga* tantum, vel etiam *univoca.* In eadem ratione *univoca,* ut si consideres perfectiones mere accidentales, quae intra unam eamdemque speciem, majores sunt vel minores: puta sapientiam, virtutem, bonitatem, et illa alia plurima secundum quae dicitur unus homo melior et perfectior. In eadem ratione solum *analoga,* ut si consideres rationes generales essendi, vivendi, intelligendi, in variis speciebus existentes... Istae igitur perfectiones sunt, plus et minus suscipientes, a quibus sumitur praesens argumentum » (1).

Si dantur in entibus existentibus varii gradus perfectionis et entitatis (ut statim explicuimus), existit ens summe perfectum seu summum ens; atqui existunt varii gradus perfectionis et entitatis; ergo existit summum ens.

Ad antecedens: perfectio *limitata* est necessario perfectio *causata,* proindeque participata ab alio ente: etenim perfectio v. gr. cognoscere, vivere, esse, in sua essentiali ratione non includit limitationem ad determinatum gradum cognitionis, vitae, essendi. Si igitur perfectio talis *ex semetipsa*

(1) BILLOT, *De Deo,* p. 68-69. Cf. GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.,* col. 1049 ss.

realis esset seu existeret, existeret illimitata, existeret nempe ipsum cognoscere, ipsum vivere, ipsum esse. Ergo si existit aliqua perfectio limitata, coarctata, haec existit dependenter ab aliqua *causa,* quae determinatum gradum perfectionis communicavit. Si igitur in rebus hujus mundi existunt tales perfectiones limitatae seu minoratae (ut de facto est) oportet ut hae causentur ab aliqua causa efficiente, quae sit supra mundum. Rursus illa causa habet has perfectiones vel in summo gradu qui de illis dari potest, vel in gradu limitato. Si primum, ergo existit aliquid quod sit maxime cognoscens, vivens, maxime ens. Si secundum, propter rationem supra expositam, oportet progredi ulterius usque dum veniatur ad ens illud quod sit summe ens: nam secus non datur ratio sufficiens existentiae actualis perfectionum limitatarum quae de facto existunt.

Nota. Hoc argumentum est validum eo sensu quo illud exposuimus, sc. ex gradibus diversis perfectionis inferendo existentiam entis, quod est maxime ens, sub ratione formali *causae efficientis* perfectionum limitatarum (1). Non valet si *in ordine mere ideali* a consideratione graduum diversorum perfectionis fit transitus ad *conceptionem* entis summi et asseritur illud ens ut de facto existens (2). Tunc argumentum laborat eodem vitio quo argumentum quod dicitur S. Anselmi.

Objectio. *75. Objectio ex ratione limitationis.*

Assertum « perfectio *limitata* est necessario *causata* », supponit quod perfectio non potest limitari nisi in quantum recipiatur in aliqua potentia subjectiva, atqui hoc ultimum negant multi bonae notae philosophi; ergo, saltem ex auctoritate, assertum in quo nititur quarta via est dubium.

R. *Nego antecedens — Transeat minor.*

Explico. 1° Quoad antecedens: « perfectio *limitata* est necessario *causata* », hoc assertum est explicatio hujus: perfectio simplex (h. e. in cujus ratione non includitur limitatio) nequit *a semetipsa* limitari in perfectione. Hoc autem assertum est evidens: nequit enim concipi quod simplex perfectio sit, in eadem linea perfectionis, negatio perfectionis: inde si perfectio simplex est *ex semetipsa* existens, necessario existit secundum omne id quod importat haec perfectio, proinde *illimitata* existit (3); ergo ut existat *limitata* oportet ut existat *ab alio,* ergo ut sit ab hoc alio limitata. Et sane consideremus perfectionem simplicem: *intelligere.* Haec perfectio, in sua formali ratione, nullam includit limitationem: est perfectio a nobis abstracta, et hujus ratio abstrahit ab omni modo diverso quo potest existere. (Inde intelligere est notio analoga). Intelligere autem *limitatum* est tale intelligere

(1) Sic propugnant argumentum BUONPENSIERE, *Commentaria in 1 P. Summae,* p. 124; BILLOT, *o. c.,* p. 69 s.; PÈGUES, *o. c.,* p. 104.

(2) Hoc sensu propugnat argumentum P. DE MUNNYNCK, *o. c.,* p. 56 ss., cujus opinio refutatur in *Collat. Brug.,* t. IX, 479; in *Revue néo-scolastique,* 1904, p. 375; in *Revue Thomiste,* 904, p. 1363 ss.; in *Revue Augustinienne,* 1909, t. XV, p. 571 ss.

(3) « Perfectio incausata est ex suo conceptu, ipsa per essentiam perfectio; talis autem non est minorata nec deficiens, ut in terminis perspicuum est » BILLOT, *o. c.,* p. 69.

quod ultra quemdam determinatum gradum non se extendit. Jamvero perfectio simplex *intelligere* in sua formali ratione nullam includit limitationem, non habet *exigitive* determinatum quemdam gradum ultra quem non se extendit; si proinde a semetipsa existit, seu si est suimetipsius existentiae ratio adaequate sufficiens, haec perfectio erit absoluta, erit ipsum intelligere, seu subsistens intelligere, seu intelligere illimitatum; ergo si existit intelligere limitatum, hoc est necessario causatum.

Causatum, dico, et imprimis quidem quatenus habet causam *efficientem,* quae actione sua facit existere talem determinatam et limitatam perfectionem intelligendi. Causa porro efficiens est realiter distincta a suo effectu: nihil enim potest esse causa efficiens suimetipsius, secus deberet existere antequam existit. Sed praeterea requiritur ut illa causa efficiens (vel alia a qua haec dependet) habeat *ideam* de illo determinato gradu perfectionis intelligendi quam producit, requiritur proinde causa *exemplaris* illius (1). Ostendimus igitur quod omnis perfectio limitata est necessario causata, quatenus omnis perfectio limitata habet necessario causam efficientem et exemplarem: quae sunt causae *extrinsecae* effectui. Per hoc solvimus difficultatem.

Sed ulterius notare volumus quod habemus ut certum et evidens, quod perfectio realis non potest existere limitata, nisi quatenus vel est actus alicujus potentiae in qua recipitur vel est ipsa potentia ad actum superioris ordinis (2). Quapropter ut aliqua perfectio simplex, puta *intelligere*, possit existere limitata, et modo aliquo determinato (v. gr. intelligere humanum vel intelligere alicujus angeli), requiritur ut illa perfectio recipiatur in reali potentia subjectiva a qua realiter limitatur (3).

2° Quoad *minorem,* in documento dato a Sacra Congregatione Studiorum, die 27 Julii 1914, quo theses quaedam adprobantur, quibus exprimuntur principia et pronuntiata majora S. Thomae, in re praesertim metaphysica, legimus sequentes:

« I. Potentia et actus ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tamquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat.

II. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam quae est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus existit, ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositonem » (4).

---

(1) Quod confirmatur sequenti consideratione: perfectionis simplicis, v. gr. intelligere, possibiles sunt multi varii gradus: ut autem praecise hi determinati gradus existant, requiritur ut sit ratio sufficiens illius *determinationis:* haec porro ratio sufficiens non est nisi ens quod praecognoscit illos diversos gradus et facit illos existere prae aliis possibilibus.

(2) Cf. REMER, *o. c.*, t. I, p. 227; GREDT, *Elementa philosophiae aristotelico-thomisticae,* Friburgi Br., 1912, vol. II, n. 561.

(3) De hac re redibit sermo ubi de *infinitate* Dei.

(4) *Acta Apostolicae Sedis*, t. VI, p. 384; *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 586.

76. *5um argumentum, ex ordine rerum.*

5um argumentum, ex *ordine,* qui existit in Universo.

Si existit ordo pulcherrimus inter entia hujus Universi, existit supra Universum ens quoddam sublimi intellectu praeditum; atqui existit ordo pulcherrimus in Universo; ergo.

Ad antecedens: ordo est quaedam inter plures diversasque res dispositio qua singulae determinatum et *suum* occupant locum (latissime sumptum); determinatum autem ac *suum* occupant locum, in quantum ita ponuntur ut ratione illius positionis aliquem *finem* consequantur: v. gr. libri in bibliotheca *ordinantur,* quando in eadem theca collocantur libri qui de eadem materia tractant, vel qui sunt ejusdem altitudinis quantitativae. Jamvero ordinis descripti non datur ratio sufficiens nisi in intellectu, nempe in ente quod cognoscit *rationem finis ac medii:* quae cognitio, utpote immaterialis, est intellectualis. Necessitas intellectus ordinantis magis elucet, si considerantur entia, v. gr. viventia quae carent intellectu et tamen *propter determinatum finem agunt:* hujus operationis ratio sufficiens non invenitur nisi in intellectu dirigente illa operantia ad hunc finem, et proinde cognoscente rationem finis ac medii. Caeteris paribus, quo pulchrior et magis complexus est ordo, eo perfectior est intellectus qui concepit illum.

Minor declaratur. In mundo dantur multa entia, nominatim viventia, quae ordinem habent *intrinsecum* suae particulari naturae (1). Viventia v. gr. constituuntur cellulis, quae tali modo uniuntur quo constituant determinata organa, quae et ipsa ad propriam operationem habent positivam aptitudinem et exigentiam: oculus hominis v. gr., eo factus est modo ut homo *videat.* Deinde organa varia earumque propriae operationes sunt tales quibus obtineatur bonum totius individui et ulterius propagatio individuorum ejusdem speciei. — Praeterea diversae substantiae quae in mundo sunt ita *cooperantur* ut resultet bonum Universi. Hic ordo vocatur *extrinsecus* (2). Igitur est verus *ordo* in rebus creatis.

Ordinis non potest haberi *ratio sufficiens* nisi in ente quod est intellectu praeditum, ut suprà in antecedens ostendimus, ideoque supra mundum existit intellectus ordinans illum.

Nec objicias: mundus constitui potest ex atomis, quae propria vi sese mutuo attrahunt vel respuunt ita ut constituantur varia corpora: nam dato et non concesso quod corpora omnia constent elementis a se invicem distinctis, illa elementa de se sunt indifferentia ad talem locum, vel talem situm, vel talem motum: nisi sit ens quod *determinet* et locum et situm et motum, haec non erunt. Ut autem illa elementa ita quoad locum, situm,

(1) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 458 ss.

(2) Cf., *ibid.*; DE LAPPARENT, *Science et apologétique*, Paris, 1905, p. 182 ss. « Si la finalité *externe* nous échappe maintes fois, et si des apologistes maladroits l'ont invoquée trop souvent, il ne faut cependant pas la nier; il est même des cas où elle paraît assez évidente. Ainsi les plantes par leur respiration purifient l'air chargé de l'acide carbonique qui provient de la respiration des animaux: par la respiration à la lumière, la plante décompose cet acide carbonique, restitue de l'oxygène nécessaire à l'animal, et absorbe le carbone, avec lequel elle compose des hydrocarbures combustibles qui serviront d'aliment à l'animal. Mais il n'est pas nécessaire que cette finalité externe soit toujours réalisée, elle est exigée par le supérieur et non par l'inférieur; à une époque où la vie animale n'avait pas encore paru, la vie végétale, si elle existait, n'atteignait pas sa fin externe ». GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.*, col. 1071 s.

motum, determinentur ut efficiatur *ordo,* qui existit de facto in mundo, requiritur intelligens qui cognoscat et ipsam dispositionem obtinendam (*finem*) et *media* apta ac proportionata praecise ad hunc finem (1).

Nota. Hoc argumentum non demonstrat directe existentiam intellectus *infiniti.*

Argumentum, quod exposuimus, desumitur proprie *ex ordine* qui in rebus viget, ex ordine *intrinseco* et *extrinseco,* et nititur *principio rationis sufficientis,* scil. *effectus,* qui **ordo** *est, nequit haberi absque intellectu ordinante.*

In describendo *ordine,* vigente in rebus mundanis, ostendimus ipsum ordinem esse *contingentem* (v. responsum ad objectionem sequentem); praeterea in ipsa ratione *ordinis* continetur ipsa *finalitas* seu *intentionalitas.* Quapropter censemus argumentum, quali hîc fuit expositum, satisfacere iis quae ut necessaria traduntur ab III^mo^ KERKHOFS, in *Revue écclésiastique de Liège,* t. XVII, 1925, p. 159.

77. *Objectio ex theoria evolutionismi.*

Objectio.

Ordo Universi explicatur per hoc quod admittatur materiae insitam esse virtutem evolvendi semetipsam: quae virtus in eo constituitur quod materia infecta, aeterna, indestructibilis, pollet viribus ex se determinatis ad operandum et ad producendam seriem motuum et generationum: ergo non admittenda est causa *ordinis* quae sit distincta ab ipsa materia.

R. *Nego antecedens et consequens.*

α) *Materia, infecta* est contradictio in terminis: materia enim est ens *finitum,* et omne ens finitum est *causatum* seu *factum.*

β) Materia, seu complexus rerum materialium, quae nunc de facto existit, non demonstratur *aeterna;* imo etiamsi admittatur possibilitas elementorum materialium *ab aeterno productorum,* tamen demonstratur ex scientiis naturalibus Universum materiale, quod nunc existit, quandoque *finem* esse habiturum seu cessandum ab existendo in statu in quo nunc est: quod si mundus habiturus est finem, certo certius habuit *initium* in tempore, nec fuit ab aeterno (2).

γ) Virtus evolutionis, quae in objectione asseritur inesse materiae a qua incoepisset mundus, nullo modo est ratio sufficiens *ordinis* de facto existentis: etenim 1° materia primitiva est vel complexus particularum *homogenearum* vel *heterogenearum:* si mundus noster procedit ex elementis homogeneis, tunc ordo *physica necessitate* dependet a numero, positione, distantia ab invicem illorum elementorum: jamvero illa elementa, ex sese, sunt omnino *indifferentia* ad numerum, positionem, distantiam: requiritur proinde causa quae *determinet* varia adjuncta, quae nequeunt determinare elementa. Si vero supponas elementa esse *heterogenea,* tunc ordo mundi

(1) Cf. card. MERCIER, *Ontologie,* n. 259-262. Totum argumentum ex ordine mundi profunde examinat et contra hodiernas objectiones propugnat P. GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.,* col. 1063 ss.

(2) Cf. DE LAPPARENT, *Science et apologétique,* p. 164-182; VAN MIERLO, *Een opwerping tegen de schepping weerlegd,* (Geloofsonderricht, Brugge), bl. 18 ss.

physica necessitate dependet a diversitate speciei elementorum, ab ipsorum numero, positione, distantia: jamvero ipsa elementa, qua talia, nequeunt esse causa talium *determinationum:* ad hoc requiritur causa ab illis distincta (1). Nec dicas: « haec omnia facta sunt *fortuito* »: talis enuntiatio est negatio principii causalitatis. Rite demonstratur haec thesis: nulla evolutio cosmogonica potest rationabiliter defendi, nisi quae admittit in nebula primitiva statum ab initio inditum tensionis teleologicae maxime artificiosae (2). — 2° inter entia mundana sunt *viventia* et entia *intellectu praedita:* jamvero elementa mere materialia non possunt efficere ens vivum, nec ens intellectu praeditum.

Antecedens igitur objectionis est omnino falsum. Haec falsitas magis elucet sequenti consideratione: ipsi materialistae sciunt quod, quando volunt producere aliquod phaenomenon, sive chimicum, sive physicum, debent eligere *determinata* elementa in *determinata* quantitate eaque ponere in *determinatis* adjunctis: ipsum phaenomenon producendum omnino dependet ab illa *dispositione:* haec dispositio (hoc nomine intelligimus omne quod respicit quantitatem, locum et varia adjuncta) est independens ab elementis in semetipsis consideratis, quum possint *aliter disponi:* requiritur ergo *causa* illius dispositionis, et haec causa nonn sunt elementa. Si sic est pro aliquo phaenomeno, a fortiori requiritur *causa dispositionis* elementorum a quibus, ex hypothesi, procedit tantus complexus phaenomenorum qui est Universum.

Nota. Sic responsum dedimus objectioni propositae: sed non praerequiritur responsio ad hanc objectionem ut demonstretur existentia alicujus *causae primae incausatae,* vel entis *necessarii:* haec demonstratio, ut suprà, n. 64, 71, exposuimus, est omnino firma, dummodo quis habeat notionem, licet confusam, *effectus* et *causae,* entis *contingentis* et *necessarii,* et dummodo non neget ipsum principium contradictionis, dummodo nempe non neget aliquid non esse simul et sub eodem respectu causatum et non-causatum, contingens et non-contingens.

Si quis objicit: ens incausatum, ens necessarium, cujus existentia demonstratur, est ipsa materia aeterna: statim respondebitur materiam non posse esse causam incausatam, nec ens necessarium: sufficit ad hoc ut explicetur ens non posse in essentia sua esse simul finitum ac infinitum.

78. *Conclusio*

Conclusio. 1) Singula S. Thomae argumenta nituntur *principio causalitatis,* quod si quis rejiciat jam nulla ipsi remanet via ad demonstrandam Dei existentiam.

2) Licet illa argumenta nitantur principio causalitatis, tamen sunt formaliter inter se diversa, quia unumquodque initium habet in aliqua diversa ratione *effectus:* prima via considerat entium *mutationes* et infert existen-

---

(1) Bene notemus dispositionem, quae inter prima elementa viget, esse *extrinsecam* essentiae illorum elementorum, nec esse necessario connexam cum essentia elementorum: essentia igitur elementorum non est ratio sufficiens *determinationis* dispositionis; nec potest esse causa efficiens dispositionis, quia singula elementa non possunt *se ponere* in loco determinato: in loco *ponuntur ab alio, a quo dependent.*

(2) GREDT, *Elementa philosophiae aristotelico-thomisticae,* Friburgi, Br., 1909, vol. I, p. 295.

tiam causae illorum, sub formali ratione *motoris immobilis;* secunda via considerat substantias formaliter ut *effectas* et infert existentiam causae illorum sub ratione causae *efficientis incausatae;* tertia via considerat entia ut *contingentia* et infert existentiam causae illorum sub formali ratione entis *necessarii;* quarta via considerat *gradus* diversos et *limitatos perfectionis* in entibus et infert existentiam causae illorum graduum sub formali ratione *summi entis;* quinta via considerat *ordinem* in rebus et infert existentiam causae ordinis sub formali ratione entis *intelligentis.*

3) Singula argumenta inferunt existentiam illius entis quod est Deus, sed nondum *explicite* important quod idem sit ens quod est motor immobilis, prima causa efficiens, ens necessarium, etc.; nec etiam *explicite* demonstrant hoc ens esse *infinitum.* Illae conclusiones deinde inferuntur ex ipsa analysi notionis *motoris immobilis, primae causae incausatae, entis necessarii:* tunc etiam plene declaratur essentia illius Entis; sed illius Entis realis distinctio a mundo, jam explicite continetur in ratione entis *immutabilis* prout opponitur entibus motis, entis in se *incausati* prout opponitur entibus causatis, entis *necessarii* prout opponitur enti *contingenti,* etc.

4) Singula argumenta quoad substantiam eorum exposuimus secundum mentem S. Thomae: valde etiam utilis est cognitio historica de evolutione singularum demonstrationum, qua elucet eas fuisse a S. Thoma adductas ad ultimam perfectionem (1).

Nota. Ut demonstratio de existentia Dei rite proponatur populo, utiliter legentur: *Collat. Brug.,* t. I, p. 166 ss.; *Collat. Tornac.,* t. XIV, p. 439, 477; VAN DER MEERSCH, *Over het bestaan van God,* Geloofsonderricht, Brugge, 1910; VAN MIERLO, *Een Opwerping tegen de Schepping weerlegd,* ib.; GEISTMANN, *Jehovah,* Peer, Sint-Lambertus' drukkerij, 1911; FAMULUS, *Geen God?* Amsterdam, G. Borg, 1913; JANSSENS O. P. en VAN DER MEERSCH, *Eenige bewijzen van het bestaan van God,* Geloofsverdediging, Antwerpen, 1914. — LAMBRECHT, *Verklaring van den mechelschen Catechismus,* Gent, 1883, t. III, bl. 1366; DE WEERDT, *Onderwijzing over de christelijke leering,* Mechelen, 1905, 1e D., bl. 47.

§ II.

De quibusdam aliis argumentis.

79. *Perpenditur valor argumenti ex testimonio generis humani: quod argumentum non est apodicticum.*

1° Argumentum *ex testimonio generis humani.*

Homines moraliter omnes (omnis loci ac temporis) persuasum habent existere aliquod ens supremum (a quo dependent) seu Deum; atqui hujus persuasionis non datur ratio sufficiens nisi veritas hujus persuasionis; ergo Deus existit.

Hoc argumentum solum sumptum, *non ut apodicticum* habemus: *a*) quia ipsum factum praedictae persuasionis totius generis humani difficile demonstratur (2), licet a plerisque admittatur. Imo qui hoc ultimo tempore

(1) Circa hoc utiliter legetur dissertatio P. HENRY, *Histoire des preuves de l'existence de Dieu au moyen-âge,* in *Revue thomiste,* 1911, t. XIX, p. 3, et p. 141.

(2) Cf. DE MUNNYNCK, *o. c.,* p. 84.

operam dederunt studio circa religiones populorum non-cultorum censent apud omnes populos semper viguisse aliquam religionem et magis ac magis ex perspectis phaenomenis religiosis confirmatur sententia asserens primitivam hominum religionem fuisse *monotheismum* (1).

b) Hujus autem persuasionis solam *veritatem* posse esse rationem sufficientem non facile demonstratur. Nam *α*) non constat utrum populi persuasionem de existentia Dei teneant ex naturali lumine rationis cognoscentis saltem aliquo modo demonstrationem existentiae Dei an ex primitiva revelatione transmissa a generatione ad generationem (2). Si ex sola fide hoc teneant, non constat esse impossibile ut populi adeo inculti non inquisierint de motivis credibilitatis, sed quasi infantili credulitate hoc admiserint quod a parentibus majoribus audierint, eo vel magis quod apud populos multos religio, quae prius vigebat apud ipsos, et monotheismus erat, fuerit valde corrupta decursu saeculorum (3). Quapropter populorum omnium persuasio de Dei existentia nobis hucusque nota non talis est ut possimus dicere: haec est sententia quam homines naturali rationis operatione cognitam habuerunt et quae proinde consideranda est ut cognitio quae *per se* pertinet ad humanam naturam adeoque nequit esse falsa. *β*) Imo si admitteretur praedictam persuasionem esse sententiam *naturaliter* ab humano genere acquisitam et proinde non esse falsam *quia natura* non est vitiata, remanet dubium: etenim non certum videtur asseri naturam esse rectam in sua operatione, si non supponitur ab *auctore* naturae, intellectu praedito, rectam esse institutam naturam, et praeterea *in excercitio* facultatis intellectivae naturalem vigorem conservasse: nam etiamsi facultas naturalis intelligendi remaneat essentialiter bona et proinde remaneat in omnibus hominibus physica potentia cognoscendi verum, non tamen repugnare videtur ut deficiant homines non exculti in recto exercitio illius potentiae et proinde non potest ut infallibile haberi hominum judicium ex hoc solo quod est universale (4).

80. sed tamen probabile et confirmativum.

Praedictum tamen argumentum est *probabile:* nam valde probabile est homines moraliter omnes habere persuasionem de existentia Dei (5); probabile est hanc persuasionem esse veram, quia objectum ejus est res summi momenti, nec adsunt causae quae ordinarie inducunt homines in errorem,

---

(1) Cf. auctores citatos ap. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 667, n. 1.

(2) Ex fide catholica cognoscimus primo homini immediate factam esse Revelationem a Deo; nescimus utrum apud omnes populos remaneat influxus illius primitivae Revelationis. Hunc remanere influxum admitti potest; simul etiam fieri potest ut homines naturali rationis lumine Deum existere cognoscant.

(3) Cf. SCHMIDT et LEMONNYER, *La révélation primitive et les données actuelles de la science.* Paris, Lecoffre, 1914, p. 327, 348.

(4) S. THOMAS, *Summa contra Gentiles*, I, II, c. 34, haec habet: « Quod ab omnibus communiter dicitur, impossibile est totaliter esse falsum; falsa enim opinio infirmitas quaedam intellectus est, sicut et falsum judicium de sensibili proprio ex infirmitate sensus accidit: defectus autem per accidens sunt, quia praeter naturae intentionem. Quod autem est per accidens, non potest esse semper et in omnibus... » Nonne supponit S. Thomas naturam esse rectam (et proinde defectum esse per accidens) *quia* fuit natura constituta recta ab auctore ejus intelligente et quia hanc conservat in recto exercitio facultatis praecipuae saltem ita ut totum genus humanum non deficiat a fine ad quem ordinatur? Praeterea non ex solo facto quod homines moraliter omnes aliquid affirmant potest certo concludi illud esse verum.

(5) Qui dicuntur *athei* non nisi paucissimi sunt relate ad totum genus humanum et dispersi inter populos quorum pars multo major Deum cognoscit et agnoscit. De atheis quaedam notabimus infrà.

nec adest ratio putandi humanum genus universaliter defecisse in exercitio suae facultatis cognoscendi.

Hoc argumentum non directe, sed indirecte ad existentiam Dei concludit: statuit enim directe (sed probabiliter tantum) esse *argumenta* valida quibus statuitur existentia Dei: sic est *confirmatio* argumentorum.

81. Argumentum ex origine vitae in hoc mundo perpenditur.

2° Argumentum *ex origine vitae in hoc mundo.*

Omnibus jam est manifestum non dari generationem spontaneam in hoc mundo; eadem certitudine constat viventia non semper in hac terra nostra adfuisse: ergo primum ens vivens (prima cellula) in hoc mundo fuit productum ab aliquo ente vivente quod est supra mundum.

Argumentum certo validum est, supposito duplici facto asserto, et conclusio logice admitti debet ab illis qui duplex factum admittunt (1).

Ulterius si ex solis *scientiarum naturalium* assertis consideratur differentia entis *viventis* a non vivente, demonstratur, ni certa, saltem probabilissima *impossibilitas* generationis spontaneae (2), consequenter eadem certitudine aut probabilitate concluditur: si vita *incoepit* in hoc mundo, requiritur ut supra mundum sit ens vivens quod sit causa entis *viventis* in nostro mundo (3).

82. Argumentum ex desiderio beatitudinis non est certum.

3° Argumentum *ex desiderio beatitudinis.*

Homo, propria sua testante conscientia, desiderat beatitudinem; atqui haec beatitudo consistit in possessione Entis Infiniti; ergo homo desiderat possidere Ens Infinitum; sed illud desiderium non potest esse vanum; ergo existit Ens Infinitum.

Hoc argumentum sic expositum non est apodicticum. Respondetur enim negando certitudinem secundae minoris: haec propositio « illud desiderium non potest esse vanum » nequit ut certa admitti, nisi supposito naturae Auctore qui rectam fecit naturam (4).

Est tamen argumentum probabile, inductione facta: nam in universalitate rerum organicarum, plantarum, animalium, appetitus naturales vel instinctus vani nulli sunt, igitur probabile est etiam in homine non esse vanum desiderium ejus naturale ad bonum infinitum et proinde existere illud. Praeterea desiderii naturalis vani existentia non potest explicari; sed tamen ejus impossibilitas non demonstratur, nisi supponatur auctor naturae sapiens.

83. Circa praedictum argu-

P. Garrigou-Lagrange, *o. c.*, col. 1059 s., argumentum praedictum ut absolute certum propugnat. « Nous croyons, au contraire, que cette preuve de Dieu a une valeur absolue. S'il était nécessaire d'avoir démontré Dieu pour se fier à la ten-

(1) Cf. APPELMANS, *Pages de philosophie*, Malines, 1904, p. 31 ss.

(2) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 593-598; MATTIUSSI, *Fisica*, t. II, p. 94.

(3) Cf. DE MUNNYNCK, *o. c.*, p. 88. Si origo vitae ulterius *philosophice* consideratur, demonstratur impossibile esse ut a *solis entibus inanimatis* producatur ens animatum: animatum enim seu vivens a non vivente differt *essentialiter* estque, secundum speciem imo genus, perfectius, ideoque non potest produci ab ente vel ab entibus omni vita orbatis: secus hoc admittendum foret quod effectus, in essentiali perfectione, superat causam. Cf. MATTIUSSI, *o. c.*, p. 98 ss.; DE JAEGHER, *o. c.*, n. 356.

(4) Cf. DE MUNNYNCK, *o. c.*, p. 85; MERKELBACH, in *Revue ecclésiastique de Liège*, t. VI, p. 420; BALTHASAR, in *Revue néo-scolastique*, 1908, t. XV, p. 95 s.

mentum opinio quaedam dijudicatur.

dance *naturelle* de nos facultés, on pourrait douter de la valeur objective de notre intelligence, aussi bien que du désir naturel de notre volonté. De plus, antérieurement à toute démonstration de l'existence de Dieu, nous voyons avec évidence que notre intelligence et notre volonté ne peuvent être l'œuvre du hasard, le fruit d'une rencontre fortuite; comment un principe simple, un principe d'ordre comme l'intelligence proviendrait-il d'une multiplicité désordonnée? Ce serait faire sortir le plus du moins, l'être du néant. Enfin pour Aristote, saint Thomas et tous les grands philosophes intellectualistes, le principe de finalité est nécessaire et évident de soi, comme le principe de raison d'être dont il dérive au même titre que le principe de causalité. Cf. plus haut col. 998. Un désir *naturel* ne peut donc être vain, car il serait *sans raison d'être*... Cette démonstration ne diffère pas de la *4a via* de S. Thomas, qui s'élève au premier bien, non pas seulement par voie de causalité exemplaire et efficiente, mais aussi par voie de causalité finale. Le désir de Dieu par cela seul qu'il est quelque chose d'*imparfait*, de *limité*, suppose le parfait, comme le relatif suppose l'absolu ».

Liceat circa haec quaedam animadvertere. 1° Quando agitur de *intellectu* non recte dicitur « *se fier* à sa tendance naturelle ». Etenim intellectus est facultas essentialiter *cognoscitiva*, cujus exercitio apprehendimus seu percipimus intentionaliter id quod est: sicut visus naturaliter cognoscit colorem et auditus sonum, ita intellectus naturaliter cognoscit *ens* et ea quae sunt per se entis, in quantum hujusmodi, in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia (1). Sed neque possibile est a me elici actum intelligendi, quin concomitans mihi sit conscientia dictans illum actum et a me elici et intentionaliter terminari ad cognitum objectum. Si v. g. prima principia (quae sunt immediate evidentia et per se nota quoad nos) cognosco, etiam cognosco me illa cognoscere et per hoc attingere id quod est. Quam cognitionem etiam actu *reflexo* habere possum (2). Deinde, ex primis principiis, ratiocinando, conclusiones inferre possum: iterum cognoscere possum me recte ratiocinari et ideo conclusionis veritatem perspicere in veritate praemissarum. Quapropter intellectui vel naturali ejus tendentiae *non fidimus* ac si quasi *caeca* adhaesione acciperemus id quod judicat, sed *evidentia* determinati *apprehendimus id quod est*, et illius evidentiae plenam habemus conscientiam, eamque et actu reflexo perspicere valemus (3).

Voluntas vero non est apprehensiva seu cognoscitiva facultas, sed *appetitiva:* ipsius est *tendere* in bonum quod et quatenus ab intellectu proponitur. Voluntas proinde nihil cognoscit, nullo modo apprehendit intentionaliter id quod est, non percipit realitatem: ideo dici potest facultas *caeca*. Quapropter inordinate ageret homo qui *fideret* voluntati, ac si judicaret *esse* id quod voluntas naturaliter appetit. Statim ac agitur de judicando circa id quod est vel non est, hoc judicium ad intellectum solum pertinet (4); voluntas in sua naturali operatione omnino ab intellectu dependet, nec potest ipsa per se augere vim *cognoscitivam* intellectus. Ergo ex tendentia formaliter *intentionali* voluntatis nequit homo inferre objectum, quod correspondet illi tendentiae naturali, existere.

2° Aliud est considerare entitatem *physicam* voluntatis. Quum haec sit facultas immaterialis, tamquam causam efficientem habet ens immateriale; quum sit limitata requiritur ut sit ens in quo haec perfectio (velle bonum) sit illimitata: haec ratiocinatio est applicatio ejus quae constituit 4^{am} viam propositam a S. Thoma. Nempe etiam sic ratiocinari possumus: noster naturalis amor boni infiniti est perfectio limitata et proinde participata: ergo existit amor boni illimitatus, amor ipse

(1) Cf. S. THOMAS, *Summa contra Gentiles*, l. II, c. 83. Illam naturalem intellectus operationem vocat P. GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.*, col. 979: *intuition abstractive de l'intelligible;* hanc intellectui humano competere exponit egregie et ita intellectus humani valorem objectivum stabilit. Cf. etiam MARITAIN, *Réflexions sur l'intelligence*, p. 342 ss.

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 100bis.

(3) Loquimur hic de cognitione quae per intrinsecam evidentiam habetur: haec imprimis correspondet naturali tendentiae intellectus. Deinde in hac ulterius fundatur cognitio, quae fides est, ad quam habetur evidentia extrinseca.

(4) Ad *affectum* non pertinet componere vel dividere [h. e. judicare], sed solummodo in ipsas res *ferri*, cujus conditiones sunt bonum et malum. Ratio actem immaterialis boni et mali apprehenditur intellectu. Cf. S. THOMAS, *De veritate*, Q. X, a. 10, ad 8.

infinitus, ergo existit ens infinitum: quum amor boni infinitus nequeat esse nisi in ente quod est essentialiter infinitum (1). Etiamsi dicatur: « Nous croyons avec évidence que notre intelligence et notre volonté ne peuvent être l'œuvre du hasard » et si ostendatur ibi verificari rationem *ordinis*, concludere oportet ad causam intelligentem: haec tunc consideratio reducitur ad 5^{am} viam propositam a S. Thoma. Sed fateor me non perspicere de quo ordine loquatur auctor in verbis citatis.

3° Nec etiam consequentia videtur in hac illatione; « Un désir *naturel* ne peut être vain, car il serait sans raison d'être ». Ut *existat* desiderium naturale, seu ut voluntas naturaliter appetat aliquid, sufficit ut hoc tamquam simpliciter bonum praesentetur ab intellectu, etiamsi intellectus erret in judicando circa bonitatem objecti, vel circa ejus existentiam: in ipsa igitur natura voluntatis, quae est essentialiter *appetitiva boni ab intellectu praesentati*, invenitur ratio *existentiae* praedicti desiderii. Si v. gr. intellectus errando judicaret hominis bonum perfectum esse in satisfactione perfecta omnium facultatum humanarum, etiam sensibilium, voluntas naturaliter appeteret hoc. — Voluntas porro est potentia ad actum volendi, sed potentia in exercitio regulanda ab intellectu a quo dependet *ordo* seu *rectitudo* appetitionis voluntatis: quum intellectus sit essentialiter factus ad cognoscendum verum, proinde ad cognoscendum id quod est vere bonum, voluntas eatenus ordinate agit, quatenus intellectus ordinate praesentat ipsi bonum: ergo ratio sufficiens *rectitudinis* seu *finalitatis internae* voluntatis invenitur in sua subordinatione ad intellectum qui est essentialiter aptus ad cognoscendum id quod est (2).

4° S. Thomas, I-II, Q. II, a. 8, demonstrat beatitudinem hominis non posse consistere in aliquo bono creato. Argumentum reducitur ad hoc: Voluntatis humanae objectum est bonum universale; atqui bonum universale non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo; ergo nullum bonum creatum, sed solus Deus potest voluntatem hominis implere. In solo igitur Deo beatitudo hominis consistit.

S. Thomas antea, nempe I, Q. VI et VII, demonstraverat Deum esse *infinitum bonum:* quapropter hîc affirmat: bonum universale non invenitur in aliquo creato, *sed solum in Deo;* non intendit *demonstrare* hominem *de facto futurum esse beatum* et proinde existere Deum; nec etiam intendit *demonstrare existere Deum* ex tendentia voluntatis humanae ad bonum universale.

5° S. Thomas (3) dicit cognoscere Deum esse nobis naturaliter insertum, in quantum scilicet Deus est hominis beatitudo. Sententia est haec: homo naturaliter appetit beatitudinem, proinde id in quo vere consistit haec beatitudo, ideo, sicut homo naturaliter appetit Deum *implicite*, sic etiam implicite cognoscit Deum; sed non ideo cognoscit *explicite* quod Deus est id quo beatus fieri debet, nec cognoscit explicite Deum existere (4). En verba S. Thomae: « Cognoscere Deum esse in aliquo communi sub quadam confusione, est nobis naturaliter insertum, in quantum scilicet Deus est hominis beatitudo: homo enim naturaliter desiderat beatitudinem; et quod naturaliter desideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab eodem. Sed hoc *non est simpliciter cognoscere Deum esse:* sicut cognoscere venientem, non est cognoscere Petrum, quamvis veniens sit Petrus: multi enim perfectum hominis bonum, quod est beatitudo, existimant divitias; quidam vero voluptates; quidam autem aliquid aliud ».

83bis. Exposuimus intellectum nostrum evidenter percipere se cognoscere res, h. e. intentionaliter sibi repraesentare id quod est. Haec cognoscendi virtus et correlativus valor objectivus cognitionis nostrae sunt essentiala intellectui nostro, nec proinde mutata sunt ex peccato originali. In doctrina catholica de vulneribus allatis per peccatum originale, non continetur assertio illius deformationis intellectus humani. In statu naturae humanae lapsae habetur difficultas (quae ante peccatum non erat) in recto exercitio intellectus nostri, in acquirenda scientia in vitando errore, etc. (5); sed nostri intellectus operatio qua percipit prima principia,

(1) Simili ratiocinio S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. LXXIX, a. 4, demonstrat ex hominis imperfecta *intelligentia* existere intelligentiam altiorem.

(2) Quae hîc exposuimus confirmat a videre est ap. Card. BILLOT, *De Deo uno et trino*, 7ª edit., p. 46-48, ubi ostenditur Dei existentiam non posse demonstrari ex *sola naturali tendentia* hominis.

(3) *Sum. theol.*, I, Q. II, a. 1, ad 1.

(4) Ita GREDT, *o. c.*, t. II, p. 181.

(5) Cf. VAN DER MEERSCH, *De divina gratia*, n. 33 ss.; *Collat. Brug.* t. X, n. 462 ss.

immediate et intrinsece evidentia, et aliae singulae operationes, quae recte fiunt secundum regulas Logicae, habent et servant plenum valorem cognoscitivum.

Quapropter admitti nequit id quod scribit D. Rousselot, ap. d'Alès, *Dict. apol. de la foi catholique,* art. *Intellectualisme,* col. 1074: « Dans l'exercice le plus primitif et le plus spontané de la raison, l'analyse décèle aisément une certaine triomphante confiance en soi, une certaine assurance qu'elle peut tirer l'être au clair, une conviction que l'homme peut arriver à avoir le cœur net de lui-même du monde et de la vie. Cette présomption (j'emploie le mot sans aucune nuance péjorative) est naturelle, essentielle à l'intelligence, est condition a priori de son exercice et forme comme l'âme de chacune de ses intellections particulières. Or, encore une fois, dans l'état actuel de nature déchue, et par suite de la ruine en Adam de la race entière, cette présomption, en dehors d'une grâce qui illumine l'intelligence, se trouve injustifiée ». Essentialis aptitudo intellectus humani ad cognoscendum verum remansit integra post peccatum originale, inde homini est legitima et necessaria persuasio quod apprehendit id quod est. Talis enim persuasio determinatur evidentia; tandem habet homo, etiam in statu naturae lapsae, physicam capacitatem acquirendi cognitiones naturales, nominatim philosophiam, in qua etiam habere potest veram et certam cognitionem de Deo et de principiis morum: theodicea v. gr. et ethica possunt vere cognosci et circa illas materias possunt habitus scientiae acquiri, absque gratia supernaturaliter illuminante intellectum.

Veritates autem quae naturalem intellectus captum superant, nempe mysteria proprie dicta, nequeunt cognosci nisi divina revelatione et ut homo illa credat, sicut oportet, requiritur gratia supernaturaliter illuminans intellectum (1).

Distinguatur igitur duplex ordo cognitionis, unus naturalis, ad quem intellectus humanus, etiam post peccatum originale, est physice aptus, alter autem supernaturalis, cujus objectum sunt mysteria, cujus principium subjectivum est intellectus illuminatus interna gratia (2).

Tandem tenenda est omnino realis ac specifica distinctio intellectus a voluntate: *intellectus* est facultas essentialiter *cognoscitiva,* quae (intentionali assimilatione cognoscentis ad rem cognitam seu intentionali repraesentatione rei cognitae in cognoscente), apprehendit ens, in quod est; *voluntas* vero est facultas essentialiter *appetitiva,* quae tendit in rem apprehensam intellectualiter ut bonam. Voluntas ipsa nequit directe conferre aliquid ad virtutem cognoscitivam in ipso actu cognoscendi, nec ipsa percipere id quod est.

84. Argumentum ex conscientia seu testimonio uniuscujusque de existentia legis moralis rejicitur utpote infectum petitione principii.

4° Argumentum ex *lege morali: Est scripta in corde omnium hominum lex quaedam qua vere obligatur voluntas; atqui talis lex supponit legislatorem supremum;ergo existit supremus legislator, h. e. Deus.*

R. Hoc argumentum, prout exponitur, et quatenus proponitur *independenter* ab aliis ut per illud demonstretur *directe* existentia supremi legislatoris seu Dei, est omnino *invalidum,* quippe quod inficitur sophismate quod vocatur *petitio principii* (3).

Etenim in *Majori* asseritur existentia legis stricte dictae, quae nempe inducit veram *obligationem* h. e. necessitatem moralem ponendi quasdam actiones et omittendi alias; jamvero ut homo possit habere cognitionem certam de vera obligatione, *praerequiritur* in ipso cognitio certa de existentia legis-

(1) De morali necessitate gratiae cf. nostrum *o. c.,* n. 86.

(2) Cf. *Conc. Vatic., Constit. dogm. de fide,* c. 4, in *Enchir.,* n. 1793; S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.,* L. I. c. 7. Circa statum naturae lapsae videsis etiam SCHAAF, in *Revue des sciences philosophiques et théologiques,* 1913, t. VII, p. 71 ss.

(3) Cf. FRANZELIN, *De Deo uno,* p. 53 ss.; BILLOT, *De Deo,* p. 62 ss.; LAHOUSSE, *Theologia naturalis,* Lovanii, 1888, p. 83; SCHAAF, *Institutiones theologiae naturalis.* Romae. 1906, n. 132 ss.; HALLEUX, *Le problème de la Cause Première,* p. 45 (Extrait de la *Revue néo-scolastique,* t. XIV); BEYSENS, *Theodicée of natuurlijke Godsleer,* p. 295 ss.; MERKELBACH, in *Revue ecclésiastique de Liège,* t. VI, p. 420; VAN DER MEERSCH, *Over onafhankelijke Zedenleer,* Brugge, 1921.

latoris supremi, illius nempe qui est causa a qua homo totaliter dependet et qui consequenter habet jus imperandi homini seu imponendi ipsi *necessitatem* moralem agendi tali vel tali modo, a qua homo non potest se subtrahere: sine illa cognitione impossibile est ut homo cognoscat se *obligari.* Et sane impossibile est ut homo sibimetipsi a se solo inducat veram obligationem: si ab humana voluntate proveniret *obligatio* ipsiusmet, etiam ab humana voluntate provenire posset *solutio* ejusdem vinculi: qui enim potest imponere vinculum morale, etiam solvere illud potest.

Sed forsitan objicies: Abstractione facta ab existentia Dei potest homo cognoscere quasdam actiones esse intrinsece bonas, alias esse intrinsece malas: ergo, abstractione facta ab existentia Dei, potest homo cognoscere saltem *se debere* vitare actiones intrinsece malas, seu esse *obligatum* ad aliquid. Ad hoc respondeo distinguendo antecedens et negando consequentiam et consequens.

Distinguo antecedens: abstractione facta ab existentia Dei, potest homo cognoscere quasdam actiones esse de se, intrinsece, *convenientes* ipsi rationali naturae et alias esse *difformes* ab eadem natura, *concedo;* abstractione facta ab existentia Dei, potest homo cognoscere quasdam actiones esse *obligatorie* ponendas, alias *obligatorie* omittendas, *nego.* Et sane homo considerando se ipsum, naturam suam ejusque operandi potentias, detegere potest quasdam actiones esse sibi convenientes nempe ex sese aptas ad suam perfectionem, imo necessarias ad illam, alias e contrario esse difformes, oppositas suae perfectioni: v. gr. bonum, seu homini conveniens, est studere ad acquirendam scientiam, benefacere aliis; malum, seu homini disconveniens, est mentiri, alienum bonum rapere; sed ex hoc nondum sequitur hominem *moraliter necessitari,* quum sit *physice liber,* ad alias actiones ponendas, ad alias omittendas; si homo sibi dicat: « si *volo* fieri perfectus debeo hoc omittere » potest sibi etiam dicere: « si *nolo* esse perfectus, non debeo hoc omittere: jamvero ex natura mea sum physice liber: cur *deberem* velle id quod est conveniens potius quam id quod est inconveniens, cur *deberem* tendere ad meam perfectionem »? (1).

---

(1) « Mais ce qu'il faut affirmer c'est que s'ils s'en tiennent là (à la *morale indépendante,* c'est-à-dire indépendante et séparée absolument de l'idée de Dieu), nos savants et nos philosophes peuvent donner un code de préceptes utiles; en tout cas, ils sont impuissants a réintégrer dans l'action morale ce qui précisément la constitue telle, à savoir son caractère d'*obligation.* CAPTIER. *La morale indépendante, Revue pratique d'apologétique,* t. I, p. 319. Cf. FERRETTI, *Institutiones philosophiae moralis,* Romae, 1887, t. I, Thes. XXXIX-LXII, n. 115-126; SCHIFFINI, *Disputationes philosophiae moralis,* Augustae Taurinorum, 1891, t. I, n. 129-141; BILLOT, *De natura et ratione peccati personalis,* Romae, 1894, p. 23 ss.; DE BAETS, *Les bases de la morale et du droit,* Gand, 1892, p. 146 ss.

Bene animadvertamus doctrinam, quae asserit *obligationem proprie dictam* ab absoluta voluntate Dei immediate homini derivatam esse, non infici anthropomorphismo, quemadmodum contendit K. CRUYSBERGHS, *La vie diocésaine,* t. XII, 1923, p. 387. Etenim praedicta doctrina nititur firmiter et unice tum formali rationi obligationis proprie dictae, tum principio rationis sufficientis. Et sane obligatio proprie dicta est essentialiter *necesitas* **moralis** (ordinis nempe intentionalis, non physici), est scilicet *necessitas objectiva absoluta, voluntati imposita,* ponendi quasdam actiones et omittendi alias. Illa necessitas *moralis* est realiter et generice distincta ab intrinseca ordinatione naturae ad suam propriam perfectionem. Illa necessitas moralis homini inesse nequit nisi quatenus homini imponitur a voluntate entis a quo homo dependet et cui consequenter tamquam suo domino subjicitur. Nec concipi potest ratio obligationis proprie dictae in homine (h. e. necessitatis moralis absolutae libere agendi hoc vel illud) nisi concipiatur dependentia hominis ab alio ente quod hominis sit dominus et proinde *jus* habeat inferendi seu imponendi

Igitur ad cognitionem legis moralis stricte dictae, h. e. importantis veram obligationem, *praerequiritur* cognitio, saltem confusa, de existentia Dei, ut creatoris nostri, cui voluntas nostra est subjecta: aliis verbis, existentia Dei est quoad nos *prius* in cognitione quam existentia legis moralis; proinde nequit cognitio de existentia legis moralis (quae cognitio est *consequens* ad cognitionem de existentia Dei) assumi ad *demonstrandam* Dei existentiam; secus tanquam principium demonstrationis assumeretur idipsum quod est demonstrandum; haec porro est *petitio principii.*

85. Factum de cognitione legis moralis reduci potest ad testimonium generis humani de existentia Dei.

Adnotatio. Locuti sumus hucusque de argumento desumpto ex hoc quod dicitur imprimi in corde humano lex moralis, quatenus illud affertur ad demonstrandum *directe* ipsam Dei existentiam; sed potest considerari quod cognitio de lege morali, vigens apud homines omnes, est *signum* cognitionis quam habent de existentia Dei; nempe sic recte dicitur: si habetur consensus generis humani in admittenda lege morali, stricte dicta, habetur etiam consensus generis humani in admittenda existentia Supremi Legislatoris: hoc assertum reducitur ad argumentum *ex consensu generis humani.* Hoc porro argumentum non caret difficultate, uti suprà, n. 51, dijudicavimus.

86. Ulterior explicatio de notione conscientiae.

Ut refutatio, quam supra exposuimus, plenius intelligatur, juvat animadvertere bene esse distinguendam conscientiam *psychologicam* a conscientia *morali.* Conscientia *psychologica* est cognitio qua nostras affectiones, nostrasque operationes attingimus tamquam *modificationes nostri proprii subjecti;* psychologicae conscientiae objectum proprium est « *factum* praesentis existentis *subjectivae affectionis,* hujusque affectionis *specifica modalitas,* in sua concretione tamen ad subjectum quod eà afficitur » (1): igitur *facta actualiter existentia* in nobis sunt objectum conscientiae psychologicae. Sed conscientia *moralis* est judicium de honestate vel de obligatione actionis particularis et in concreto consideratae (2): objectum igitur conscientiae moralis est aliquid *ordinis intentionalis* et respicit etiam operationes nunquam ponendas: igitur conscientia moralis non est concipienda ac si esset perceptio alicujus *entis physici,* ac si, v. gr., esset *intuitio* alicujus *affectionis* existentis in anima mea.

Caveamus igitur a locutionibus quae falsam ingerere notionem haud difficulter possunt: quales sunt v. gr., « *sentio* me debere esse justum », « existentia obligationis est *factum* interna *experientia* certo comprobatum » etc.

87. Respondetur objectioni desumptae ex paritate cum ordine physico.

Objiciat aliquis: « Sicut ab existentia *ordinis physici* potest inferri existentia sapientis ordinatoris, ita ab existentia *ordinationis moralis,* i. e. legis naturalis impressae humanae voluntati, inferri potest existentia ordinatoris seu *legislatoris* ».

Respondetur negando paritatem. Ordo physicus *ut existens* non cognoscitur immediate, sed mediate: deducitur nempe ex cognitione naturae entium physice existentium et ex cognitione eorum operationum ac passionum, quatenus illae sunt subjectae modis constantibus, normis invariabilibus et physice determinatis. V. gr. ex consideratis diversis elementis ac partibus corporis humani deduco illa esse *ita* disposita *ut* inserviant variis operationibus, aliis verbis, illa esse intrinsece facta ad scopum quemdam, seu esse *ordinata:* inde deduco illius ordinis esse causam, nempe intelligentem ordinatorem. Eadem ratione hanc conclusionem deduco ex consideratis *motibus* astrorum.

Sed ordo moralis non est aliqua *physica* determinatio animae humanae impressa, nec est aliqua *physica necessitas* operationum et passionum hominis; nec ex con-

---

moralem necessitatem determinatae rationis agendi. Qui non admittunt obligationem proprie dictam ab absoluta Dei voluntate immediate homini derivari, debent logice adhaerere theoriae de eo quod vocatur *moralis independens* (*la morale indépendante*) ut etiam infrà notabimus.

(1) DE JAEGHER, *o. c.*, n. 150. Cf. ZIGLIARA, *o. c.*, t. I, p. 216.

(2) Cf. BOUQUILLON, *o.c.*, n. 248 ss.

sideratione ipsius physicae naturae animae, nec ex consideratione ipsarum operationum possum deducere ibi adesse aliquod *vinculum morale*, aliquam *necessitatem moralem* agendi; eo vel minus quod physica hominis libertas ostendit ipsum non physice determinari in illis operationibus quae sunt objectum legis moralis. Igitur non est paritas inter modum quo acquiritur cognitio ordinationis physicae et modum quo habetur cognitio ordinationis moralis.

Praeterea obligatio moralis, passive sumpta (h. e. prout est in subjecto *obligato*), nequit *ut actu existens* esse objectum immediatae cognitionis intellectus: quia obligatio non est aliquid *physice existens* (1). Haec obligatio est formaliter sequela *legis*, proprie dictae et *active* spectatae, quae est ordinatio intellectus cui conjungitur jussio voluntatis. Jamvero lex, active spectata, est formaliter *terminus* intellectus ordinantis et voluntatis jubentis, lex active spectata non existit *extra* illum intellectum et consequenter est etiam ens *ordinis intentionalis*. Ergo etiam lex, active spectata, non immediate cognoscitur *in se*, sed tantum ut intellectus ordinantis terminum, ita ut *obligor* significet formaliter: superior me obligat, superior vult me hoc facere aut omittere. Sed hoc non possum cognoscere nisi prius cognoscam existere alium a me, quo prorsus dependeo et qui hic et nunc vult absolute me hoc facere aut omittere (2). Quum hujus superioris existentis non habeam *intuitionem*, remanet ut illum cognoscam per ratiocinium.

87bis. Concluditur argumentum deontologicum esse invalidum.

Ex hucusque expositis patet argumentum quod *deontologicum* dicitur, si logicè perpenditur, prorsus carere vi demonstrandi *existere Deum*.

Et sane illud argumentum esset exprimendum ita: Si homo vere et proprie *obligatur* existit Deus; atqui homo vere et proprie *obligatur;* ergo.....

Perpendamus singulas praemissas.

1° Si homo vere et proprie *obligatur* existit Deus. Ut illius conditionalis propositionis *consequentia* ostendatur proficiscendum est a notione *obligationis*: totum in hoc jacet. Jamvero si obligatio intelligitur necessitas moralis *objectiva* et *absoluta*, cui homo subjicitur, agendi aliquid aut aliquid omittendi, tunc valet consequentia: si homo vere et proprie obligatur, existit Deus: nam voluntas Dei et ipsa sola est fundamentum seu ratio sufficiens obligationis proprie dictae in homine (3).

Porro si illa notio obligationis admittitur, *minor* propositi argumenti (h. e. atqui homo vere et proprie obligatur) cognosci nequit nisi *praecognita existentia Dei* et consequenter tunc illud argumentum inficitur *petitione principii* estque prorsus invalidum.

Dico quod obligatio proprie dicta nequit cognosci nisi praecognita existentia Dei: etenim obligatio moralis nequit ab homine cognosci quadam intuitione, vel conscientià psychologica, vel experimento, ut statim n. 87 diximus, sed eatenus ab homine cognoscitur quatenus intelligit se dependere a Deo Illique subjici ac Deum velle absolute ut homo libere agat modo determinato: igitur eatenus homo cognoscit se vere et proprie obligari quatenus praecognoscit Deum existere.

2° Si, ad vitandam petitionem principii, de qua suprà, sub nomine obligationis intelligitur tantùm tendentia necessaria naturae ad proprium bonum, tunc jam non habetur consequentia propositionis conditionalis: si homo obligatur, Deus existit. Nam si in ratione formali *obligationis* non ingreditur ipsa subjectio hominis

---

(1) Prima principia quae sunt objectum immediatae cognitionis intellectus v. gr. « totum est majus sua parte » non sunt aliquid physîce existens. Illud principium dicendo non dico *existere* actu *totum* aut *partem*.

(2) Bene notemus ex verbis S. Pauli (*Rom.* I, 32) non posse concludi Apostolum hoc docere quod gentes habent ex naturali rationis lumine cognitionem legis *absolute obligantis absque praevia cognitione de Dei existentia*. Apostolus non loquitur *de modo* quo Gentes acquisierunt illam legis cognitionem: de ipso facto loquitur. Praeterea Apostolus antea (I, 19 ss.) dixerat omnes homines posse Deum cognoscere ex mundo visibili. « Ideo quae dicuntur de lege naturali, facillime, ita explicantur: *Gentes Deum, quem ex operibus naturae jam cognoverunt, audiunt sibi per conscientiae vocem loquentem, mala prohibentem, bona imperantem*. Nam sine ulla praevia notitia Dei homines non possunt concipere ideam absolutae obligationis moralis ». PESCH, *Tractatus dogmatici*, t. II, *De Deo*, Friburgi Br., 1894, n. 14; cf. FRANZELIN, *o. c.*, p. 52. *Dict. apol. re la foi cath.*, art. *Responsabilité*, col. 245 ss.

(3) Cfr. Illmus KERKHOFS in *Revue ecclésiastique de Liège*, t. XV, p. 207; NIVARD, ap. D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi cath.*, art. *Responsabilité*, col. 245 ss.

ad Deum, jam formaliter ex hoc quod homo obligatur nequit inferri: Deus existit. Praeterea si ratio formalis obligationis non est essentialiter necessitas moralis et objectiva *imposita a Deo*, tunc obligationis notio nihil aliud importat in homine quam necessitatem agendi determinato modo *ut attingat perfectionem suae naturae* vel *ut conferat ad ordinem societatis:* jamvero illa necessitas non *absoluta* est: nam si sola perfectio humanae naturae vel ordo inter homines consideratur, impossibile est demonstrare vel perspicere quod homo absolute *tenetur moraliter* ad suam prosequendam perfectionem vel ad bonum sociale procurandum (1).

3° Nec statui potest cum uno alterove auctore (2) duas notiones obligationis proprie dictae, unam confusam, alteram vero distinctam: confusa nempe esset notio necessitatis categoricae agendi, conceptae *independenter a notione de voluntate divina vel de Deo, vel de subjectione hominis ad Deum.* Illa notio non est de eadem re ac est altera notio: nam id quod dicitur necessitas categorica agendi independens a notione de Deo legislatore, nihil aliud est a parte rei quam naturalis inclinatio naturae ad suum bonum et si hoc solum assumitur tamquam fundamentum sic dictae obligationis, tunc logice concluditur ad id quod vocatur *moralis independens,* h. e. complexus officiorum quae homini absolute quidem imponerentur, sed non a Deo. Patet quod ex tali argumento nequit demonstrari Deum existere!

Nec inutile videtur animadvertere quod *obligatio proprie dicta,* quum tota quanta sit in ordine *intentionali,* non vere est nisi rite cognoscatur: etenim nisi homo perspiciat se moraliter subjici Deo, adeoque moraliter teneri ad libere agendum sicut Deus vult hominem agere, nunquam homo proprie dicta obligatione afficietur (3).

4° Si quis inveniatur qui neget vel non admittat Deum existere et qui tamen persuasum habeat se *obligari,* nempe moraliter et absolute teneri ad quasdam actiones ponendas aliasque vitandas, necnon *culpae reum* esse si illas agendi normas transgrediatur, poterit tali homini ostendere illam obligationem illamque culpabilitatem non posse rationabiliter admitti nisi admittatur Deus tamquam *causa* illius vinculi moralis. In hac expositione esset quasi argumentum *ad hominem,* quo adduceretur homo ad fatendum, si existit obligatio, existit Deus.

Nota. Notio *obligationis* proprie dictae pervertitur in sententia quam nuper propugnavit cl. Ranwez ap. *Ephemerides theologicae Lovanienses* 1926, t. III, p. 177 ss, in dissertatione cujus titulus: *Péché véniel et imperfection.*

Contendit nempe praelaudatus auctor hominem *peccare* (venialiter) quando deliberate eligit id quod est moraliter minus perfectum (4) porro in illa sententia pervertuntur correlativae notiones *peccati* et *obligationis.*

Etenim peccatum proprie dictum (5) est essentialiter libera violatio alicujus obli-

---

(1) Iterum animadvertamus quod inclinatio vel tendentia naturae ad suam perfectionem aliud est ac necessitas moralis objectiva et absoluta aliquid agendi vel omittendi seu *obligatio proprie dicta.* Ad rem NIVARD, *o. c.,* col. 247: « Une telle nécessité [nécessité naturelle de vouloir la béatitude et de vouloir implicitement tout ce que requiert sa poursuite] imposée à mes déterminations particulières se reduit à une inclination *nécessaire,* mais non pas *nécessitante.* Je demeure, non seulement *physiquement,* mais *moralement,* libre de vouloir le mal, car ma propre inclination au bien, en tant que telle, n'est pas par elle-même, prise toute seule, un objet exigeant un respect sans bornes. Il reste un motif d'intérêt, créant une nécessité morale imparfaite, l'obligation improprement dite ».

(2) Vide hanc opinionem expositam in *Revue ecclésiastique de Liège,* t. XVI, p. 19.

(3) Ad rem NIVARD, *o. c.,* col. 246: « Ce qui fait méconnaître, croyons nous, la nécessaire priorité de la connaissance du vouloir divin sur celle de l'obligation, c'est l'exagération de l'analogie entre un *lien physique* et un *lien moral.* Celui-là est constitué avant d'être connu; celui-ci est *connstitué prochainement par la connaissance* même. Je ne suis pratiquement obligé d'éviter le duel que si je le sais. Rien n'entre dans la réalité du devoir qui n'ait pénétré dans la connaissance, et *la raison du devoir n'a de conséquences morales,* c'est-à-dire *le devoir lui-même,* que *si j'en ai pris connaissance.* Mon intelligence ne se soumet à l'obligation que par la présentation des motifs ».

(4) « *Choisir ce que l'on sait indubitablement être moins bon pour son âme, c'est pécher.* — En effet: chaque fois qu'il accomplit en pleine connaissance de cause un acte déraisonnable, l'homme pèche. Or choisir ce que l'on voit *clairement* être au total moins avantageux pour son âme, c'est déraisonnable. Donc... » *O. c.,* p. 184.

(5) Peccatum proprie dictum est *theologicum,* repugnat enim notio peccati *philosophici.* Cf. Card. BILLOT, *De personali et originali peccato* 4ª ed., Prati 1910, cap. I, § 4, p. 24 ss.

gationis impositae a Deo et proinde aliqua offensa Dei. Et sane id quod est formale in peccato est aversio a Deo — aversio vel complete habita in peccato mortali, vel tantum deficienter in peccato veniali (1) — igitur non habetur ratio peccati nisi in electione quae et quatenus prohibetur a Deo; consequenter in electione quae terminatur ad id quod est solùm *minus moraliter bonum* non verificatur ratio peccati. Nec dicatur: quoties homo agit irrationabiliter, peccat; atqui qui eligit id quod est minus perfectum, agit irrationabiliter; ergo ille peccat. Ad hoc respondeo: *distinguo majorem:* ille qui agit irrationabiliter, hoc est qui eligit actionem qua privatur majori morali perfectione, peccat: *nego;* ille qui irrationabiliter agit, hoc est qui contra obligationem moralem ipsi impositam agit, peccat: *concedo.* Contradistinguo minorem, et nego consequens et consequentiam.

Explico distinctionem: moralis perfectio major, si sola consideratur, non est ratio unde deduci possit *absoluta* et moralis *necessitas* ponendi determinatam actionem: etenim non *tenetur* moraliter homo ad eligendum semper id quod est sibi melius vel optimum: quia humana perfectio, ex sese, non est ratio sufficiens obligationis proprie dictae; si sola humana natura consideratur, abstinere potest homo a prosequenda perfectione in indefinitum. Sola voluntas Dei est ratio sufficiens et causa *obligationis moralis;* si Deus talem vel talem actionem non exigit et proinde non obligatoriam reddit, illa actio non est obligatoria et electio illi contraria non est peccatum. Pervertitur notio obligationis si ejus ultima ratio ponitur in sola perfectione hominis, qua tali: ratio enim sufficiens obligationis nequit esse nisi in voluntate ejus qui est superior, et *jus* habet alii imponendi quod est ipsi libere agendum.

Caeteroquin in sententia, quam impugnamus, non vitatur contradictio: etenim dicitur actionem quamdam optimam homini esse objectum *consilii* a parte Dei, non autem *legis* divinae, proinde hominem melius seu *perfectius agere* si illam actionem eligit, ad hanc tamen *non obligari;* dicitur ex altera parte hominem ad hanc actionem *obligari* praecise quia illam eligere est perfectius.

88. Argumentum ex objectiva necessitate ac aeternitate possibilium et primorum principiorum non videtur validum.

5° Argumentum *ex objectiva necessitate ac aeternitate possibilium et primorum principiorum.*

Essentiae, quas cognoscimus, et enuntiabilia, quae relationes essentiales exprimunt, sunt necessaria et aeterna: atqui necessitas et aeternitas est aliquid reale. Sed omne ens reale debet vel existentia propria existere vel existere in alio ente. Ergo necessitas et aeternitas possibilium debet fundari in aliquo ente reali, quod sit necessarium et aeternum.

Ergo existit ens necessarium et aeternum (2).

Hoc argumentum non validum videtur et huic respondemus:

Dist. Maj. Prima principia etc., sunt necessaria *necessitate abstracta* et aeterna *aeternitate negativa, conc.;* secus, *nego.*

Dist. Min. Necessitas *physica* et aeternitas *positiva* sunt aliquid *reale, conc.;* necessitas abstracta et aeternitas negativa sunt aliquid *reale, subdist:* si nomine *reale* intelligis id quod est objectivum in recta cognitione nostra, *conc.;* si nomine *reale* intelligis id quod est actualiter et physice existens extra mentem, *nego.*

Explico. Necessitas illa quam primis principiis ac essentiis possibilibus tribuimus, est necessitas quam nos per abstractionem cognoscimus ex rebus

---

(1) Peccatum dicitur *analogice,* non univoce de mortali et de veniali: cf. Card. BILLOT, *o. c.*, p. 6; *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 331 ss.

(2) Hoc argumentum attribuitur S. Augustino, propugnatur a quibusdam et etiam a P. GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.;* col. 1055 ss. qui illud argumentum implicite contineri censet in 4ª via exposita a S. Thoma: fateor me non intelligere quo jure hoc dicatur et nominatim quomodo ex *necessitate logica* principiorum possit inferri existere ens *physice necessarium.* Hanc illationem non recte fieri censet etiam BALTHASAR, *o. c.*, p. 105.

contingentibus, quae suam hypotheticam necessitatem habent, quatenus *quod est, dum est, non potest non esse* (1). Inde in ordine *logico,* concipimus nos, per abstractionem, *necessitatem enuntiabilis,* quatenus termini alicujus propositionis ita *objective* identici vel diversi innotescant ut non possint non esse objective identici vel diversi. « Puris possibilibus (et primis principiis) non aliud tribui potest *esse* intrinsecum quam illud quod formaliter competit *objectivo intentionali termino producibili* seu *actuabili extra mentem* » (2).

Quoad aeternitatem quae tribuitur possibilibus et primis principiis, haec est *negativa,* quatenus nempe possibilia et prima principia sunt omnino extra et supra notionem temporis (3).

6° Argumentum *ex ordine historico.*

89. Argumentum ex ordine historico difficile videtur.

« Quum homo facile persentiat (?) sortem ipsius non in manu sua positam esse, nec juxta arbitrium suum res atque negotia a se posse dirigi, veluti sponte apprehendit sub hoc quoque respectu dependentiam ab Ente supremo ac summo provisore, qui tum singulorum hominum sortes moderatur, tum populorum ac nationum ortus, progressus, interitus sapienti consilio disponit » (4).

Si datur hoc argumentum eo sensu quod homo ex solis eventibus inspectis certo inferre possit existentiam Supremi Moderatoris, nobis valde difficile videtur; nec inveni concretam quamdam expositionem hujus argumenti ex determinatis factis quae a libertate hominum dependent. Si agitur de ordine *physico,* hoc spectat ad 5^{am} viam suprà, n. 49, propositam. — Nec S. Paulus (5) dicit homines ex eventibus historicis posse cognoscere Provisorem supremum sed tantum affirmat Dei providentiam; testimonium de Deo quod indicat S. Paulus est *ordo physicus* (6).

7° Quaeri potest utrum Dei existentia demonstrari possit *ex miraculo.*

90. Ex miraculo non potest inferri directe Deum exlstere.

Hîc nomine *miraculi* intelligendus est effectus sensibilis qui est certo supra vires rerum hujus mundi.

Si non supponitur existentia Entis quod sit *causa ordinans* Universum, et supponitur evenire aliquod factum omnino extra ordinarium, quod *non potest explicari viribus naturalibus* et quod est oppositum activitati entium bene notae, v. gr. resurrectio mortui; concludendum erit existere aliquod ens ignotum cujus propria activitas est independens ab activitate entium cognitorum: in casu resurrectionis mortui, concludetur existere aliquod ens quod sit supra homines; non tamen posset concludi illud ens esse causam Universi (7), nisi ulterius ex perspecta hominis essentia concluderetur ad existentiam entis *infinitae potentiae.*

---

(1) Cf. BILLOT, *De Deo,* p. 76 in nota.
(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 269.
(3) Cf. Card. MERCIER, *Ontologie,* p. 39 ss.
(4) JUNGMANN, *De Deo uno et trino,* n. 15.
(5) *Act. XIV,* 15 s.
(6) *Ibid.,* 16.
(7) E contrario, quando supponitur existere Deum, h. e. Ens quod est causa rerum mundanarum ordinisque qui in iis viget, statim concludimus entia mundana quoad essentiam et quoad activitatem ipsorum omnino dependere a Deo, proinde nihil posse fieri quod sit oppositum illi activitati

Si enim homines perfecte cognoscerent essentiam humanam et scirent illam esse compositam ex materia prima et forma substantiali *spirituali*, applicando principium causalitatis concludere possent existere ens *spirituale* quod est causa hominis; ulterius concluderent animam spiritualem non posse effici seu causari nisi per *creationem;* inde tandem concluderent ens illud quod est causa hominis esse *infinitae potentiae.*

§ III.

Objectiones generales contra nostram cognitionem de Deo.

91. Praenotandum circa objectiones.

Praenotandum. 1) Non raro, nostris praesertim diebus, accidit ut objectiones proponantur ex confusis notionibus de illis quae vel praesupponuntur ad demonstrationem vel assumuntur in demonstratione: v. gr. de *veritate, certitudine;* de *materia,* de *ordine,* de *legibus naturalibus,* de *contingentia:* inde sophismata recurrunt praesertim quae vocantur *aequivocatio, ignorantia elenchi* (1).

2) Etiam vani sunt conatus illorum qui quaerunt demonstrationem de existentia Dei, quae admittenda esset ab omnibus, quicumque sint errores quibus adhaereant (2). Etenim si quis errat circa prima principia cognitionis humanae, non poterit ut *demonstratam* habere existentiam Dei: ratio est, quia cognitio est objectiva et conclusiones, quas ex principiis inferimus, ita connectuntur cum ipsis, ut negato principio jam non possit inferri conclusio.

3) Nostris diebus non praecise existentia negatur Entis Absoluti, sed potius ejus realis distinctio a reliquis entibus, ejusque vera substantialitas et praesertim personalitas, qua sc. est Ens intellectu ac voluntate praeditum (3), quod proinde est verus Legislator et esse potest auctor revelationis divinae. Sed iterum animadverto non invalidum esse argumentum quo demonstratur v. gr. existentia entis *necessarii* vel *primae causae incausatae,* quia ex hoc solo argumento non explicite demonstratur illud ens esse personale. Ex ulteriori analysi entis necessarii,... etc., demonstratur illud esse *infinitum* in perfectione, etc.

4) Supra, quum demonstrationes exposuimus, praecipuas etiam proposuimus difficultates quae contra singula argumenta adducuntur. Remanet ut aliquid dicamus de objectionibus quae valorem ipsum nostrae cognitionis

---

semel determinatae, absque speciali interventu Dei. Proinde qui Dei existentiam novit, in miraculo videt novam confirmationem existentiae Dei; miraculum enim est operatio qua Deus speciali modo sese manifestat.

(1) Cf. *Revue néo-scolastique,* 1907, p. 467; DE JAEGHER, *o. c.,* n. 83.

(2) Quamvis quandoque liceat uti *argumento ad hominem,* tamen non possunt publice proponi et propugnari argumenta invalida vel asserta falsa absque restrictione, ea intentione ut facilius ea methodo adducantur homines ad aliquam conclusionem veram: nam in hac ratione agendi habetur potius periculum ne in errorem inducantur qui veritati adhaerent, quam adjumentum ad conversionem errantium. Quod confirmatur etiam ex condemnatione *Americanismi;* cf. Leonis XIII excycl. *Testem benevolentiae,* de die 22 jan. 1899. — Methodus *accommodationis* quam Ollé-Laprune et Fonsegrive secuti sunt, (cf. SCHAAF, *o. c.,* n. 168) non nisi malos, ut videtur, habuit effectus.

(3) Cf. *Revue néo-scolastique,* 1907, p. 450, in nota.

impugnant. Illae porro objectiones ex triplici fonte videntur hauriri: 1°) ex origine nostrae cognitionis a sensibus, 2°) ex analogia nostrae cognitionis, 3°) ex agnosticismo.

A. *Objectio ex origine nostrae cognitionis.*

92. Objectio ex origine nostrae cognitionis a sensibus.

Cognitio est repraesentatio: qui cognoscit facit sibi praesens (intentionaliter) seu sibi repraesentat aliquid. Hoc supposito, sic arguitur:

Omnis humana cognitio est a sensibus; atqui sensus non repraesentant nisi apparens materiale (phaenomenon); ergo omnis humana cognitio limitatur ad apparens materiale cognoscendum.

R. *Dist. Maj.* Omnis humana cognitio *est a sensibus,* hoc sensu quod originem et fundamentum habet a sensibus, *conc.;* hoc sensu quod efficitur a solis sensibus, *subdist.* cognitio sensibilis, *conc.;* cognitio intellectualis, *nego.*

Minor transeat.

Contrad. conseq. Omnis cognitio *quae originem ac fundamentum habet a sensibus,... nego;* omnis cognitio quae *efficitur* a solis sensibus... *conc.*

Explico. Duplex est distinguenda cognitio, quae distinctio cognoscitur a nobis ex conscientia nostra psychologica. Ex hac conscientia constat prius a nobis percipi et cognosci (1) res materiales cum suis notis individuantibus, prouti sensibus apparent; etiam constat nos rebus externis *affici* seu *immutari* et secundum hanc immutationem nos attingere intentionaliter seu cognoscere ipsas res. Sed ulterius constat nos habere de rebus materialibus, a sensibus perceptis, aliam apprehensionem, qua illas res apprehendimus *abstractas* a notis individuantibus et ut *universales.* Etiam conscientia constat hanc posteriorem cognitionem dependere a priori, tamquam ab origine et fundamento; non vero effici seu produci a solis sensibus. Consequenter ex hoc quod sensus non repraesentant nisi id quod est materiale, non sequitur quod in homine non sit cognitio aliqua quae immaterialiter res repraesentat.

Instantia 1a

Instabis. Sed etiamsi concedatur in homine cognitio diversa a cognitione sensibili, tamen objectum illius alterius cognitionis debet esse idem ac objectum cognitionis sensibilis: quod probo. Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu; atqui in sensu nihil fuit nisi sensibile; ergo in intellectu nihil ut objectum cognitum esse potest nisi sensibile.

R. *Dist Maj.* Nihil est in intellectu cognitum quin prius fuerit *formaliter cognitum* sensibus, *nego;* quin fuerit *saltem fundamentaliter* in sensu, *conc.*

Contrad. min. In sensu nihil fuit *formaliter cognitum* nisi sensibile, *conc.;* in sensu nihil fuit *fundamentaliter* nisi sensibile, *nego.*

Quoad explicationem v. De Jaegher, *o. c.* n. 416.

Instantia 2a

Instabis. Si in intellectu est aliquid formaliter cognitum quod non nisi fundamentaliter est in sensu, intellectus noster *adjungit* de suo *aliquid* rea-

(1) Kant negabat perceptionem sensibilem esse *cognitionem.* RUYSSEN, *Kant,* p. 80.

litati, quod proinde non correspondet realitati nec est proprie objectivum; atqui in intellectu est aliquid formaliter cognitum quod non nisi fundamentaliter est in sensu, nempe idea *universalis* et principia universalia: ergo haec non correspondent realitati (1).

R. *Nego antecedens.* Etenim differentia inter cognitionem intellectualem et sensibilem non in hoc est quod intellectus rei cognitae a sensibus *adjungit* aliquid vel deformat cognitionem sensibilem, sed in hoc est quod intellectus propria sua activitate apprehendit aliter ac sensus id quod rebus inest vel id quod rebus convenit (2). V. gr. quando intellectu cognosco *essentiam* hominis, cognosco id quo ens est homo; quando ex ulteriori analysi essentiae humanae detego illa quae humanitati sunt *propria,* iterum cognosco id quod hominibus existentibus necessario convenit ac inest.

Cognitio igitur sensitiva aliter res apprehendit ac cognitio intellectiva; sed cognitio sensitiva est fons e quo dimanat cognitio intellectiva et a quo dependet, et ideo in utraque habetur objectivitas continuata cognitionis.

Huic doctrinae opponuntur duae scholae: schola *positivistarum* qui tantum materiales res, qua tales, censent esse objectum nostrae cognitionis; et schola *idealistarum* qui negant connexionem objectivam inter sensibilem nostram ac intellectualem cognitionem (3).

93. Objectio ex analogia nostrae cognitionis.

B. *Objectio ex analogia nostrae cognitionis.*

Ut perspiciatur quò spectet haec objectio, praeobservandum est catholicos, omnesque qui rite defendunt demonstrabilitatem existentiae Dei, etiam docere ex una parte, omnem nostram de Deo cognitionem, quae hac in terra habetur, esse analogicam seu analogicis conceptibus fundari; ex altera verò parte, aliqualem saltem de Dei essentia praerequiri notitiam ut ejus existentia demonstrari possit (4). Praeterea notiones, quibus usi sumus ad Dei existentiam demonstrandam, sicut ens, causa, motor, intelligens, sunt analogicae, ideoque si negetur valor ontologicus seu objectivus (5) illarum notionum, aut si negetur, illas, utpote analogicas, ullo modo posse repraesentare nobis Deum, consequenter negabitur valor demonstrationis de existentia Dei. Claritatis gratia, *in forma* exponemus et solvemus difficultatem.

Omnis conceptus qui repraesentat perfectionem finitam non potest repraesentare perfectionem infinitam, atqui omnis conceptus, quem habemus nos in hac terra, repraesentat perfectionem finitam; ergo nullus conceptus

---

(1) Cf. SENTROUL, *in Révue néo-scolastique,* 1907, p. 214 s.

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 109, 121 ss.

(3) Ita P. PÈGUES, *Pouvons-nous, sur cette terre, arriver à connaître Dieu?* in *Revue thomiste,* 1900, t. VIII, p. 65.

(4) Cf. S. THOMAS, *In Boëtium de Trinitate,* Q. VI, a. 3.

(5) Valor *ontologicus* seu *objectivus* illarum notionum est aptitudo quae illis inest ad repraesentandum id quod est, seu realitatem. Cf. GARRIGOU-LAGRANGE, *La valeur transcendante et analogique des notions premières,* in *Revue thomiste,* 1912, t. XX, p. 628 ss. Ab eodem auctore, *o. c.,* p. 629, vocatur valeur *transcendante:* « l'aptitude de ces notions à nous faire connaître avec vérité Dieu conçu comme cause première transcendante et non immanente ». « Les principales de ces notions sont appelées en un autre sens *transcendentales,* en tant qu'elles dépassent les limites des genres et des catégories et peuvent se trouver selon des modes divers en tous les genres ». *ib.*

noster potest repraesentare Deum; ergo nostris conceptibus non possumus intentionaliter attingere aut apprehendere Deum.

R. *Dist. Maj.* Omnis conceptus, qui repraesentat perfectionem finitam, *formaliter ut finitam,* non potest repraesentare perfectionem infinitam, *transeat* (1); omnis conceptus, qui repraesentat perfectionem finitam, *praescindendo* a modo finito seu infinito quo existit, *subdist.:* non potest repraesentare perfectionem infinitam *quoad ipsam formalem rationem perfectionis* quam continet conceptus, *nego; quoad ipsum modum* quo infinita existit haec perfectio, *conc.*

Contrad. min. Omnis noster conceptus de perfectione *mixta* repraesentat perfectionem finitam, *conc.;* omnis conceptus noster de perfectione *simplici* repraesentat perfectionem finitam, *subdist. quoad ipsam rationem formalem perfectionis,* simul praescindendo a modo (sive finito sive infinito) quo existit haec perfectio, *conc..;* quoad ipsum modum quo haec perfectio existit, *nego.*

Pariter *dist. primum consequens:* nullus conceptus noster potest repraesentare Deum *quoad ipsam formalem rationem perfectionis* quae Deo convenit, *nego;. quoad modum infinitum* quo haec perfectio inest Deo, *conc.*

Sub datis distinctionibus nego secundum consequens.

Explico. Objectum primum et adaequatum intellectus nostri est *ens,* et proinde quidquid rationem entis participat quomodocumque, continetur sub extensione objecti illius (2). Objectum autem materiale *proprium* ac *specificativum* intellectus humani secundum praesentem statum unionis ad corpus est essentia seu ratio quidditativa rerum materialium (3). Proinde conceptus, qui per abstractionem nobis intelligibiles fiunt, nobis repraesentant perfectiones quae rebus insunt, tum perfectiones materiales praecisas a conditionibus materiae, tum perfectiones in semetipsis immateriales.

Jamvero alii conceptus nobis repraesentant perfectionem *mixtam,* nempe perfectionem quae de se et necessario connectitur cum imperfectione seu negatione ulterioris perfectionis, v. gr. plantam, rationem (h. e. stricte dictam, facultatem ratiocinandi) (4); alii conceptus nobis repraesentant perfectionem *simplicem,* nempe perfectionem quae de se non est limitata seu finita, v. gr. vita, intellectio, causa, ens, unum, bonum.

Conceptus igitur perfectionis simplicis nobis repraesentant *ipsam perfectionem,* rationem quidditativam perfectionis et simul *praescindunt a modis diversis* quibus haec perfectio existit vel existere potest in rebus. V. gr. *Intellectio* nobis repraesentat hanc perfectionem: cognitionem immaterialem, sed *praescindit omnino a modo diverso* quo haec perfectio existit tum in homine, tum in angelo, tum in Deo (5). Propter hanc praecisionem, concep-

(1) Dico: *transeat:* quia conceptus perfectionis *formaliter finitae* seu perfectionis *mixtae* potest per *metaphoram* nobis aliquo modo repraesentare perfectionem infinitam.

(2) Cf. PÈGUES, in *Revue thomiste,* 1900, t. VIII, p. 51, 288.

(3) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 413 ss.

(4) Non hîc loquor de conceptibus qui repraesentant malum in subjecto, v. gr. peccatum.

(5) Inde summopere curandum est ut distincte habeamus illos de omni perfectione simplici conceptus qui praescindunt omnino a modo quo haec perfectio inest creaturae. Falsum esset judicium hominis qui affirmaret *Deus est intelligens* et simul cogitaret Deus est *intelligens eodem*

tus *intellectio* est essentialiter idem quando illum attribuimus homini, angelo, Deo; propter hoc etiam habetur *analogia* (1). Quapropter nostri conceptus de qualibet perfectione simplici nobis vere repraesentant hanc perfectionem, ubicumque haec sit, etiam si sit in Deo, et ideo possumus nobis acquirere veram, licet analogicam, cognitionem de Deo.

Valor objectivus nostrae de Deo cognitionis explicatur ulterius per has duas considerationes, quae nobis fundamentum detegunt praedictae cognitionis (2). 1° Res e quibus nos desumimus conceptus nostros sunt realiter *similes Deo,* sunt realiter limitatae imitationes divinae perfectionis: v. gr. vita creaturarum est aliqua imitatio vitae divinae, et quando formalem rationem vitae praescindimus a modis diversis, quibus haec perfectio potest realis esse, tunc habemus notionem vitae simpliciter dictae, quae etiam est in Deo. 2° Ex ipsis rebus cognitis, ut necessario *effectis,* rite ratiocinando inferimus existere eorum *causam primam* et huic causae attribuimus perfectiones quae sunt in rebus effectis: oportet enim ut causa habeat vel formaliter vel eminenter omnes perfectiones quae sunt in effectu. — Infrà ex professo agemus de analogica nostra cognitione Dei.

94. Objectiones ex agnosticismo.

C. *Objectio ex agnosticismo.*

Agnosticismus, omnino generice sumptus, designat omnem doctrinam quae humanae rationi denegat totalem vel partialem capacitatem cognoscendi res immateriales et, in specie, Deum resque divinas (3). Suprà, n. 27, quasdam in specie indicavimus doctrinas, quae ad agnosticismum pertinent.

Proinde sub generica notione agnosticismi continentur tres quasi diversi gradus:

1. Agnosticismus *purus,* qui tenet de solis entibus materialibus, quatenus illa nobis sensibiliter apparent, scilicet de phaenomenis, nos habere cognitionem; de aliis omnibus nos nihil certo cognoscere, ne existentiam quidem eorum: unde Dei existentia nec neganda est, nec affirmanda, sed nulla est habenda ratio de Deo (4). Hoc systema vocatur *positivismus.*

2. Agnosticismus *dogmaticus,* qui tenet existentiam Dei vel Realitatis Ultimae seu Absoluti esse admittendam (5), sed de illius Entis *natura* nos nullam posse habere cognitionem: illud porro ens est *Incognoscibile* (6).

---

modo ac homo. Forsitan secundum hoc accipi potest id quod quidam auctores dicunt: debemus *corrigere* conceptus nostros antequam illos applicemus Deo. Nempe debemus purgare conceptus a repraesentatione *modi* quo perfectio simplex est in creaturis, sed quando habemus conceptum totaliter ab hoc modo praescindentem. non est corrigendus.

(1) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 17.

(2) Cf. BITTREMIEUX, *De analogica nostra cognitione de Deo,* Lovanii, 1913, p. 95 ss.; P. GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.,* p. 635 ss.

(3) Cf. DE LA BARRE, ap. VACANT-MANGENOT, *Dictionnaire de théologie catholique,* art. *Agnosticisme,* col. 596.

(4) Cf. CHOSSAT, ap. D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* art. *Agnosticisme,* col. 25.

(5) Abstrahimus hîc a diversa indole et diverso motivo illius adhaesionis, quae aliter ab aliis explicatur. De sententia Kant cf. CHOSSAT, *o. c.,* col. 20; SENTROUL, *La philosophie religieuse de Kant,* Bruxelles, 1911; ID., *Kant et Aristote*², Louvain, 1913, p. 86 s., 264 ss. — Spencer formaliter et explicite propugnavit agnosticismum positivum seu dogmaticum qui opponitur agnosticismo negativo seu puro, qualis defendebatur ab Aug. Comte. De sententia Spencer, cf. CHOSSAT, *o. c.,* col. 21; et opera citata suprà, p. 27, n. 3.

(6) Cf. CHOSSAT, *o. c.,* col. 28 ss.

3. Agnosticismus *Modernistarum.* Hic agnosticismus, quoad substantiam doctrinae, non differt ab agnosticismo dogmatico. Sed dicunt Modernistae se in cognitione Dei procedere ultra id quod conceditur ab agnosticismo dogmatico: vana est illa contentio: quia principia philosophica, quibus nituntur, eadem sunt quibus fulcitur agnosticismus purus et talia sunt quibuscum componi nequit ulla cognitio vere objectiva de natura Dei (1). Verum est Modernistas praeter agnosticismum admittere etiam immanentismum vitalem (2): sed haec doctrina est extra agnosticismum et non tollit falsum quod huic systemati proprium est; sed immanentia vitalis ipsa, quae consisteret in quadam experientia *divini* (3), in quodam animi *sensu* vel *affectu* quo homo adhaereret *divino,* non est speculativa cognitio qua intellectualiter apprehendimus vere, licet imperfecte, quid sit Deus et qua possimus vere demonstrare Dei existentiam. Inde ad hoc deveniunt Modernistae ut in assertionibus circa Deum et etiam in dogmatibus revelatis non jam speculativam veritatem admittant sed regulam quamdam agendi: v. gr. quando asseritur Deus est persona, hoc significat: homo agere debet *ac si Deus esset persona* (4); in hoc systemate, *reale id* quod exprimitur propositione vel judicio non vere attingitur ab intellectu cognoscente: et hic est agnosticismus, ut patet.

Nota. Omnis agnosticismus tamquam principio nititur *phaenomenismo,* doctrina asserente humanae rationis cognitionem *terminari ad phaenomena,* nempe ad res sensibiles quatenus sensibiliter apparent, et ad leges quas inductione ex phaenomenis inferimus; ultra haec non se extendere vim cognoscitivam proprie dictam. Hic est sensus vocabuli *phaenomenismus,* quando usurpatur ad designandam doctrinam philosophicam (5).

Longius foret opus hîc colligere omnes et singulas difficultates, quas, *96.*
contra demonstrationem vel contra demonstrabilitatem existentiae Dei, congesserunt illi qui agnosticismo adhaerent. Sufficiat nobis indicare varia capita, ad quae singulae objectiones reducuntur, et scripta quaedam, in quibus ex professo proponuntur necnon refutantur: ad quae unusquisque, si libuerit vel opus fuerit, recurrere poterit.

1. *Demonstrationis* traditionalis impugnatio:

a) impugnatur valor objectivus principii causalitatis, quatenus appli-

(1) Cf. CHOSSAT. *o. c.,* col. 66 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 201 ss.; ALBERT VALENSIN, ap. D'ALÈS, *o. c.,* art. *Immanence,* col. 569-579.

(3) Dicunt *divini* et non *Dei* quia nolunt affirmare Dei personalis et omnino a mundo distincti existentiam. Cf. MICHELET, *o. c.,* p. 80 s.

(4) Ita docet LE ROY in opere *Dogme et critique,* sicut antea docuerat in periodico *La Quinzaine:* cf. *Collat. Brug.,* t. X, p. 603 ss.

(5) Cf. CHOSSAT, *o. c.,* col. 27. Praedictam doctrinam describit P. GARRIGOU-LAGRANGE, *Revue thomiste,* 1912, t. XX, p. 633, his verbis: « Quel est le principe auquel se rattache l'agnosticisme sous la forme qu'il revêt aujourd'hui? L'encyclique « Pascendi » le dit clairement: ce principe n'est autre que le phénoménisme, la raison humaine ne peut connaître que les phénomènes et les lois phénoménales; nos idées, même les notions premières, n'ont qu'une valeur phénoménale, elles n'ont pas de valeur ontologique: elles ne nous permettent pas d'atteindre l'être substantiel, s'il existe sous les phénomènes; à plus forte raison, elles n'ont pas de valeur transcendante: elles ne nous permettent pas de connaître Dieu, l'Etre transcendant, à supposer qu'il soit ».

catur ad concludendam existentiam rerum immaterialium, in specie, Dei (1).

b) impugnantur singula argumenta, quae reducuntur ad quinque vias propositas a sancto Thoma (2).

2. *Demonstrabilitatis* existentis Dei impugnatio:

a) impugnatur rationis humanae speculativae valor omnis vere cognoscitivus circa res immateriales, in specie, circa Deum (3);

b) impugnatur specialiter valor quarumdam notionum sub quibus apprehenditur Deus, v. gr. Ens a se, Absolutum, Infinitum, Causa incausata (4);

c) cognitioni certae, per demonstrationem acquirendae, opponitur, ab illis qui agnosticismum dogmaticum defendunt, aliud medium adhaerendi Deo, nempe *fidem* quamdam naturalem, quam alii aliter plus minusve explicant (5);

d) quidam originem notionis Dei male tradunt, docendo illam ordiri ex hoc quod homines in societate vivunt, quatenus nempe notiones Dei et religionis essent formaliter repraesentationes, a collectivitate ortae et impositae, mutabilesque cum illa: inde illae notiones non habent valorem objectivum (6);

e) alii magis directe *personalem* impugnant Deum et censent notionem divinitatis, sub influxu cognitionis experimentalis de historia, de physica et de psychologia, successive transformandam a conceptu Dei personalis ad conceptum alicujus supremae legis, vel normae idealis, alicujus *divini* (7); alii notionem Dei personalis, realiter a mundo distincti, habent ut metaphoram, contenduntque divinitatem esse notionem mere abstractam, qualis est Pulchritudo, Bonitas, quin aliquid cognoscamus de essentia hujus quod vocatur divinitas (8).

97. **Adnotatio.**

Exposuimus suprà, n. 55 ss., quinque vias quibus, secundum S. Thomam, homo, naturali rationis lumine utens, potest certo cognoscere et demonstrare existere illud ens quod vocamus Deum; atqui, ut videtur, omnia argumenta demonstrativa existentiae Dei reducuntur, quoad substantiam demonstra-

---

(1) Cf. GARRIGOU-LAGRANGE, *Le sens commun, la philosophie de l'être et les formules dogmatiques*, Paris, 1909, p. 72 ss.; ID., ap. D'ALÈS, *Dict. apol.*, art. *Dieu*, col. 976 ss.

(2) Suprà, n. 61 ss., indicavimus quasdam objectiones quae opponuntur singulis viis; ulterius, praesertim quoad impugnationem illatam a D. Le Roy, cf. BLONDIAU, in *Collat. Namurc.*, t. IX, p. 93, 216, 321, 345; t, X, p. 119; BALTHASAR, in *Revue néo-scolastique*, t. XIV, p. 461.

(3) Cf. GARRIGOU-LAGRANGE, *Dict. cit.*, l. c. MARITAIN, *La philosophie Bergsonienne*, p. 37 ss. Doctrinam Le Roy negantis valorem objectivum *scientiarum naturalium* partim refutavit etiam H. POINCARÉ, *La valeur de la science*, Paris, 1909, p. 213.

(4) Cf. BALTHASAR, *o. c.*, t. XV, p. 106: BOEDDER, *Theologia naturalis*[3], Friburgi Br., 1911, p. 39, 390.

(5) Cf. BOEDDER, *o. c.*, p. 18; CHOSSAT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, *art. Dieu*, col. 792 ss.; MICHELET, *o. c.*. p. 183 ss.

(6) Cf. MICHELET, *o. c.*, p. 1 ss.: *Dieu d'après l'école sociologique;* ID., ap. D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *Religion*, col. 857-874.

(7) Cf. MOISANT, *L'existence d'un Dieu personnel*, in *Etudes*, 1907, t. CXI, p. 8 ss.

(8) Cf. card. MERCIER, *La dernière idole*, in *Revue néo-scolastique*, 1903, t. X, p. 73, 201.

tionis, ad unam vel aliam ex illis viis. Possunt tamen alia vel alia forma exprimi.

Nostrae dissertationi de demonstratione existentiae Dei finem imponimus, breviter indicando viam qua homo, naturali intelligendi vi utens, et absque exteriori magisterio, potest tum Dei notionem, tum de ejus existentia persuasionem sibi acquirere: haec via evolvitur ab Ill^mo ac Rev^mo Waffelaert (1). Reducitur autem ad quartam viam indigitatam a S. Thoma, cum hoc discrimine quod directe concludit ad existentiam spiritus infinite perfecti, qualis est Deus personalis (2).

A) Postquam priores, nempe transcendentales et magis universales notiones sibi homo acquisivit, detegit entibus viventibus inesse quoddam principium vitae, quod ipsum non est sensibile licet manifestetur in re sensibili; deinde advertit illud principium non esse ipsum extensum, et sic pervenit ad notionem simplicitatis plus minusve perfectae; postea advertit rationalis vitae in semetipso esse, qua tale, independens a corpore: sic pertingit ad notionem substantiae spiritualis. Deprehendit proinde spiritum, secundum se, esse perfectionem simpliciter simplicem, id est, quae nullam de se involvit imperfectionem; tandem humanus intellectus impellitur ad cogitandum spiritum continuo perfectiorem et pervenit ad notionem spiritus quo major seu perfectior cogitari nequit. — Statim ac intellectus adeptus est notionem spiritus quo major cogitari nequit, eam confert cum notionibus rerum inferiorum antea acquisitis, et advertit has res esse omni modo limitatas; spiritum vero quo major cogitari nequit esse illimitatum seu infinitum, esse quoque aeternum et immensum, actum purum intelligendi ac volendi, esse unicum, tandem concipi non posse nisi ut existentem ut ens a se et a quo reliqua omnia, si existant, secundum totum suum esse dependeant.

B) Sic quum acquisita fuerit notio spiritus infiniti, transit homo ad *novam* quaestionem, nempe utrum realiter existat ille spiritus. Cui quaestioni facile respondet affirmative, subinferendo: atqui existunt entia limitata, adeoque *non a se* (v. infrà, n. 74), ergo existit spiritus infinitus; adeoque *a se*, ut finiti causa incausata.

---

(1) *Medit. théol.*, ap. *Collat. Brug.*, t. I, p. 518 ss., t. II, p. 1 ss.: *Méditations théologiques*, t. I, p. 42 ss.; *Goddelijke beschouwingen*, bl. 70 vv.

(2) V. infrà, p. 100, textum Cajetani.

Articulus III^us. De atheismo.

§ I.

De atheismi notione et erroribus connexis (1).

98. Notio atheismi:

1. Nomine *atheismus* designatur vel hominum modus agendi, vel doctrina. Atheismus *practicus* est ille agendi modus quo homines vivunt ac si non esset Deus, quo nempe nec cultum tribuunt Deo, nec morales leges observant.

Atheismus *theoreticus* est doctrina qua excluditur cognitio Dei vel persuasio de ejus existentia. Distinguitur porro in *negativum* et *positivum: negativus* atheismus est carentia omnis notionis de Deo; *positivus* vero est doctrina negans existere Deum.

Ut ulterius cognoscatur atheismus, requiritur ut magis determinetur significatio nominis *Dei*. Etenim si hoc vocabulo significatur formaliter et unice ens personale, intellectu et voluntate praeditum, realiter distinctum a mundo universo et hujus causa, tunc ut atheus habebitur quilibet negans existere tale ens. Si vero vocabulo Dei designatur ens quod est causa mundi vel ens supremum a quo omnia dependent, sed vel abstrahitur ab ulteriori cognitione de natura hujus entis et nominatim de reali ejus distinctione a mundo, tunc non tenebitur ut formaliter atheus ille qui negat cognoscibilitatem naturae illius causae, vel non admittit realem et adaequatam distinctionem ejus a mundo.

Hîc opportune considerabimus quod notat Cajetanus (2), ubi dijudicat exactam vim demonstrationis propositae a S. Thoma de existentia Dei: « Circa has rationes in communi advertendum est diligenter quod possunt afferri ad duo. *Primo* ad concludendum illud ens incorporeum, immateriale, aeternum, summum, immutabile, primum, perfectissimum, etc., quod et quale Deum tenemus esse... Et ad hoc intentum non afferuntur hoc in loco... *Alio modo* afferri possunt ad concludendum quaedam praedicata inveniri in rerum natura, quae sunt propria Dei: non curando quomodo aut qualiter sint, etc. Et ad hoc intentum hic afferuntur... Et ut melius intelligatur quod dicimus, singillatim explanando dicitur, quod primae viae, ex parte motus, sat est quod inferatur, *ergo datur primum movens immobile*, non curando utrum illud sit anima coeli aut mundi: hoc enim quaeretur in sequenti quaestione. Secundae quoque viae, ex parte efficientis, sat est quod ducat ad primum efficiens, non curando an illud sit corpus vel incorporeum: hoc enim quaeretur in sequenti quaestione. Tertiae vero viae, ex parte necessarii, sat est quod ducat ad primum necessarium non ex alio, non curando an sit unum vel plura: hoc enim quaeretur in quaestione XI. Quartae quoque viae,

---

(1) Cf. Toussaint, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, art. *Athéisme*, col. 2190 ss.
(2) *In Sum. theol.*, I, Q. II, a. 3, n. III.

ex gradibus rerum, sat est ducere ad maxime ens, verum, bonum, nobile a quo sunt omnium participationes. Et similiter quintae viae, ex gubernatione, sat est ducere ad primum gubernantem per intellectum, quicumque sit ille. Omnia enim haec praedicata, scilicet movens immobile, primum efficiens, necessarium non ex alio, maxime ens, et primum gubernans intelligendo, sunt secundum veritatem propria Dei: et ideo, concludendo haec inveniri in rerum natura, concluditur directe, quasi per accidens, quod Deus est, id est, *Deus, non ut Deus, sed ut habens talem conditionem, est;* et consequenter ipsum substratum, scilicet Deus ut Deus, est ».

99. atheismus theoreticus formaliter et stricte dictus,

2. Distinguendo proinde praedicata diversa, quae uni eidemque enti conveniunt, dicimus atheismum theoreticum et positivum, *formaliter* et *stricte dictum*, esse doctrinam quae negat existere *quamlibet* earum proprietatum, quae competunt *unice* illi enti quod vocatur Deus et negat proinde omnino existere illud ens cui nomen Deus convenit. Quapropter atheismus formaliter et stricte dictus est omne systema quod explicite negat existere aliquod ens supremum, a quo omnia alia in sua existentia dependent tamquam a causa. Proinde materialismus, qualis fuit propugnatus a Moleschott et a Buchner est vere atheismus, suprà definitus (1), quum illud systema nihil aliud admittat nisi materiam et vires materiae inhaerentes, et omnia phaenomena, etiam actiones humanas, explicet per evolutionem materiae aeternae, necessario producentis omnia quae sunt secundum vires materiales: ideo nullum admittitur ens quod sit etiam inadaequate distinctum a mundo materiali et quod sit vere causa ejus.

100. Errores connext: 1° Pantheismus,

3. Errores diversi dantur qui cum atheismo supra definito connectuntur, cum illo tamen non confunduntur.

Pantheismus est omnis doctrina quae negat realem, adaequatam et essentialem distinctionem inter entia finita et Infinitum, inter mundum adspectabilem et ejusdem primam causam; admittit tamen inter illa aliquam distinctionem, sive realem sed inadaequatam, sive mere idealem. Pantheismi generice sumpti habentur formae diversae, quae duabus principalibus subordinantur, quarum una concludit quod *Deus est omnia* sicque Deum reducit ad esse mundi et vocari potest pantheismus *cosmologicus,* altera concludit quod *omnia sunt Deus,* sicque mundum reducit ad esse Dei, potestque dici *ontologicus* (2).

Pantheismus *ontologicus* propugnatus fuit nominatim a Spinoza (1632-1677), qui contendit unam tantum esse substantiam, quae esset praedita intellectu et etiam extensione, cujus omnes res essent reales modificationes. Inter Deum et mundum non datur distinctio realis, sed tantum logica: Deus, qui est *natura naturans* et mundus qui est *natura naturata* sunt eadem res, Deus proinde inest seu immanet mundo (3).

---

(1) Cf. TOUSSAINT, *o. c.*, col. 2193 ss.

(2) Ita pantheismum describit POHLE, *o. c.*, p. 403. — De origine et successiva evolutione pantheismi tum in antiquitate, tum in moderno tempore, cf. TOUSSAINT, *o. c.*, col. 2199 ss.

(3) Initium sui systematis sumpsit Spinoza ab obscura definitione, quam Cartesius tradiderat de *substantia*. Cf. AENGENENT, *o. c.*, 133; TOUSSAINT, *o. c.*, col. 2203 s.

Cosmologicus pantheismus sub triplici exhibetur forma, cujus hîc indicamus conclusionem, abstractione facta a systemate philosophico a quo procedit (1). *Emanatismus*, obliterata notione creationis, docet res ipsas emanasse ex substantia divina et proinde esse de substantia divina. *Hylozoïsmus* censet mundum universum quasi animari a Deo, et entia viventia vivere vita ipsius Dei. *Evolutionismus* tradit omnia phaenomena, omnesque res finitas ac mutabiles nihil aliud esse quam evolutionem alicujus Absoluti perpetuo sese evolventis (2).

Connexio pantheismum inter et atheismum sic manifestatur: si non admittitur realis, adaequata et essentialis distinctio inter res finitas et id quod vocatur Deus, non potest admitti ens Infinitum in perfectione, nec etiam completa et absoluta dependentia entium finitorum a causa, qualis dependentia inest creaturae respectu Creatoris, nec tandem perfecta libertas Primae Causae in condendo alia entia. Consequenter homo nequit admittere se plene et absolute subjici seu obligari moraliter ad voluntatem supremam, nec potest agnoscere suam omnimodam dependentiam respectu Personae quae supremum dominium habet in ipsum: sic rejicitur Deus tamquam auctor ordinis moralis et tamquam objectum religionis: haec conclusio eadem est ac thesis atheismi formaliter et stricte dicti. — Praeterea si pantheismus admittitur, jam logice nequit admitti existere ens quod sit motor immobilis, prima causa incausata, ens omnino necessarium, summum ens, intellectus ordinans omnia existentia: nam ex analysi illorum attributorum statim deducitur ens, cui illa competunt, esse infinitum in perfectione, proinde realiter, adaequate et essentialiter distinctum ab omni enti finito, et unicum, ut postea explicabitur. Quapropter demonstratio a posteriori de existentia Dei logice non conciliatur cum pantheismo et illa demonstratio a pantheistis de facto rejicitur: in quo iterum conveniunt cum adhaerentibus atheismo formali et stricte dicto.

101. damnatus ab Ecclesia.

Ecclesiae Magisterium, saeculo XIII ineunte, anno 1215, in Concilio Lateranensi IV, damnavit Almaricum qui docuerat pantheismum (3). — Pius IX in *Syllabo* (an. 1864) damnavit hanc propositionem: « Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit, ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et justum cum injusto » (4). — Tandem in Concilio Vaticano, definita est catholica doctrina his verbis: « Sancta catholica et apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum... qui cum sit una singularis simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in

---

(1) Scotus Erigena non videtur formali pantheismo adhaesisse sed agnosticismo: cf. VERNET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Erigène*, col. 423 ss.

(2) Haec conclusio sequitur ad *Idealismum*, qualis fuit praesertim ab Hegel invectus.

(3) *Enchir.*, n. 433. Cf. Cf. CHOLLET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Amaury*, col. 938 s.

(4) *Enchir.*, n. 1701. Notemus illam identitatem necessitatis cum libertate, veri cum falso, etc. pertinere ad systema Hegelianum, quod est fundamentaliter et formaliter *contradictorium*.

se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus » (1). Praeterea in canonibus damnavit pantheismum, primo, generice sumptum: « Si quis dixerit unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam: A. S. » (2); deinde specialiter consideratum in diversis formis sub quibus traditus est: « Si quis dixerit res finitas tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales *e divina substantia emanasse,* aut divinam essentiam sui manifestatione vel *evolutione* fieri omnia, aut denique *Deum* esse ens universale seu indefinitum, quod *sese determinando* constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam: A. S. » (3).

102. 2° Agnosticismus,

Agnosticismus, de quo v. suprà, n. 94, etiam logice ducit ad atheismum. Etenim agnosticismus *purus,* quum statuat a nobis non posse certo cognosci utrum Deus existat necne, explicite rejicit omnem demonstrationem de Dei existentia, omnemque virtutem religionis. Imo ulterius, licet contra logicam, progrediens, statuit nullam esse habendam rationem de Dei interventu seu actione tum in phaenomenis physicis, tum in factis historicis: sic atheismum scientificum constituit (4).

Agnosticismus *dogmaticus,* quum statuat existere quidem aliquod ens supremum, Absolutum, quod Deus vocari potest, sed non cognosci posse a nobis naturam ejus, implicite tenet (et multi hanc conclusionem explicite inferunt) non posse a nobis certo cognosci Deum esse ens personale, infinitum, vel aliquid quod Deo soli conveniat, quo distinguatur ab omni alia re: proinde ex illo etiam agnosticismo logice sequitur tolli Deum quatenus est auctor ordinis moralis et objectum religionis (5), nec firmiter stabiliri realem perfectamque distinctionem Dei a mundo, quo posito jam rejici non potest pantheismus. — Vani etiam sunt conatus agnosticorum ad stabiliendam naturalem *immediatam* de Deo cognitionem, aliquam quasi intuitivam de Deo apprehensionem, absque ratiocinio et absque intellectuali repraesentatione ipsius naturae divinae.

103. damnatus ab Ecclesia

In concilio Vaticano statuitur: « Si quis dixerit Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse: A. S. » (6). V. explicationem suprà, n. 51 s.

Nota bene hic definiri hominem naturaliter posse cognoscere certo *verum et unicum Deum,* illum qui est *creator coeli et terrae* et *Dominus* noster:

---

(1) *Enchir.*, n. 1782.
(2) *Enchir.*, n. 1803.
(3) *Enchir.*, n. 1804.
(4) V. suprà, n. 42.
(5) Inde opportune notat CHOSSAT, ap. D'ALÈS, *Dict. apol.*, art. *Agnosticisme,* col. 7: « Pour qu'il y ait religion, il faut que le croyant tienne pour certain que Dieu *est* réellement, indépendamment de notre manière de le concevoir, et de nous le représenter, vivant, intelligent et libre. Or le disciple de Kant ne peut pas, sans renier la méthode critique, porter de jugement sur la nature des choses en elles mêmes ». — Caeteroquin Kant explicite negat officia specifice *religiosa;* quoad alia officia negat obligationis fundamentum niti in voluntate Dei. Cf. SENTROUL, *La philosophie religieuse de Kant* p. 75.
(6) *Enchir.*, n. 1806.

sub his rationibus potest homo Deum apprehendere et secundum has cognoscere ex rebus factis illum existere. Praeterea Pius X hanc eamdem doctrinam magis explicite tradidit docendo « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali docendo « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine, per ea quae facta sunt, hoc est per visibilia creationis opera, *tamquam causam per effectus,* certo cognosci, adeoque *demonstrari* etiam posse » (1). V. suprà n. 53. Proinde damnatus est agnosticismus qui et quatenus negat: *a*) valorem principii causalitatis, *b*) possibilitatem, pro homine in praesenti suo statu seu conditione, acquirendae naturalis [h. e. absque divina revelatione et fide] et certae cognitionis de vero Deo, deque illis attributis Ipsi soli propriis suprà enumeratis; *c*) demonstrabilitatem a posteriori existentiae Dei.

104. 3° Immanentismus vitalis.

Nomine Immanentismus designatur doctrina, quae, quatenus de religione agit, tenet unicum medium adhaerendi Deo esse *experientiam* religiosam, nempe affectionem quamdam specialem, quae, data opportuna occasione, percipitur per conscientiam. Illa affectio (2), secundum modernistas, est sensus indigentiae *divini:* hic sensus divinam ipsam *realitatem,* tum tamquam objectum, tum tamquam suî causam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo conjungit: quatenus homo hunc sensum sequens *credit* esse Deum (3). In hac sententia, quum id, quod proprie cognoscitur, non est nisi affectio subjecti percipientis suam affectionem, et quum, agnosticismo praesupposito, non sit possibilis ulla cognitio de natura illius entis quod Deus vocatur, jam non potest vere admitti Deum esse ens *personale* (4). Praeterea, secundum praedictam sententiam, ipsa subjecti affectio sola percipitur et cognoscitur (nec potest ex hac affectione per ratiocinium inferri existentia alterius entis, quod esset causa illius affectionis): inde, vel nihil aliud cognoscitur nisi homo sentiens, vel, si in ipso percepto sensu, quasi intuetur homo Deum, tunc eadem realitas est et homo et Deus: quod est *pantheismus* (5).

Tandem si quis dicat se non experiri illam indigentiam divini, nec ullo modo se in semetipso intueri Deum, jam nulla remanet via qua hic homo posset adjuvari vel adduci ad cognoscendum aut agnoscendum Deum: solus reliquus est *atheismus* (6).

105. damnatus ab Ecclesia.

Pius X variis locis in encyclica « Pascendi » damnavit theoriam supra expositam, ostendendo illam esse doctrinae catholicae omnino oppositam, necnon ducere ad pantheismum et ad atheismum (7).

---

(1) *Enchir.*, n. 2145.

(2) Illa affectio aliter ab aliis describitur et explicatur, cf. PINARD, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Expérience religieuse*, col. 1797 ss.

(3) Cf. encycl. « Pascendi », suprà, n. 42. — Quoad refutationem immanentismi, cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 208 ss.; MICHELET, *o. c.*, p. 184 ss., 240 ss.; VAN DER MEERSCH, *Tractatus de gratia divina*, n. 29 ss. — Specialiter de pantheismo qui pertinet ad systema Bergson, cf. GARRIGOU-LAGRANGE, in *Revue thomiste*, 1907, t. XV, p. 611 ss.; MARITAIN, *o. c.*, p. 169 ss.

(4) Cf. MICHELET, *o. c.*, p. 291 ss.; PINARD, *o. c.*, col. 1829.

(5) Cf. MICHELET, *o. c.*, p. 295 ss.; PINARD, *o. c.*, col. 1833.

(6) Cf. MICHELET, *o. c.*, p. 298 ss.

(7) V. textum in *Collat. Brug.*, t. XII, p. 671 s.; *Enchir.*, n. 2105-2109.

106. 4° Ontologismus connexus cum pantheismo,

Ontologismus primo aspectu videtur omnino tueri certam cognitionem de vero Deo, quum statuat intellectivam et immediatam apprehensionem ipsius Dei; attamen rite rem perpendenti apparet illa sententia logice ducens ad *pantheismum*. Etenim diversis ontologismi expositionibus commune est quod statuitur intuitus immediatus ipsius Dei, tamquam naturalis et primaria cognitio hominis: inde omnia, saltem universalia, cognoscuntur in Deo; inde ipse Deus est sola res seu realitas, quae primario fit objectum apprehensionis humanae, et fit lumen intellectuale sub quo apprehenduntur quaecumque cognoscuntur. Inde notio universalissima *entis* etiam ut objectum immediatum et reale habet ipsum Deum et sic Deus est id quod in omnibus intelligimus: inde logice concluderetur omnia realiter esse id quod est ipse Deus: hic est pantheismus.

107. damnatus ab Ecclesia.

Praecipuas propositiones ad ontologismum pertinentes tuto tradi non posse declaravit, an. 1861, Congregatio S. Officii, v. suprà, n. 36, et de eadem re S. Congregatio Inquisitionis, an. 1887, quasdam propositiones, excerptas ex operibus editis sub nomine Antonii Rosmini Serbati, in proprio Auctoris sensu, damnavit atque proscripsit. Inter quas notandae sunt sequentes (1):

1ª. In ordine rerum creatarum immediate manifestatur humano intellectui aliquid divini in se ipso, hujusmodi nempe quod ad divinam naturam pertineat.

4ª. Esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est divinum illud quod homini in natura manifestatur.

5ª. Esse, quod homo intuetur, necesse est ut sit aliquid entis necessarii et aeterni, causae creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium: atque hoc est Deus.

6ª. In esse quod praescindit a creaturis et a Deo, quod est esse indeterminatum, atque in Deo, esse non indeterminato, sed absoluto, eadem est essentia ».

108. Notio entis universalissimi differt a notione Entis per se subsistentis.

Nota. Summopere cavendum est ne confundatur conceptus entis universalissimi cum conceptu Entis per se subsistentis. Si utriusque consideratur objectum formaliter repraesentatum, hae apparent differentiae:

a) Notio entis universalissimi, quae est prima inter notiones *transcendentales* (2), est *maxime abstracta:* praescindit enim ab omni determinatione, ideoque *comprehensione* est *minima:* « minimam possibilem amplitudinem habet, cum non sit nisi in intellectu abstrahente, et tali quidem abstractione, ut si ulterius procederetur, nihil remaneret » (3), ideoque *extensione* est *maxima:* « vagatur enim per omnia, quia, utpote maxime indeterminatum et analogum, praedicari potest de omnibus quae quomodocumque sunt aut esse possunt » (4).

Notio vero Entis per se subsistentis *comprehensione* est *maxima:* includit enim omnes perfectiones in summo atque infinito simplicitatis gradu, ideoque *extensione* est *minima,* quum unico tantum conveniat enti.

b) Notio entis universalissimi ab homine percipitur *proprie;* notio vero Entis per se subsistentis nonnisi *improprie.*

c) Ens universalissime sumptum dicitur ens *simpliciter*, quatenus praescindit ab omni determinata perfectione; ens vero per se subsistens, dicitur ens seu potius *esse simpliciter,* quatenus est purissimus et illimitatus essendi actus.

---

(1) *Enchir.*, n. 1891-1896.
(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 26.
(3) Card. BILLOT, *De Deo,* thes. II, § 4, p. 40.
(4) ID., *ib.*

§ II.

Danturne athei?

109. Quales sint athei.

1. Athei *practici,* seu homines qui ita vivunt ac si Dei existentiam non agnoscerent, quatenus nec cultum Deo tribuunt, nec divinas leges observant, certo dantur; et numerus illorum videtur in dies crescere.

2. Athei *theoretici,* alii dicuntur *negativi,* alii *positivi.*

a) *Negativi,* illi nempe qui nullam haberent notionem de Deo, forsitan dari possunt; quatenus *per aliquod tempus* post acquisitum rationis usum, quidam homines nondum pervenerint ad praedictam ideam; sed haec ignorantia per longum tempus durare nequit saltem apud homines qui in societate cum aliis vivunt: quia in omnibus populis, etiam incultis, praedicatur existentia alicujus entis supremi. Si homo ab aliis omnino segregatus vixerit et tamen acquisiverit normalem usum rationis, huic etiam, ut videtur, facile innotescet, per ratiocinium, notio de aliqua causa suprema omnium quae existunt.

b) *Positivi,* nempe illi qui plenam persuasionem habent quod non existit Deus, nec dari possunt, ut videtur (1). Nam nulla est ratio qua talis persuasio generetur. Praeterea argumenta, quibus innotescit et demonstratur existentia Dei, utpote ex consideratione rerum materialium vel ipsius hominis originem habentia et solo principio causalitatis innixa, talia sunt ut homo non possit illorum vim saltem non aliquo modo perspicere et saltem probabilitatem conclusionis non agnoscere. Quapropter quod de atheis positivis et formaliter sumptis diximus, idem videtur affirmandum de iis qui propugnant agnosticismum purum, nempe censemus non dari posse homines qui plene sint persuasi omnino incognoscibile esse a nobis utrum necne existat Deus.

c) *Dubitantes* vero de existentia Dei dari possunt: fieri enim potest quosdam homines ita falsis imbui praejudiciis et obcaecari sophismatibus, ut vero dubio laborent circa valorem demonstrationis de existentia Dei, praesertim si, falsa philosophia informati, plurimis implicentur difficultatibus in Dei existentia scientifice perquirenda. Hi sunt athei *sceptici.* Dari etiam possunt athei *agnostici,* nempe qui adhaerent alicui agnosticismo *positivo.* Imo notat Boedder (2), nostra aetate, numerum atheorum scepticorum et agnosticorum crescere videri, quod confirmatur quia magis ac magis praedicatur id quod vocatur « moralis independens ».

110. De atheismi sceptici causa.

Nota. 1° Ad eum mentis statum in quo serio dubitatur de existentia Dei potest forsitan pervenire homo absque culpa sua, si nempe ita fuerit a

(1) Cf. DE MUNNYNCK, *o. c.*, p. 90 s.; L. JANSSENS, *De Deo,* t. I, p. 99 s.; DEL VAL, *Sacra theologia dogmatica,* Matriti, 1906, t. I, 53; POHLE, *o. c.*, p. 29 s.; MOISANT, ap. D'ALÈS, *Dict. apol.*, art. *Athéisme,* col. 317.

(2) *O. c.*, n. 9.

parentibus vel a magistris informatus ut nunquam argumentorum demonstrantium existentiam Dei vim plene perceperit, nec unquam de Dei existentia habuerit persuasionem (1).

Praedictae possibilitatis ratio complectitur duplex elementum: unum intellectuale, alterum voluntarium. Quoad *intellectum*, habetur *primo* generalis possibilitas errandi, quae omni creato, praesertim humano, intellectui naturalis est; *secundo*, indoles veritatis, de qua agitur: haec enim *non est per se nota quoad nos* (2), seu non ad assensum determinat intellectum statim ac termini propositionis intelliguntur, sed ejus non possumus habere nisi *mediatam* evidentiam, evidentiam quae per ratiocinia innotescit: porro in operatione discursiva deficere potest nostra ratio, quatenus vel non considerat omnia quae consideranda sunt, vel aliquo sophismate obcaecatur, etc. Attamen ille defectus in operando, et falsum judicium quod sequitur, nunquam habentur absque influxu voluntatis, qui inordinatus quidem est, sed non semper culpabilis. Quo autem alicujus voluntas est habitualiter minus recta, vel magis assueta cedere passionibus, eo etiam frequentior et firmior erit inordinatus voluntatis influxus in judicando: caeteroquin passiones turbant imaginationem et physice impediunt rectum usum rationis. Quapropter quo magis in societate hominum sparguntur falsa asserta, quo magis homines bona temporalia et sensibiles delectationes prosequuntur, eo majus fit periculum errandi circa cognitionem ipsius Dei et perveniendi ad dubium circa Ejus existentiam.

111. de possibilitate bonae fidei,

2° Sed illud dubium non poterit, ut videtur, absque culpa hominis remanere perpetuum in ipso. Nam si homo sincere et debite inquirit de veritate, hanc inveniet et certo cognoscet Deum existere. Si homo non vult debite et perseveranter inquirere de veritate, non poterit vitare culpam. Etenim peccatum habetur etiam quando homo deliberate vult id de quo, nulla inquisitione facta, nescit utrum ipsi sit licitum vel illicitum: nam in illa volitione includitur inordinatio seu malitia peccati. V. gr. si homo sic agit: nescio utrum necne teneor audire missam hodie, sed quidquid sit, non audiam missam: ille homo peccat, quia in sua volitione includitur transgressio legis. Nunc, homo, qui dubitat de existentia Dei ac consequenter de existentia legis naturalis, et qui non vult debite de illa re inquirere, sed sibi dicit: quidquid sit, agam ac si non esset Deus et non esset lex: ille homo peccat, quia in sua volitione includitur negatio subjectionis et obedientiae ad Deum, etiamsi existit Deus (3).

Igitur, licet, uti suprà, n. 84, diximus, ad cognitionem de obligatione proprie dicta praerequiratur cognitio de existentia Dei, tamen haberi potest peccatum in illo qui dubitat de existentia Dei.

Ex dictis concludendum est difficillimum esse admittere *bonam fidem* apud illos qui *a priori*, uti nunc dicitur, recusant inquisitionem de existentia Dei, utpote de absurdo et vano antiquae superstitionis vestigio: deberent hanc saltem agnoscere ut hypothesim aptam qua existentia et praesentim ordo Universi explicentur. Difficilius est admittere bonam fidem apud illos qui verbis vel scriptis existentiam Dei impugnant et contra illam sophismata excolunt et diffundunt. Etenim quum non concedendum sit illos posse plene persuasos esse de non-existentia Dei, relinquitur ut tantum dubitatio admittatur in ipsis: si autem sincere dubii haerent, non unam partem, prae altera opposita, defendent; si nulli perversae cedunt voluntati, non operabuntur ad destruendam in hominibus persuasionem de existentia Dei, quippe

(1) Cf. BOEDDER, *o. c.*, n. 149.
(2) V. suprà, n. 56.
(3) Cf. NIVARD, ap. D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi cath.*, art. *responsabilité*, col. 953 s.

quae sit fundamentum omnis moralitatis et religionis proprie dictae, eo vel magis quod nequeunt non cognoscere scelera ac omnis generis mala eo plura et graviora fieri quo inter homines persuasio et professio de Dei existentia debilior fit.

112. de malis subsequentibus.

3° Errores philosophici, ii praesertim qui circa Deum versantur, non remanent quasi inclusi in scholis superioribus, sed paulatim in populo sparguntur et multis malis originem praebent: qua de re scripsit Leo XIII verba nostris diebus omnino meditanda :

« Si quis in acerbitatem nostrorum temporum animum intendat, earumque rerum rationem, quae publice et privatim geruntur, cogitatione complectatur, is profecto comperiet, fecundam malorum causam, cum eorum quae premunt tum eorum quae pertimescimus, in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum jampridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta. Cum enim insitum homini natura sit, ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur: atque ita contingit, ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentia sedes, in humanas actiones influat easque pervertat » (1).

Praesertim de facto quod multi veritates divinitus traditas parvipendunt vel prorsus rejiciunt, et Ecclesiae divinam potestatem adoriuntur, dicit idem Pontifex:

« Quorum causam errorum si quis paullo diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur. — Hinc in plurimorum mentibus maximarum veritatum lumen quasi restinctum: hinc in privatos homines non solum, sed in ipsas res publicas communis derivata pernicies. Ipsa juris novi, ut vocant, principia, quae sibi plurimum infesta passim experiuntur civitates, splendidis quibusdam inanis philosophiae mendaciis nituntur. Exemplo sit principatus exlex humanae intelligentiae tributus; aequata veri falsique jura; cunctarum religionum par habita ratio; effrenata libertas seu verius quidlibet audendi potestas, cujus vel in cogitando vel in agendo expertem esse neminem prorsus volunt. — Igitur in tanta perturbatione animorum et confusione rerum, opportunissimum sane remedium homini suppetit in sana philosophia, si sapienter studioseque excolatur » (2). Deinde asserit Summus Pontifex optimam philosophandi formam eam esse quae ingenio studioque sancti Thomae Aquinatis est elaborata.

113.

4° Quod diximus de statu subjectivo eorum qui atheismo sceptico inficiuntur non est applicandum illis qui adhaerent alicui errori formaliter diverso, licet logice connexo cum atheismo : dari praesertim possunt qui bona fide alicui agnosticismo dogmatico et ontologismo adhaerent, imo qui conservant fidem christianam et catholicam: hoc autem quia non perspiciunt nexum logicum inter illas sententias et pantheismum, et ulterius atheismum.

Quantum autem malum sit propugnare errorem fundamentalem circa essentiam vel valorem cognoscitivum humanae rationis constat etiam ex historia : a Cartesio (1596-1650) enim, qui dubium methodicum universale statuit, aliosque errores connexos, incoepit falsa philosophandi ratio, ex qua consecuti sunt pantheismus, idealismus, agnosticismus, ontologismus, qui deinde etiam atheismi moderni saltem occasio fuerunt (3).

(1) Encycl. «Æterni Patris », an. 1879, *Leonis XIII Acta*, t. I, p. 89.
(2) Allocutio ad scientiarum cultores, an. 1880, *Leonis XIII Acta*, t. I, p. 141 s.
(3) Cf. TOUSSAINT, *o. c.*, col. 2203; Card. MERCIER, *Les origines de la psychologie contemporaine*, Louvain, 1897.

SECTIO SECUNDA

De Essentia Dei

Praenotandum.

114. Connexio sequentium cum praecedentibus.

1° Suprà, n. 45 ss., hoc demonstravimus quod secundum fidem divino-catholicam tenendum est hominem posse naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognoscere Deum, rerum omnium principium et finem. Illius porro Entis, jam cogniti ut primi principii, causae efficientis et artificis rerum hujus mundi adspectabilis, *natura* nunc est investiganda, ut *invisibilia ipsius intellecta conspiciantur* a nobis, *Rom.* I, 20.

Hoc inquirendum sequitur etiam ex illis quae statuimus suprà, in capite III (n. 55 ss.), in quo per solum naturale rationis lumen, e rebus factis demonstravimus existere primum motorem immobilem, ens omnino necessarium, primam causam efficientem incausatam, ens quod est summum esse, bonum, etc. tandem ens, quod intellectu praeditum, est causa ordinis qui viget in rerum universitate.

Illius porro entis natura ulterius est investiganda. Jam contra agnosticos, qui existentiam alicujus Entis Supremi admittentes negant omnino hujus naturam posse inquiri et ullatenus cognosci, hoc notemus quod eadem certitudine eademque logica necessitate, qua demonstratur existere Ens Supremum, demonstratur etiam Illud esse ex se solo et per se solum existens, proinde infinitum, aeternum, immutabile, etc., necnon intellectu et voluntate praeditum, ideoque ens personale. Ad illas autem conclusiones inferendas, sufficit unam considerare rationem formalem sub qua demonstratur existere illud Ens, v. gr. sub ratione primae causae efficientis incausatae, deinde facile patebit idem unumque ens esse quod est et primus motor immobilis, et ens omnino necessarium, etc.

115. Divisio.

2° Quum *theologicus* sit tractatus noster, imprimis e divinae Revelationis fontibus, Sacra scilicet Scriptura et Traditione, hauriemus doctrinam; sed quum etiam *scientificus* sit, mutuabimur a philosophia tum assertorum revelatorum explicationem, tum conclusiones ex illis deducendas, tum ordinem inter illa omnia ponendum ita ut resultet totum logicum. Ad hoc autem sequimur praecipue S. Thomae Aq. *Summam theologicam.* Ibi tamen non explicite vel non speciali expositione proponuntur quaedam quaestiones quae nunc a theologis ex professo moventur. Quapropter hic erit processus noster: caput I erit de *notione* tum *essentiae* divinae, tum *attributorum;* caput II, de eo in quo, secundum modum nostrum concipiendi, ponenda sit propria ratio divinitatis seu *essentia Dei metaphysica;* caput III, de *singulis*

perfectionibus, singillatim spectatis, quae Deo, in sua *essentia* (non in sua operatione, de qua in *tertia* sectione agendum) considerato, conveniunt; caput IV, de modo quo Deus a nobis *cognoscitur* et *nominatur.*

116. Agnosticismus omnis removendus,

3° S. Thomas, in *Sum. theol.* Q. III, *prologo,* haec habet: « Cognito de aliquo an sit, inquirendum restat quomodo sit, ut sciatur de eo quid sit. Sed quia de Deo scire non possumus quid sit, sed quid non sit, non possumus considerare de Deo quomodo sit, sed potius quomodo non sit ». Ne hoc interpretemur ac si faveret cuidam agnosticismo, ac si S. Thomas censeret non nisi *negativam* et *mere relativam* cognitionem de Deo nos habere: negativam dico, ac si nostra cognitio terminaretur, tamquam ad objectum, ad aliquid mere negativum, v. gr. Deus non est corpus, etc.; relativam dico, ac si nostra cognitio terminaretur, tamquam ad objectum, ad aliquid quod est mera relatio quoad nos, v. gr. quod Deus sit causa nostri, vel quod, quum dentur res factae quae sunt viventes, vita etiam sit praedicanda de Deo, quin tamen aliquid percipere possimus de eo quod Deus est realiter in se ipso et de ea perfectione, Ipsi intrinseca, qua est causa, vivens, etc.

Non haec est sententia S. Thomae, sed admittit nos habere posse de Deo cognitionem *positivam* et *absolutam.* Etenim *a*) docet quod naturaliter nempe ex effectibus « perduci possumus ut cognoscamus de Deo an est et ut cognoscamus de ipso ea quae necesse est ei convenire, secundum quod est prima omnium causa, excedens omnia sua causata » (1). Ideo Deum cognoscimus ex perfectionibus procedentibus in creaturas ab ipso; quae quidem perfectiones in Deo sunt secundum eminentiorem modum quam in creaturis (2). *b*) Refutat S. Thomas opinionem eorum qui dicunt quod per hoc quod Deo scientiam et alia hujusmodi attribuimus, nihil in eo ponimus; sed significamus tantum ipsum esse causam scientiae aliarumque perfectionum in rebus creatis. Respondet S. Thomas eatenus Deum posse esse et dici causam scientiae aliarumque perfectionum quatenus in ipsa natura sua habet scientias et perfectiones quas communicat (3). *c*) Legenti autem Summam theologicam evidenter apparet multa profunde perspexisse S. Thomam de intrinseca Dei perfectione. — Caeteroquin impossibile foret rationabiliter negare aliquid de aliquo ente, si non jam haberetur de eodem positiva quaedam cognitio: quomodo, v. gr., possim judicare Deum non esse corpus, non esse mutabilem, etc., nisi jam noverim satis ipsius Dei naturam ut pateat corporeitatem, mutabilitatem non posse componi cum eo quod Deus est in seipso.

117. admittenda cognitio vera et positiva, licet analogica.

Attamen non nisi imperfectam possumus hac in terra habere de Deo cognitionem; haec nostra cognitio est tantum mediata et *analogica,* non autem *propria,* ut infrà explicabitur. Ideo dicebat S. Thomas: « de Deo scire non possumus quid sit »; nempe, hac in terra, non habemus immediatam seu intuitivam de Deo visionem; nec habemus de eo cognitionem *propriam:* propria habetur cognitio de aliquo ente, quando hoc cognoscitur per formam ejus propriam, sicut oculus videt lapidem per speciem lapidis, sicut etiam humanus intellectus cognoscit essentias rerum materialium per species abstractas ab illis rebus. Sed de Deo non habemus cognitionem nisi per formas rerum creatarum, quas essentia Dei in infinitum excedit: ergo non possumus naturaliter scire *proprie quid* sit Deus. Quum autem res creatae sint effectus Dei, sed effectus *qui non adaequantur virtuti causae,* ideo in ipsis effectibus non possumus *proprie* cognoscere *qualis* sit virtus Dei, vel *qualis* sit essentia Dei. Hoc sensu dicebat S. Thomas: non possumus scire, scilicet *proprie,* quid sit Deus aut quomodo sit (4). Et hoc dicebat in quaestione, quae praecedit prologum, nempe Q. II, a. 2, ad 3: « per effectus non proportionatos causae non potest *perfecta* cognitio de causa haberi; sed tamen ex quocumque effectu manifesto nobis potest demonstrari causam esse... Et sic ex effectibus Dei potest demonstrari Deum esse; licet per eos non *perfecte* possimus eum cognoscere secundum suam essentiam ».

---

(1) *Sum. theol.,* I, Q. XII. a. 12.
(2) *Ibid.,* Q. XIII, a. 3.
(3) *De veritate,* Q. II, a. 1.
(4) Cf. S. THOMAS, *In Boëtium de Trinitate,* Q. 1, a. 2.

Sed quia res creatae sunt vere effectus Dei, proindeque imitantur realiter, licet deficienter, perfectionem causae, ideo per res creatas possumus scire *analogice* quid sit Deus et qualis sit: hoc necessario consequitur ex hoc quod ex creaturis possumus scire Deum existere (1). Docet etiam S. Thomas quod mens humana tripliciter proficit in cognitione Dei: *primo* secundum quod perfectius cognoscitur ab homine productio rerum et efficacia Primae Causae, *secundo* prout nobiliorum effectuum cognoscitur causa, *tertio* prout magis ac magis cognoscitur Deus ut elongatus ab his omnibus limitatis perfectionibus, quae in effectibus inveniuntur, et proinde ut magis ac magis excedens in perfectione omnes suos effectus (2). Hic. ut patet, docetur haberi cognitionem veram ac positivam de Deo, licet analogicam. Secundum hoc etiam intelliges quod alio in loco affirmat S. Thomas: « Haec est summa cognitio quam de ipso [Deo] in statu viae habere possumus, ut cognoscamus Deum esse supra omne id quod cogitamus de eo » (3).

118. Methodus inquisitionis indicatur.

Tandem quando dicit S. Thomas, in prologo de quo agimus : « non possumus considerare de Deo quomodo sit, sed potius quomodo *non sit* », indicat *methodum* sequendam in *inquirendo* de natura Dei. Etenim quum non possit cognosci Deus per genus et differentiam specificam, ideo incipit consideratio circa differentias quibus Deus distinguitur a creaturis, et quidem ab illis quae Deo non possunt convenire. Sic tamen *positiva* nobis acquiritur cognitio: nam supposito, v. gr., quod Deus est prima causa efficiens incausata, primo statuitur quod non est accidens, ergo quod est substantia; deinde quod non est substantia *corporea*, etc : sic eo melius nobis innotescit divina substantia quo magis apparet diversitas ejusdem ab omnibus aliis rebus.

---

(1) Ad rem, SERTILLANGES, *S. Thomas d'Aquin*, Paris, 1910, t. I, p. 165: « Étant donné que les cinq preuves de Dieu avancées ici n'en font qu'une en leur fond, reposant toutes sur la nécessité de trouver une source à l'être en tant qu'être... il est bien évident que de chacune de ses preuves indifféremment on pourra tirer tout ce qui peut se savoir de la Cause Première. De celle-ci nous ne pouvons avoir de connaissance [naturelle] que par les mêmes moyens qui nous ont permis de la reconnaître. Ne l'atteignant nullement en soi, les raisons qui nous permettent de dire: Elle est, sont les mêmes exclusivement qui autorisent à dire: Elle est telle ».

(2) *In Boëtium de Trinitate*, l. c. Unde quando ibidem dicet S. Thomas quod mens humana non pertingit ad cognoscendum de Deo *quid est*, sed *an est* solum, non intendit quod sola existentia Dei sit cognoscibilis, et ejus natura prorsus incognoscibilis, sed intendit quod, cognita ex rebus factis existentia Dei, non possumus *propriam* cognitionem *propriosque* conceptus habere de ipsa essentia divina et de modo, quo in ipso sunt perfectiones, quas in Deo *esse* certo cognoscimus. Ponitur ergo a S. Thoma inter cognoscere *quod est* Deus et cognoscere *quid sit* aut *quomodo sit*, quaedam differentia, cujus ratio haec esse videtur: supposita *nominali* de Deo definitione, seu supposito quod cognoscatur quid hoc nomine designetur, statim potest demonstrari hoc ens existere, quin fiat praeoccupatio de modo quo nos cognoscimus. Sed quando tunc ulterius ponitur quaestio: quid realiter Deus sit in seipso, vel quomodo in se sit, statim apparet conceptus nostros non nobis repraesentare Deum sicut nobis repraesentant. v. gr., essentiam trianguli, vel essentiam hominis; ideo non habemus de Deo cognitionem *quidditativam*, nec *definitionem;* ideo dicitur nos non scire quid sit Deus aut quomodo sit. Hoc tamen ulterius est explicandum: tunc ostenditur quod per ratiocinia, et per viam affirmationis, negationis et eminentiae, possumus demonstrare alia inesse Deo, alia non, perfectionesque in ipso esse aliter ac sunt in creaturis, ideo acquiritur de essentia Dei et de ejus proprietatibus cognitio vera, licet imperfecta et analogica. Cf. CAPREOLUS, *Defensiones*, Turonibus, 1900, *In I sent.*, Dist. II, Q. I, concl. 6ª, t. I, p. 122 s. — Quod hîc diximus de mente S. Thomae etiam dicendum est de Ecclesiae Patribus, ut erudite et dilucide exponit LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu*, col. 1134 ss.

(3) *De veritate*, l. c., ad 9. En integra responsio: « Tunc intellectus dicitur scire de aliquo quid est, quando definit ipsum, idest quando concipit aliquam formam de ipsa re quae per omnia ei respondet. [Haec est cognitio *propria*, conceptus *proprius*]. Jam autem ex dictis patet quod quidquid intellectus noster de Deo concipit, est deficiens a repraesentatione ejus. [Hic est conceptus *analogicus*]; et ideo quid est ipsius Dei semper nobis occultum remanet [quia non nisi analogicum et deficientem conceptum de eo habemus]; et haec est summa cognitio quam de ipso in statu viae habere possumus, ut cognoscamus Deum esse supra omne id quod cogitamus de eo ».

119. Quam explicationem tradit ipse S. Thomas his verbis:

« Ostenso igitur, quod est aliquod primum ens, quod Deum dicimus, oportet ejus conditiones investigare.

Est autem via remotionis utendum, praecipue in consideratione divinae substantiae. Nam divina substantia omnem formam, quam intellectus noster attingit, sua immensitate, excedit; et sic ipsam apprehendere non possumus cognoscendo quid est, sed aliqualem ejus habemus notitiam cognoscendo quid non est. Tanto enim ejus notitiae magis appropinquamus, quanto plura per intellectum nostrum ab eo poterimus removere; tanto enim unumquodque perfectius cognoscimus, quanto differentias ejus ad alia plenius intuemur; habet enim res unaquaeque in seipsa esse proprium ab omnibus aliis distinctum. Unde, et in rebus quarum definitiones cognoscimus, primo eas in genere collocamus, per quod scimus in communi quid est; et postmodum differentias addimus, quibus a rebus aliis distinguatur; et sic perficitur substantiae rei completa notitia.

Sed quia, in consideratione substantiae divinae, non possumus accipere quid quasi genus, nec distinctionem ejus ab aliis rebus per affirmativas differentias accipere possumus, oportet eam accipere per differentias negativas. Sicut autem, in affirmativis differentiis, una aliam contrahit et magis ad completam designationem rei appropinquat, secundum quod a pluribus differre facit, ita una differentia negativa per aliam contrahitur, quae a pluribus differre facit; sicut si dicamus Deum non esse accidens, per hoc quod ab omnibus accidentibus distinguitur. Deinde si addamus ipsum non esse corpus, distinguimus ipsum etiam ab aliquibus substantiis; et sic per ordinem, ab omni eo quod est praeter ipsum, per negationes hujusmodi, distinguetur; et tunc de substantia ejus erit propria consideratio, quum cognoscetur ut ab omnibus distinctus. Non tamen erit perfecta cognitio, quia non cognoscetur quid in se sit » (1).

Caput I

DE NOTIONE ET DE DISTINCTIONE ESSENTIAE ET ATTRIBUTORUM DEI.

Articulus Ius. **De notione essentiae et attributorum Dei.**

§ I.

Multiplicitas rationum de Deo.

120. *Multae rationes de Deo.* In inquirendo, quantum fieri potest secundum suprà dicta, quid et qualis sit Deus, invenit homo multas perfectiones praedicandas esse de Deo et licet etiam cognoscat eas omnes in Deo esse realiter unum et idem, tamen investigat *ordinem* qui inter illas viget, quatenus nempe alia praesupponitur aliis, et quidem in ordine *ontologico:* quia haec est ipsa realitas Dei ut alia perfectio necessariò ipsi insit ut et alia inesse possit: v. gr., intelligere Deus debet ut possit velle.

In illa inquisitione facienda, operatur homo omnino congruenter naturae suae rationis: etenim intellectus noster, quum sit limitatus, et debeat, quamdiu in statu viae manet, a creaturis omnem suam cognitionem accipere, non

(1) *Sum. contr. Gent.* L. I. c. 14. Cf. Ferrariensis in h. l.

nisi per species seu similitudines intellectuales a rebus materialibus abstractas valet intelligere: consequenter *iisdem speciebus* uti debet ad Deum aliqualiter cognoscendum. Jamvero illae speecies proveniunt a variis perfectionibus, quae realiter distinctae inveniuntur in rebus: inde uni speciei correspondet talis perfectio, alii speciei, alia. V. gr., quum in entibus creatis, aliud sit intelligere, aliud velle, aliud scientia, aliud sanctitas, et ita porro, ideo variis speciebus illa varia intelligimus, et aliud est quod concipio conceptu scientiae, aliud quod concipio conceptu sanctitatis. Porro quum iisdem speciebus utamur oporteat ad Dei perfectionem cognoscendam, necesse est ut pluribus conceptionibus perfectionem Dei intelligamus, consequenter ut plures *rationes* (1) in Deo distinguamus. Tandem sicut in entibus creatis distinguimus earum *essentiam* et ea quae ab essentia *dimanant,* vel ad eam *consequuntur* necessario, ita etiam in Deo distinguimus id quod, *secundum modum nostrum concipiendi,* est essentia divina, et ea quae ad illam consequuntur; hoc modo perficitur *nostra* de Deo cognitio, quum melius perspiciamus ordinem ontologicum inter varias perfectiones, quae Deo competunt.

§ II.

Notio essentiae.

121. Notio essentiae.

Essentia est id quo unaquaeque res constituitur in convenienti sibi gradu definitae realitatis, ab aliisque rebus distinguitur (2).

Essentia *physica* dicitur complexus eorum quae necessario alicui rei insunt ut possit esse id quod est. V. gr. in homine, essentia physica est compositum ex materia prima et anima rationali.

Essentia *metaphysica* dicitur ratio qua res intelligitur primo in suo esse constitui, primo a ceteris rebus discerni et ex qua, tamquam ex primo fonte primaque radice, omnes ejus proprietates intelliguntur dimanari.

Hanc porro de Deo inquirimus rationem. Porro logicum est hanc tractationem praemitti tractationi de attributis. Cognito enim, secundum modum

(1) Bene notemus quid nomine *rationis* hîc intelligatur secundum S. Thomam: « Ratio, prout hîc sumitur, nihil aliud est quam id quod apprehendit intellectus de significatione alicujus nominis... Et sic patet quod ratio sapientiae, quae de Deo dicitur, est id quod concipitur de significatione hujus nominis... Nec tamen hoc nomen ratio significat ipsam conceptionem, quia hoc significatur per nomen sapientiae vel per aliud nomen rei, sed significat intentionem hujus conceptionis... Et ex hoc patet... qualiter ratio dicatur esse in re. Non enim hoc dicitur, quasi ipsa intentio... sit in re; aut etiam ipsa conceptio, cui convenit talis intentio, sit in re extra animam, cum sit in anima sicut in subjecto: sed dicitur esse in re, inquantum in re extra animam est aliquid quod respondet conceptioni animae, sicut significatum signo ». *In I Sent.*, Dist. II, Q. I, a. 3. Ratio est igitur *similitudo intentionalis* intellectu concepta, cui respondet aliquid in re extra animam. Inde quaerit S. Thomas, *l. c.*: « utrum pluralitas *rationum* quibus attributa differunt, sit tantum in intellectu vel etiam in Deo » et respondet pluralitatem esse « non tantum ex parte intellectus formantis diversas conceptiones de Deo, quae dicuntur diversae rationes, sed [etiam] ex parte ipsius Dei inquantum scilicet est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus. Quod ulterius explicat CAPREOLUS. *In I Sent.*, dist. VIII, Q. IV, concl. 3ª, t. I, p. 375, dicendo: « Quod non solum attributa [h. e. ipsae *perfectiones*] sunt in Deo, sed etiam *rationes* attributorum... Tales rationes dicuntur esse *subjective* in intellectu, sed in re sicut *in fundamento* suae veritatis ».

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 197.

suprà, n. 116, expositum, quid sit Deus, poterimus ex hoc demonstrare varias ejus proprietates. Sic expositio evadit maxime *scientialis,* quum *demonstratio propter quid* sit propria scientiae stricte dictae (1). V. suprà, n. 2.

§ III.

Notio attributi.

122. Notio attributi late dicti,

Nomine *attributi* designant multi theologi, praesertim recentiores, *omne id quod, excepta essentia divina, modo quocumque de Deo est praedicabile.*

Inde enata est multiplex divisio attributorum divinorum (2), scilicet:

a) in *affirmativa* et *negativa.*

Affirmativa sunt ea quae exhibent aliquam Dei perfectionem sub conceptu *positivo,* quae nempe exhibent aliquam perfectionem quae creaturis inest et etiam (licet alio modo) convenit Deo, v. gr. vita. Negativa sunt ea quae Dei perfectionem exhibent sub conceptu *negativo,* nempe formaliter sub negatione imperfectionis, quae creaturis inest, v. gr. immutabilitas (3).

b) In *communicabilia* et *incommunicabilia.*

Incommunicabilia dicuntur ea quae creaturis non possunt communicari, v. gr. immutabilitas, infinitas: inde omnia attributa negativa sunt incommunicabilia. Communicabilia sunt ea quae perfectionem exhibent quae communicari (in aliquo gradu) possunt creaturis, v. gr. vita; inde attributa positiva sunt communicabilia.

c) In *quiescentia* et *actuosa.*

Quiescentia exhibent modum quo Deus in seipso est seu existit, v. gr. immutabilitas, aeternitas. Actuosa seu operativa sunt ea quae exhibent aliquam Dei operationem, v. gr. scientia (4).

d) In *absoluta* et *relativa.*

Absoluta sunt ea quae exhibent aliquam perfectionem quae Deo, in semetipso considerato, necessario convenit, independenter a qualibet hypothesi, nominatim independenter ab existentia creaturae, v. gr. infinitas, scientia. Relativa sunt ea quae Dei perfectionem exhibent cum respectu ad creaturas, v. gr. Creator, Dominus. — Absoluta de Deo dicuntur ab aeterno, relativa vero ex tempore.

123. Notio attributi stricte dicti.

Quando S. Thomas et plerique scholastici medii aevi loquuntur de Dei attributis, intelligunt attributum *stricte dictum.*

Attributum divinum stricte dictum est *perfectio absoluta et necessaria,*

---

(1) Ita DE SAN, *De Deo uno,* Lovanii, 1894, n. 40.

(2) Cf. DE SAN, *o. c.,* n. 86 ss.; JUNGMANN, *o. c.,* n. 94 ss.; VAN NOORT, *De Deo,* n. 11; TOUSSAINT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Attributs divins,* col. 2227 ss.

(3) Ad discernendum attributum *negativum,* non est consideranda tantum forma vocabuli et sensus ejusdem etymologicus: v. gr. *simplicitas* quoad vocabulum, non habet formam negativam, sed conceptus ejus est negativus, est nempe *negatio compositionis.*

(4) De attributis omnibus actuosis, agemus in *secunda* parte hujus libri, v. suprà, n. 23.

formaliter in Deo existens, et, modo nostro concipiendi, consequens ad essentiam constitutam tamquam ejus proprietas (1).

Haec ultima definitio declaratione indiget.

Dicitur *perfectio:* quia attributum stricte dictum non est ipsum nomen quod praedicatur, nec ipse mentis conceptus, sed id quod in re extra animam respondet conceptui mentis et quod per nomen significatur. — Ad rem Capreolus: « Praemitto primo, quod per attributum non intelligo solum vocem vel conceptum, quem intellectus Deo solum attribuat componendo vel dividendo... Sed per attributa intelligit sanctus doctor [sc. sanctus Thomas] significata talium nominum, vocum, vel conceptuum; quae nomina de Deo dicuntur; quorum nominum significata melius est reperiri in aliquo quam sua opposita. Exemplum hujus est sapientia » (2).

Dicitur *absoluta* et *necessaria:* absoluta, ad designandum id quod concipitur ut perficiens ens in se, ad excludendas relationes.

Inde attributa stricte dicta non sunt relationes reales Dei ad intra, sc. personae earumque proprietates, nec relationes rationis tantum, quas Deus habet ad extra, nempe ad creaturas actu existentes. Porro omnis perfectio absoluta in Deo est etiam necessaria: non enim realiter distinguitur ab ipsa Dei essentia (3). Dicitur *formaliter* in Deo existens: ad excludendas perfectiones quae dicuntur mixtae et omnia quae de Deo non nisi metaphorice dicuntur.

Dicitur *modo nostro concipiendi consequens ad essentiam constitutam,* tanquam *proprietas* ejus: ad excludenda ea quae Dei essentiam, nostro modo concipiendi, constituunt vel ipsam distinguunt, et ad significandum attributa stricte dicta essentiam divinam, nostro concipiendi modo, non constituere, sed constitutam supponere et ad eam sequi in modum proprietatis.

Haec ultima nota est praecipua in definitione attributi, indigetque ut ulterius declaretur et probetur. Jamvero « ut in rebus a Deo conditis aliud est natura rei vel substantia; aliud quod ex ea sequitur et ad eam adhaerescit: quales sunt proprietates et affectiones, quibus res ipsae quodammodo formantur: sic in Deo, tametsi simplicissimus sit, aliud esse cogitamus, quod est ipse, hoc est substantiam ejus, aut essentiam; aliud quod hanc modificat et quasi jam constitutam et existentem afficit » (4).

Et sane si res creatas consideramus, in eis invenimus id quo formaliter sunt id quod sunt, id nempe quo formaliter « constituuntur in convenienti sibi gradu definitae realitatis, ab aliisque rebus distinguuntur » (5). Hoc est essentia. Sed praeter hanc, habentur in rebus creatis alia quae ex essentia constituta dimanant, eamque modificant et perficiunt V. gr. homo consti-

---

(1) Hanc definitionem, quoad substantiam, tradunt POLMANUS, *Breviarium Theologicum,* Parisiis, 1863, p. I, n. 60 s., p. 15; BILLUART, *De Deo,* Dissert. II, a. 2; FRANZELIN, *o. c.,* Thes. XXI, 3°; DE SAN *o. c.,* n. 87; REMER, *o. c.,* t. II, p. 338; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes Theologicae,* ap. *Coll. Brug.,* t. IV, p. 130.

(2) In I, D. VIII. Q. IV, a. 1. t. I, p. 371.

(3) Quod quidem aeque valet de relationibus realibus ad intra.

(4) PETAVIUS, *De Deo,* L. I. c. 6, n. 1.

(5) DE JAEGHER, *o. c.,* n. 197.

tuitur homo ex materia prima et anima rationali; praeter haec duo, essentiam constituentia, insunt alia v. gr. intellectus, voluntas, facultas visiva, etc.; inesse etiam possunt habitus acquisiti, ut scientia: haec omnia ad essentiam constitutam diversis modis accedunt, illamque perficiunt. Inde consequitur ut ea quae de creaturis praedicantur exhibeant vel ipsam rei essentiam (sive integram, sive partem ejus) vel aliquid essentiae superadditum: ex hoc oriuntur quinque modi secundum quos aliquid de ente creato praedicari potest: qui modi vocantur praedicabilia (1).

Noster autem modus cognitionis de Deo quum non nisi ex cognitione rerum creatarum derivetur, etiam quoad ea quae revelatione divina novimus, necesse est ut etiam in Deo quaedam concipiamus ut essentialia (h. e. ut ipsam Dei essentiam constituentia), alia vero ut ad hanc essentiam consequentia: haec autem sunt attributa stricte dicta.

124. Notio attributi stricte dicti convenit omni perfectioni divinae quae operationem spectat,

Hisce positis, si quaeratur quaenam sint Dei attributa stricte dicta, secundum omnes auctores respondetur ea esse quae ad operationem divinam spectant, nempe intellectus, voluntas, potentia et perfectiones cum his connexae: tales sunt scientia, sapientia, amor, gaudium, sanctitas, omnipotentia. Haec omnia verificant traditam definitionem attributi stricte dicti, ut cuicumque consideranti patet (2).

125. etiam, ut videtur, durationi et praesentialitati.

Recte quidem, ut videtur, inter attributa stricte dicta recensentur etiam *duratio* Dei et ejus *praesentialitas* (3). Utraque enim est perfectio absoluta et necessaria, formaliter in Deo existens, et concipitur a nobis ut positiva perfectio consequens ad essentiam constitutam, tamquam *proprietas* ejus: duratio enim consequens ad notionem vitae essentialis divinae concipitur ut proprietas, eo ferme modo quo animae immortalitas concipitur ut proprietas ejus; praesentialitas consequitur ad conceptum de operatione divina, quum divina operatio sit formalis ratio secundum quam Deus absque ulla circumscriptione ac limitatione, sit substantialiter praesens, ubicumque aliquid est vel esse potest. Porro intrinsecus modus proprius durationis divinae est *aeternitas;* intrinsecus modus proprius praesentialitatis divinae est *immensitas* (4). Inde illa duo habentur ut *modi attributorum* Dei. Aliae perfectiones, sicut infinitas, immutabilitas, sunt *modi* tum essentiae, tum attributorum.

126. Non alia dantur attributa stricte dicta.

Non alia dantur attributa stricte dicta.

Et primo, attributa stricte dicta non sunt illa quae dicuntur gradus metaphysici, ut substantia, vivens, spiritualis; haec, sicut in angelo sunt de ratione et conceptu ipsius essentiae, ita etiam sunt de ratione et conceptu Dei essentiae: sane nemo concipit v. gr. vitam in Deo ut aliquam perfectionem divinae essentiae jam constitutae superadditam.

Deinde nec transcendentalia, unum, verum, bonum sunt Dei attributa stricte dicta (5): nam illa « enti non superaddunt aliquid reale ab ipso ente diversum: nec ullam ei apponunt rationem formalem differentialem quae sit perfecte extra rationem entis ipsius » (6), inde illa in creaturis non sunt

(1) Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 17.
(2) Cf. Suarez, *De Deo*, l. I, c. 9, n. 7, p. 27 s.
(3) Cf. Capreolus, *In I Sent.*, Dist. VIII, Q. IV, a. 1, t. I, p. 372.
(4) Suarez, *l. c.;* De San, *o. c.*, n. 89, 113 ss.
(5) Cf. ILLmus ac REvmus Waffelaert, *o. c.*, l. c. et t. II, p. 6.
(6) De Jaegher, *o. c.*, n. 204.

aliqua perfectio essentiae determinatae accedens, illamque perficiens: consequenter nec sunt Dei attributa stricte dicta.

Tandem nec attributa stricte dicta sunt v. gr. simplicitas, infinitas, immutabilitas: haec enim nobis exhibent modum essendi intrinsecum ipsius essentiae divinae vel ejus attributorum. Ita v. gr. infinitas nobis exhibet Dei essentiam quatenus nullum in linea essendi patitur limitem, quatenus nempe in Dei essentia inest omnis perfectio et quidem in summo gradu; immutabilitas nobis exhibet Dei essentiam ejusque attributa prorsus immunia ab omni transitu de uno modo sese habendi ad alium modum: inde facile est videre infinitatem, immutabilitatem non esse, modo nostro concipiendi, perfectiones essentiae divinae quasi superadditas eamque complentes. Idem dices de aliis suprà indicatis.

127. Praedicabilia de Deo ad quatuor classes reducuntur.

Si igitur consequenter inhaerere volumus ei attributi notioni quae a Scholasticis medii aevi est tradita, « in Deo uno, prouti subest nostris conceptibus, quatuor distinguenda sunt, scilicet: *a*) essentia, quae inter eas perfectiones quas de Deo positive apprehendimus, intelligitur esse prima in Deo atque radix ceterarum; *b*) attributa, quae sunt perfectiones secundariae [i. e. consequentes] quas de Deo positive apprehendimus; *c*) intrinseci modi essentiae vel attributorum, quae sunt ea quae de Deo intelligimus per remotionem imperfectionum in rebus creatis inventarum; ac denique *d*) varia ad res creatas habitudines, quae Deo in tempore advenire concipiuntur » (1).

ARTICULUS II. **De distinctione attributorum divinorum ab essentia divina.**

Praenotandum.

128. Status quaestionis.

Id supponendo, quod infrà demonstrabimus, scilicet Deum esse omnino simplicem, occurrit quaestio quomodo possit admitti distinctio inter ipsam essentiam et attributa divina: cujus quaestionis solutio ponitur convenienter hoc loco, quo tum essentiae tum attributi notio fuit explicata.

Thesi defendendae praemittimus duo: unum de modo loquendi, alterum de variis sententiis rejiciendis.

129. Quid nomine distinctionis rationis veniat apud recentiores,

A. *De modo loquendi.* Recentiores philosophi ac theologi statuunt duplicem *distinctionem:* unam quam *realem,* alteram quam vocant *rationis.* Distinctio *realis* intelligitur illa quae *a parte rei* existit et independens est ab operatione cujuslibet intellectus. Distinctio autem *rationis* ea est quae *fit* seu *efficitur ab intellectu cogitante* et non existit a parte rei. In illa locutione, vocabulum *ratio* significat *facultatem* intellectivam, a qua « repraesentatur res materialiter una eademque, sed vel alio et alio repraesentandi modo, vel quoad aliam et aliam essendi formalitatem. Quare ea [distinctio] formaliter absolvitur intra intellectum nostrum ut opus ipsius rationis » (2).

Illa rationis distinctio porro dividitur in distinctionem *pure mentalem* seu

(1) DE SAN, *o. c.*, n. 88.
(2) DE JAEGHER, *o. c.*, n. 212, p. 220.

rationis *ratiocinantis,* et distinctionem quae est *cum fundamento in re* et dicitur rationis *ratiocinatae.* Hanc divisionis terminologiam esse aliquatenus obscuram negari nequit: si enim in primo membro scilicet « distinctio *rationis ratiocinantis* » designatur nomine *rationis* ipsa facultas intellectiva, haec non rite designatur eodem nomine *rationis* in secundo membro, in quo dicitur « distinctio *rationis ratiocinatae* »: quapropter illa duo membra divisionis non sunt omnimode inter se opposita, ideoque minus aptae merito videri possunt, uti scite animadvertit de Jaegher (1).

130. Apud antiquos.

Quae quum ita sint, in memoriam revocandus est sermo quem S. Thomas aliique scholastici antiqui usurpabant.

Illi etiam cognoscebant ea quae *re* sunt distincta, quae scilicet a parte rei sunt aliud et aliud. Praeterea cognoscebant ea quae *ratione* sunt distincta. Quid hoc nomine designabant Veteres? In praesenti materia, hoc nomine *ratione* non significabant facultatem intellectivam animae, sed *conceptionem,* quam intellectus, apprehendendo quidditatem (sensu latissimo) alicujus rei, intra se format, et quam nomen significat. *Ratio* proinde, sensu indicato, est rei *notio in intellectu expressa* seu *similitudo intentionalis* seu *intentio intellecta* (2).

Ex dictis consequitur rationem, sensu explicato, esse *formaliter* et *subjective* in anima, nempe in intellectu cognoscente, cujus est terminus intentionalis; esse autem *fundamentaliter* in re, quia in re extra animam est aliquid, quod respondet conceptioni intellectus, ut significatum respondet signo (3).

Secundum dicta igitur ea quae sunt *ratione* diversa possunt etiam distincta esse *re:* v. gr. homo et brutum: hae sunt duae rationes seu similitudines intentionales, formaliter et adaequate diversae, ac de essentia absoluta: inde illis respondent a parte rei duae res realiter ab invicem distinctae. Quamquam igitur homo et brutum sunt realiter distincta, tamen homo et brutum sunt ratione vel rationibus diversa. Sed fieri etiam potest ut una ac eadem res a nobis apprehendatur sub rationibus diversis, v. gr. « hominem concipio modò ut *animal,* modò ut *rationale;* non tamen *animalitas* et *rationalitas* identificantur formaliter quoad se, sed tantum materialiter quoad subjectum; ideoque his diversis conceptibus respondent in re seu in ipso

(1) *O. c.,* l. c., p. 221, nota 1.

(2) Cf. DE MARIA, *o. c.,* t. III, *Theol. nat.,* Tract. I. Q. IV, a. 1, p. 113 ss.; DE SAN, *o. c.,* n. 92. V. textum S. Thomae, suprà, n. 120, in nota 2.

(3) Intentionem intellectam esse fundamentaliter in re contingit bifariam: « 1) quia id quod concipit intellectus est similitudo seu imago rei existentis extra animam, sicut quod concipitur de hoc nomine *homo;* et talis conceptus habet fundamentum in re *immediate*.... vel 2) quia id quod nomen significat non est similitudo rei existentis extra animam sed est aliquid quod consequitur ex modo intelligendi rem, quae est extra animam; et hujusmodi sunt intentiones quas intellectus noster adinvenit. Sic id quod significat hoc nomen *genus* non est similitudo alicujus rei existentis extra animam; sed ex hoc quod intellectus intelligit animal ut in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis. Hujus intentionis licet proximum fundamentum non sit in re, sed in intellectu; *remotum* tamen fundamentum est ipsa res.

Exinde efflorescit duplex nominum genus, eorum nempe quae dicuntur nomina *primae intentionis,* et eorum quae nuncupantur nomina *secundae intentionis.* Prima imponuntur rebus absolute, mediante conceptione, qua intellectus fertur super rem in se; altera imponuntur rebus, non secundum quod in se sunt sed secundum quod res subsunt intentioni, quam intellectus facit in eis » DE MARIA, *o. c.,* l. c., p. 113 s.

homine, perfectiones *plures virtualiter* » (1). Secundum hoc animalitas et rationalitas dicuntur *ratione tantum* vel *rationibus* distinctae (2). Igitur quae a recentioribus dicuntur distincta *distinctione rationis ratiocinatae* seu *cum fundamento in re,* dicebantur, ab antiquis, distincta *ratione tantum* vel *rationibus* (3).

131. Quaedam circa modum loquendi.

Quoad modum loquendi, utiliter considerantur quaedam locutiones usurpatae a Capreolo: « Potest... concedi quod aliquid distinguitur secundum rationem ab aliquo a quo non distinguitur secundum rem, scilicet sapientia divina ab essentia. Potest tamen aliter dici... scilicet quod idem distinguitur a seipso secundum rationem... Sumpta una re quae distinguitur secundum rationem a seipsa, puta quae habet duas rationes, sicut idem punctum habet rationem principii et rationem finis, idem distinguitur a seipso secundum rationem; et conceditur quod punctum ut principium distinguitur a seipso ut finis; quapropter ratio principii est ejus uno modo, et non ejus alio modo considerati. Est quidem ejus, in quantum consideratur ut una res fundans utramque rationem et conceptum; est etiam ejus ut comparatur ad lineam sequentem, sed non est ejus ut comparatur ad lineam praecedentem quam terminat... Et sic de caeteris, quae distinguuntur ratione a seipsis; non sequitur quod aliqua ratio eadem sit istius, et non sit istius; sed solum quod aliqua ratio convenit ei uno modo, et non alio modo. Res enim quae habet plures rationes, in quantum est sub una et correspondet illi, non est ejus alia ratio; sicut anima Socratis ut est intellectiva, non est sensitiva...

Res, a seipsa ratione distincta, est plura in esse intellecto vel objectivo, vel secundum esse quod habet in anima; et potest dici plures ratione secundum quod habet esse in anima... Nihil prohibet quin eadem res habeat solum esse reale ante intellectionem, et post intellectionem habeat esse reale et esse rationis, scilicet esse intellectum simul et semel. — Ad illud quod additur [in objectione], scilicet quod sola entia rationis sunt plura per intellectum, dicitur ut prius, quod eo facto quo res habet plures rationes aut conceptus in anima, ipsa potest dici plures ratione secundum esse cognitum vel objectivum quod habet in anima » (4).

Tandem quae a recentioribus dicitur distinctio *rationis ratiocinantis,* vocabatur ab antiquis, secundum P. De San (5), distinctio *nominalis* vel *pure conceptualis* vel *pure mentalis.*

---

(1) DE JAEGHER, *o. c.*, l. c.

(2) Eodem sensu dicit S. Thomas: « Sed actio ab agente non distinguitur in Deo nisi secundum *rationem tantum* ». *Sum. theol.*, I, Q. XLI, a. 4, ad 3. Etiam « sicut bonitas et sapientia sunt unum secundum rem cum divina essentia, ita et ad invicem; cum tamen *rationes* horum nominum differant. — Licet Deus sit omnino unus, tamen istae multae conceptiones vel *rationes* non sunt falsae, quia omnibus eis respondet una et eadem res imperfecte per eas repraesentata ». *De Potentia,* Q. VII, a. 6, ad 3 et ad 4. — *In I Sent., Dist.* II, Q. I, a. 5, ad 3: « Quamvis relatio [in Deo] per comparationem ad essentiam [divinam] sit *ratio* tantum, tamen per comparationem ad suum correlativum est *res* et realiter distinguens ab ipso ». Et Dist. XXXIV, Q. I. a. 1, ad 2: « Quia [persona et essentia in Deo] *ratione* distinguuntur, quidquid pertinet ad *rationem* illam *in qua* distinguuntur, quod praedicatur de uno, potest negari de altero, ut dicatur quod essentia est communis, persona non est communis, persona generat, essentia non generat: et sic de aliis ». — Circa doctrinam secundum quam res *essentiâ una,* sed *virtualiter multiplex,* cognoscitur sub rationibus diversis, haec dicit S. Thomas: « Non oportet secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere, quia ratio [h. e. potentia intellectiva] unum et idem secundum diversos modos apprehendere potest. Quia igitur anima intellectiva virtute continet id quod sensitiva habet et adhuc amplius, potest seorsum ratio [h. e. potentia intellectiva] considerare quod pertinet ad virtutem sensitivae [animae], quasi quoddam imperfectum et materiale ,et quia hoc invenit commune homini et aliis animalibus, ex hoc rationem [h. e. intentionem intellectam] generis format; id vero, in quo anima intellectiva sensitivam excedit, accipit quasi formale et completivum et ex eo format differentiam hominis ». *Sum. theol.*, I, Q. LXXVI, a. 3. ad 4.

(3) Illae porro rationes objectivae formaliter diversae, quas in una eademque re concipimus, aliquando quidem sunt *perfecte invicem extraneae,* ut v. gr. animalitas et rationalitas; aliquando vero sese *mutuo quasi compenetrant,* vel se habent ita ut unum sit explicitum aliud implicitum, licet in ipsa re sit fundamentum distinctionis. Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, l. c., 3°. V. infrà, n. 141.

(4) *In I Sent.*, Dist. VIII, Q. IV. a. 2. B. Solutiones, § 2, t. I. p. 397.

(5) *O. c.*, n. 93, p. 203.

132. Quid sit distinctio virtualis.

Suprà dicebamus rationes, seu intentiones intellectas, diversas, quas de una eademque re concipit intellectus noster, esse subjective in intellectu cognoscente, fundamentaliter vero in ipsa re, quatenus a parte rei correspondet aliquid illi intentioni tamquam significatum signo. Quando nunc datur aliqua res, quae una sua reali perfectione aequivalet pluribus perfectionibus, quae in aliis entibus sunt realiter distinctae, tunc rationes illarum perfectionum dicuntur esse in re *virtualiter* plures, quia res sua virtute seu perfectione aequivalet illis perfectionibus. Ad rem Capreolus: « Istae formalitates [seu rationes]... in intellectu nostro sunt actualiter distinctae et actualiter plures; sed in Deo sunt unum et indistinctae, tam in actu quam in potentia reali; seu actualiter plures et distinctae in intellectu, sed *virtualiter* sunt plures in objecto » (1).

Ex hoc quod dicitur: rationes diversae (sub quibus singulatim repraesentamus imperfecte nobis divinam substantiam seu deitatem) sunt *virtualiter plures in objecto,* concludunt multi auctores dari inter omnes divinas perfectiones, distincte a nobis conceptas, *virtualem distinctionem.*

Hoc in sensu nitide assertum exponit Van Noort, *De Deo,* n. 36: « Universim loquendo distinctio alia est *realis,* alia *mentalis,* prout aut independenter a nostra consideratione existit inter rem et rem, aut efficitur per considerationem intellectus, qui de una eademque re plures conceptus efformat.

Distinctio *mentalis* iterum duplex est: *pure mentalis* (seu rationis ratiocinantis) et *non pure mentalis*... seu *virtualis.*

Pure mentalis est quando de eadem re formantur plures conceptus non formaliter diversi... Ubi distinctio pure mentalis verbis exprimitur habes nomina synonyma.

Virtualis est quando de eadem re formantur conceptus formaliter diversi... Haec distinctio, etsi a mente perficitur, habet fundamentum in re, quae, licet una sit ac simplex, virtute tamen sua pluribus realiter distinctis aequivalet, diversosque effectus producit, qui a causis re distinctis produci solent. Hinc nomen distinctionis virtualis. Distinctioni virtuali respondent diversa nomina ejusdem rei, quae non sunt synonyma.

Porro *distinctio virtualis* adhuc potest esse adaequata et inadaequata.

Virtualis adaequata est, quando diversa rationes unius rei, quas nostri conceptus exhibent, nullo modo ab invicem includuntur... *Virtualis inadaequata* est, quando diversi conceptus exhibent rationes rei, ne cogitatu quidem perfecte separabiles, ita ut quaelibet ratio explicite concepta, semper saltem implicite dicat alias ».

Attamen ab aliis theologis, *virtualis distinctio* intelligitur sensu magis stricto. Quum inter plures rationes, quas de Deo, concipimus, detur alia et alia *diversitas,* ideo potest esse inter illas ratio diversa *distinctionis,* quae, in nostra materia, uti jam diximus, est formaliter in intellectu. Sed quando intellectus considerat quomodo realiter sit in Deo id quod respondet diversis rationibus, detegit haberi diversum modum, quo aliae et aliae rationes distinguantur: v. gr. quum habeamus rationes tum essentiae, tum existentiae, si illas verificatas in Deo consideramus, dicemus in Deo essentia est existentia, non solum realiter, sed etiam *formaliter;* quod asseri nequit de intellectione et de volitione.

---

(1) *In I Sent.,* Dist. VIII, Q. VIII, a. 1, concl. 5ª, t. 1, p. 376ᵇ.

Inde statuunt illi theologi: « Illae solae perfectiones in Deo *virtualiter distinguuntur* quae in creaturis distinguuntur non ex sola potentialitate (ut essentia et esse, vel intelligentia et intellectio), sed ex sua ratione formali seu objecto formali, et ideo ad diversas lineas pertinent (ut intellectus et voluntas) (1).

133. Secundum hanc definitionem, concludit P. Garrigou-Legrange, *l. c.*, non dari inter perfectiones divinas distinctionem virtualem nisi inter intellectum et voluntatem, seu potius inter intelligere et velle: quia pro illis solis verificatur quod non distinguantur sicut potentia et actus, sed ex objecto formali et ita quidem ut pertineant ad diversas lineas perfectionis (2).

Secundum hanc doctrinam, distinguit laudatus auctor (3) perfectiones divinas in tres classes: *prima* est earum perfectionum quae non sunt virtualiter ab invicem distinctae, ut sunt v. gr. essentia et existentia, intellectus (facultas) et intellectio (actio); *secunda* est earum perfectionum quae ab invicem sunt virtualiter distinctae, sed quatenus important relationes ad creaturas sive actualiter existentes, sive possibiles, ut sunt v. gr. scientia simplicis intelligentiae et scientia visionis, justitia et clementia. — *Tertia* est earum perfectionum quae ab invicem sunt virtualiter distinctae independenter ab omni relatione cum creaturis actualibus vel possibilibus: tales sunt intelligere et velle.

134. *Diversae sententiae: 1ª, Eunomii et Nominalistarum*

B. Circa distinctionem attributorum divinorum a divina essentia, *quatuor* propositae sunt *sententiae,* breviter indicandae.

1° *Nominalismus.* Jam saeculo IV, Eunomius (4), arianae haereseos fautor, qui post an. 350 factus est discipulus Aëtii, contendit nullam prorsus esse admittendam distinctionem, ne virtualem quidem, inter divinam essentiam et alias perfectiones, quae de Deo dicuntur, vel inter diversa Dei attributa ad invicem considerata, consequenter tenebat omnia nomina, quae de Deo praedicantur, esse synonyma.

Nempe Eunomius simplicitatem divinam ita abstracte et absolute considerabat, ut non admitteret esse realiter, in physica Dei essentia, diversas perfectiones, v. gr. sapientiam, sanctitatem, etc.; nihil aliud, ut proprie Deo conveniens, haberet, quam *innascibilitatem, ἀγεννησίαν,* ita ut haec sit id quod posteriores theologi vocaverunt essentiam Dei metaphysicam. Inde etiam tenebat omnia nomina, quae de Deo dicuntur, hanc innascibilitatem formaliter significare.

Hoc assertum, nempe synonymiam nominum, quae de Deo dicuntur, propugnaverunt etiam Nominalistae, medio aevo, inter quos Occam († 1347), Biel (1425-1495) celebriores sunt. Illam assertionem tamquam conclusionem inferebant ex doctrina, qua universalium conceptuum nostrorum objectivum valorem negabant, tenentes universalitatem idearum, ne fundamentaliter quidem esse in rebus, sed esse meram relationem a nostro intellectu cogitatam (5), imo universalitatem non

(1) Ita GARRIGOU-LAGRANGE, in *Revue thomiste,* 1913, t. XXI, p. 20, qui citat *Joannem a S. Thoma,* in Iam, q. XIV, disp. XVI, art. 2, n. 19, 20, 28, 33; et BILLUART, *Theologia, De Deo,* dissert. II, a. 1, § 1, et dissert. V, art. 1, *dico* 2°. Quoad *applicationem* illius definitionis non sequemur Billuart, quia essentiam Dei metaphysicam reponit in *actuali intelligere divino, o. c.,* dissert. II, a. 1, § 2. Parisiis, Letouzey (absque anno) p. 44 s., et secundum hanc sententiam explicat quomodo essentia divina sit vel *immediate* vel *mediate radix* attributorum et quomodo detur virtualis distinctio inter essentiam et attributa.

(2) Non sufficit ad distinctionem virtualem sensu stricto acceptam ut sint rationes formaliter diversae; sane, ratio *essentiae,* utpote potentia est formaliter diversa a ratione *existentiae,* utpote actus; idem dici potest de natura et de operatione; sed praecise quia illae rationes se habent ad invicem ut potentia et actus, ideo conveniunt in eodem ordine perfectionis et non pertinent ad *lineas simpliciter diversas perfectionis.*

(3) *O. c.,* p. 17 s.

(4) Cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Eunomius,* col. 507 ss.

(5) Cf. CHOSSAT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Dieu,* col. 767 ss. De influxu Nominalistarum in Lutheri errores, cf. GRISAR, *Luther,* Freiburgi. Br., 1911, t. I, p. 126 ss.

proprie conceptibus inesse sed tantum *nominibus* communibus. Nempe secundum Nominalistas, « *termini* communes, quos dicimus (ut homo, animal, etc.), nihil aliud sunt quam *symbola* quae *menti supponuntur pro collectione omnium confuse* individuorum, (hominum, animalium, etc.), quae olim cognovimus » (1).

Porro rationes formales a nominibus expressas, quales sunt scientia, sanctitas, non ut diversas habebant, nec admittebant distinctionem rationis vel rationum tantum: inde tenebant in Deo non esse ullo modo distinguendum inter essentiam et attributa, inter attributa ad invicem, quippe quae non differant inter se *formaliter* et *quidditative;* attamen distinctionem quamdam concedebant inter attributa, quatenus in horum notione *connotabantur diversi effectus* in creatis. Sic v. gr., unam eamdemque rationem divinitatis appellari a nobis censebant *misericordiam,* prouti connotat miseriam cui subvenit, *potentiam* prouti connotat creabile, *scientiam* scibile, et ita porro. « Aliterque etiam exprimitur haec sententia, dicendo attributa divina non differre inter se et ab essentia quantum ad id quod per ea importatur principaliter et in recto, quod est perfectio divina, sed solummodo quantum ad id quod per ea importatur in obliquo quod est connotatum aliquod extrinsecum » (2).

135. rejicienda;

Refutatur illa sententia: *a*) quia in S. Scriptura, non solum diversa adhibentur nomina de Deo, sed etiam ita adhibentur ut pateat perfectiones diversas, ab illis significatas, realiter inesse Deo (3), proinde nomina varia dicta de Deo non esse mere synonyma. Quo argumento utebantur S. Basilius in suo libro *Adversus Eunomium* an. 363-365, et postea S. Gregorius Nyssenus, *Contra Eunomium,* an. circ. 381. S. Basilius etiam diversa nomina de Deo dicta docet esse denominationes varias κατ' ἐπίνοιαν, nempe denominationes secundum *intellectum post accuratam indagationem:* intellectus enim noster ex operibus Dei, et non alio medio, potest Deum cognoscere, sed non aliter potest divinam perfectionem cognoscere et sibi repraesentare quam per diversas rationes, quas ex rebus sensibilibus abstrahit et quarum alias Deo inesse, alias non inesse percipit. — Haec est necessitas inhaerens nostro intellectui, ut perfectiones, quas distinctas apprehendit in rebus, per analogiam tribuat Deo (4).

b) Fundamentum philosophicum, quo Nominalistae stabiliebant opinionem suam supra expositam, refutatur ubi defenditur valor objectivus idearum universalium (5).

c) Nec admitti potest attributa divina distingui ratione, solum quia connotant diversos effectus ad extra: nam eatenus effectus bonos producit Deus ad extra, quatenus in semetipso est realiter perfectus: « Neque enim ex hoc quod [Deus] bona facit, bonus est; sed bonus, bona facit » (6).

d) Tandem si doctrina de Deo, qualis exponitur tum in S. Scriptura, tum in ordinaria praedicatione Ecclesiae, condideratur; si deinde attenditur quomodo Nominalistarum doctrina logice ducat ad negandam distinctionem

---

(1) Ita DE JAEGHER, *o. c.*, n. 113.

(2) DE SAN, *o. c.*, n. 96. Cf. POHLE, *o. c.*, p. 79 s.

(3) Quoad hoc, notemus modum loquendi S. Thomae: « Dicendum quod attributa essentialia, quae sunt proprietates essentiae, *sunt* in Deo *realiter,* et non secundum rationem. Bonitas enim Dei est res quaedam, et similiter ejus sapientia, et ita de aliis, licet ab essentia non *differant* nisi *ratione* ». *De Potentia,* Q. VIII, a. 1 ad 7.

(4) Cf. S. BASILIUS, *Adversus Eunomium,* L. I, n. 5, 6, 7. 10. P G. t. 29, col. 520 ss., 533 s.; GREGORIUS NYSSENUS, *Contra Eunomium,* L. XII, P. G., t. 45, col. 1069, 1077, 1104 ss.

(5) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 112 ss.

(6) S. THOMAS, *in I Sent.*, Dist. II, Q. I, a, 3.

rationis (scil. cum fundamento in re) inter essentiam divinam et relationes reales immanentes, proindeque ad negandam distinctionem realem Personarum divinarum ab invicem, recte dicitur cum Kleutgen quod *vix de fide non est* diversa nomina de Deo non esse synonyma (1).

136. 2ª, Gualteri et Realistarum exaggeratorum,

2° *Ultra-realismus*. Gualter quidam ponebat « distinctionem attributorum divinorum inter se et ab essentia divina esse *realem*... Contendebat autem realem distinctionem a se assertam nihil officere summae Dei simplicitati, quia, ut in pluribus realiter distinctis possit resultare compositum aliquod, necesse sit ea ita ad se invicem comparari ut unum eorum habeat rationem potentiae, cetera vero habeant rationem actus: haec porro conditio non verificatur de attributis divinis ad se invicem et ad essentiam comparatis, quandoquidem unumquodque istorum habeat rationem purissimi actus » (2).

Palamitae, saeculo XIV, contendebant realem esse distinctionem inter essentiam divinam (*οὐσίαν*) et activitatem vel operationem ejus (*ἐνέργειαν*), quatenus haec ex illa procedit, tamquam aliquid minus excellens (3).

137. rejicienda;

Illa sententia certo *erronea* est, nam contradicit conclusioni theologice certae. Etenim: « *a*) si, uti definitum est in concilio Rhemensi (4), propter summam Dei simplicitatem necesse est relationes Dei ad intra, non obstante earum reali distinctione a se invicem, omnimodis identificari cum essentia divina, pari ratione necesse est etiam attributa divina omnimodis identificari cum essentia divina: unde et necesse est ea identificari inter se, quandoquidem non habent relativam oppositionem ad se invicem (5); *b*) etiam aliunde perspicuum est sententia illa Gualteri subverti divinam simplicitatem, quae in pluribus conciliis est definita. Nam si essentia et attributa divina realiter inter se distinguantur, oportet ea vere ac proprie dicta unione convenire in unum, quia secus Deus non esset nisi unum per accidens, sive aggregatum aliquod; non possunt autem convenire in unum, nisi essentia se habeat per modum potentiae respectu attributorum. Patetque per se attributa quae realiter distinguuntur ab essentia, non posse superaddi essentiae, nisi in eadem recipiantur; si autem in ea recipiantur essentia est in potentia ut informetur attributis, et attributa tamquam totidem formae hanc potentiam essentiae reducunt ad actum. » (6).

---

(1) *De ipso Deo*, n. 268.

(2) DE SAN, *o. c.*, n. 95, qui asserit hanc opinionem falso attribui Gilberto Porretano, cujus sententiam dijudicat o. c., n. 55, p. 103 ss.

(3) Cf. POHLE, *o. c.*, p. 78.

(4) Synodus Rhemensis, anno 1148 vocata ad examinandas assertiones Gilberti Porretani, coram Eugenio papa III, symbolum fidei, quatuor comprehensum capitibus, edidit: quorum primum continet declarationem de simplicitate divina, excludente omnem realem distinctionem inter divinam essentiam et attributa, sic enim sonat: « Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis Deum esse, nec aliquo sensu catholico posse negari quin divinitas sit Deus et Deus divinitas. Si vero dicitur Deum sapientia sapientem, magnitudine magnum, aeternitate aeternum, unitate unum, divinitate Deum esse, et alia hujusmodi: credimus non nisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine quae est ipse Deus, magnum esse; nonnisi ea aeternitate quae est ipse Deus, aeternum esse; nonnisi ea unitate, quae est ipse Deus, unum esse; nonnisi ea divinitate Deum, quae est ipse: id est, seipso sapientem, magnum, aeternum, unum, Deum ». *Enchir.*, n. 389.

(5) Hoc explicabitur ubi sermo erit de distinctione Personarum in Deo.

(6) DE SAN, o. c., n. 95.

Tandem bene notat Pohle (1) fuisse a S. Augustino doctrinam fidei catholicae compendio expressam his praegnantibus verbis: « Deus quod habet, hoc est » (2).

138. 3ª, Scoti et Scotistarum, tenentium distinctionem formalem ex natura rei,

3° *Formalismus.* Scotus (3) ejusque sequaces introducunt quamdam distinctionem quae sit quasi media inter distinctionem realem et distinctionem rationis tantum. Quod ut intendamus, in memoriam revocemus *realem* distinctionem esse inter ea quae, a parte rei, et independenter a quolibet intellectu cogitante, sunt ut aliud et aliud; distinctio *rationis* tantum est inter formalitates seu rationes intellectas, proinde est omnino dependens ab intellectu cogitante. Illa distinctio, uti suprà, n. 130, diximus, est formaliter et actualiter in intellectu; sed datur quaedam rationis distinctio quae fundamentaliter et virtualiter est in ipsa re.

Jamvero censet Scotus dari quamdam distinctionem quae non quidem inter rem et rem viget, sed inter formalitatem et formalitatem unius rei, ita ut ex *ipsa natura rei,* realiter unius, detur distinctio, independenter ab intellectu cogitante, seu citra mentis praecisionem. Proinde haec distinctio dicitur *formalis ex natura rei.*

Ad rem Schiffini: « Nimirum in hac sententia [Scoti] fit distinctio inter *rem* et *formalitatem.* Conceditur autem, diversas *formalitates,* puta *animalitatem, rationalitatem* in uno eodemque individuo esse unam rem, non plures: ipsae tamen formalitates dicuntur distinctae ad invicem, atque adeo unam de altera negari posse, sic videlicet ut vere dicatur: *Animalitas Petri non est ejus rationalitas.* Haec tamen negativa propositio non sic intelligitur ex mente eorum, qui huic opinioni patrocinantur, quemadmodum nos etiam eam admisimus [n. 372] ex mente Doctoris Angelici, reduplicando videlicet ipsum statum praecisionis mentalis, quem termini abstracti prae se ferunt et significant. Nempe praecipuum caput hujus sententiae in eo est, ut *ante omnem mentis praecisionem* talis negatio veritatem habeat. Et hac de causa, haec distinctio dicitur quidem *formalis,* et per hoc opponitur distinctioni reali, sed additur eam esse *ex natura rei,* h. e. antecedenter ad statum praecisionis, quem res sortitur in intellectu. In hanc sententiam, praeter scholam Doctoris subtilis, concessit etiam Sylvester Maurus (*Qq. Philos.,* L. I, q. 32) » (4).

Porro secundum hanc distinctionem *formalem ex natura rei* tenet Scotus distingui divinam essentiam ab attributis, atque attributa ad invicem (5).

---

(1) *O. c.,* l. c.

(2) *De civitate Dei,* L. XI, c. 10, P. L. t. 41, col. 325.

(3) DE SAN, *o. c.,* n. 97 ss., post longam investigationem, concludit ab ipso Scoto, et non solum ab ejusdem discipulis, fuisse propugnatam sententiam de qua hic agitur. Scoto eamdem opinionem tribuunt P. RAYMOND, ap. VACANT-MANGENOT. *Dict. de théol. cath.,* art. *Duns Scot,* col. 1875 ss. Quod confirmatur ex variis operum Scoti locis quae collegit P. GARCIA, *Lexicon scholasticum,* Ad claras Aquas (*Quaracchi*) 1910, p. 226 ss.

(4) *Principia philosophica* [2], Aug. Taurinorum, 1892, n. 470.

(5) De attributis divinis loquens sic arguit Scotus: « Est ergo ibi distinctio tertia [quae scilicet alia sit a distinctone reali et rationis], praecedens intellectum omni modo. Et est ista, quod sapientia est in re ex natura rei et bonitas in re ex natura rei. Sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re. Quod probatur, quia si infinita sapientia esset formaliter infinita bonitas, etiam sapientia in communi esset formaliter bonitas in communi: infinitas enim non destruit formaliter rationem illius cui additur... » *In I Sent.,* Dist. VIII, Q. IV, n. 17, t. 9, p. 664. His verbis asserit Scotus sapientiam et bonitatem *in Deo esse,* et *ex ipsa Dei natura* distingui *antecedenter ad omnem intellectus operationem.* Ad argumentum autem respondetur quod conceditur antecedens, sed quod negatur suppositum: supponit enim Scotus quod, in opinione quam impugnat, asseritur sapientiam infinitam esse formaliter bonitatem infinitam. Hoc autem non est: ratio enim sapientiae est formaliter diversa a ratione bonitatis, ideoque *sunt in Deo attributa diversa,*

Haec opinio, licet non fuerit damnata ab Ecclesiae magisterio, tamen falsa est. (1) Etenim: *139. rejicienda;*

a) Nulla dari potest distinctio quae sit *media* inter *realem* et distinctionem *rationis tantum:* etenim distinctio ipsa vel formaliter in ipsa re adest, independenter a mentis operatione seu praecisione, tunc est realis distinctio; vel non formaliter est in re ipsa, sed in intellectu cogitante seu concipiente de re una diversas formalitates, seu rationes, seu intentiones intellectas, et tunc distinctio est *non realis,* sed rationis tantum.

b) Etiamsi non ut contradictoria haberetur notio de distinctione formali ex natura rei, tamen haec nequit componi cum perfectissima Dei simplicitate. Etenim si perfectio, quae est *intelligere,* in ipso Deo, independenter ab intellectu praecidente et antecedenter ad hanc mentalem operationem, est diversa vel distincta a perfectione quae est *velle,* oportet ut prima perfectio sit realiter alia quam secunda, vel saltem quod in Deo sit aliquid realiter quo dicatur intelligere et aliud realiter quo dicatur velle. Proinde ea quae, in opinione quam impugnamus, dicuntur *formalitates* distinctae, sunt *realitates* diversae vel illas supponunt, et ita logice reducitur illa sententia ad realismum exaggeratum, quem suprà, n. 137, refutavimus.

c) Tandem non est validum argumentum, quo Scotistae utuntur, desumptum ex eo quod variarum perfectionum simplicium sunt diversae definitiones. Etenim hae definitiones nobis exhibent id quod formaliter important rationes intellectae seu, in casu, rationes attributorum, quae dicuntur perfectiones simplices. Porro si illae rationes sunt formaliter diversae, quales sunt *intelligere* et *velle,* sequitur eas non posse *in sensu formali et reduplicativo* de invicem dici; proinde falsa est haec propositio: intelligere, in sensu formali seu formaliter, est velle; et vera est haec propositio: intelligere formaliter non est velle. Attamen exinde non necessario sequitur ens realiter unum seu rem unam non posse aequivalere, sua essentia, illis duabus perfectionibus simplicibus, illasque in se realiter continere. Tunc haec unica essentia est virtualiter multiplex et nos, secundum modum nostrum concipiendi, in hac unica essentia detegimus diversas rationes, quas diversis nominibus designamus et diversis definitionibus explicamus. Quod autem ipsum esse subsistens, seu esse infinitum, realiter aequivalet omnibus perfectionibus simplicibus, hoc postea demonstrabimus, ubi de infinitate Dei erit sermo.

Ad rem S. Augustinus: « *Una* ergo *eademque* res dicitur, sive dicatur aeternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis... Bonitas

---

seu *rationes* perfectionum diversarum *realizantur* in Deo, sed ipsa res, quae in Deo realizat illas perfectiones divinas, est ipsum esse subsistens et infinitum: inde illae perfectiones sunt *realiter* unum ac idem esse, et sunt *infinitae,* quia illud esse est infinitum. Unde etiam conceditur quod adjungitur:: « infinitas non destruit formalem rationem illius cui additur », sed considerandum est quod sapientia et bonitas, et alia hujusmodi, quia sunt perfectiones *absolutae,* non possunt esse infinitae nisi sint realiter idem ac ipsum esse per se subsistens, quod solum est infinitum; uti infrà explicabitur in quaestione de infinitate divina.

(1) Cf. DE SAN, *o. c.,* n. 102 ss.; POHLE, o. c., p. 82 s.; GARRIGOU-LAGRANGE, in *Revue thomiste,* 1913, t. XXI, p. 33 ss.

etiam atque justitia, numquid inter se *in natura Dei,* sicut in ejus operibus distant, *tamquam duae diversae* sint *qualitates Dei,* una bonitas, alia justitia? Non utique; sed *quae justitia, ipsa bonitas* et *quae bonitas, ipsa beatitudo* » (1).

140. 4ª, S. Thomae et theologorum recentiorum communis sententia.

4° *Realismus et intellectualismus moderatus.* S. Thomas docet in Deo attributa proprie dicta esse *unum re* tum cum divina essentia, tum inter se, et *non distingui extra intellectum* nostrum; ab intellectu autem nostro fieri *distinctionem,* quatenus una eademque res, quae Deus est, necessario nobis repraesentatur rationibus formaliter diversis, quibus correspondet realitas divina, quippe quae aequivalet realiter illis perfectionibus ratione distinctis (2): haec porro est *virtualis distinctio,* de qua suprà, n. 130. Quam doctrinam statim probabimus.

141. Nulla in Deo realis distinctio inter substantiam et attributa, nec inter attributa ad invicem,

PROPOSITIO. **Divina attributa non nisi ratione distinguuntur tum ab essentia divina, tum ad invicem; haec porro distinctio est subjective et actualiter in intellectu tantum, fundamentaliter vero in Deo; est tandem distinctio cum praecisione inadaequata seu imperfecta.**

Demonstratio I^{ae} partis. — Hanc partem habemus ut *conclusionem theologicam* (3), nempe ut conclusionem certo deductam ex veritate definita de *simplicitate* Dei.

1. Substantia essentialiter et omni modo simplex nullam admittit in se compositionem realem; atqui Deus est substantia essentialiter et omni modo simplex; ergo in ipsa substantia divina non potest dari ulla compositio realis; ergo nec ulla realis distinctio inter essentiam et attributa, vel inter attributa ad invicem.

Major declaratur. Substantia essentialiter et omni modo simplex constat realitate omnino unica et una, nullamque admittit compositionem, h. e., unionem duorum vel plurium in aliquo toto quod constat ex illis, ex illis, dico, quae proinde se habeant ut partes, vel quasi-partes; si igitur ab illa substantia excluditur omnis realis compositio, etiam ab illa excluditur omnis realis distinctio aut realis divisibilitas: sane si v. gr. in substantia divina daretur quaedam realis distinctio, puta inter ipsam essentiam et operari, hoc realiter compleret illud, hoc se haberet ut actus ad potentiam, sic haberetur realis unio duorum, seu realis compositio; etiam si, v. gr., daretur in Deo realis distinctio inter intelligere et velle, tunc operari ipsum divinum constaret duabus realibus actionibus et haberetur in Deo realis unio accidentalis, realis compositio accidentalis. — Infrà, in tractatu de SS. Trinitate, ostendemus quomodo realis distinctio Personarum divinarum nullam realem distinctionem in ipsa substantia divina importet.

Minor demonstrabitur infrà.

Consequentia ultimae conclusionis patet: si enim a divina substantia ex-

(1) *De Trinitate,* L. XV, c. 5, n. 7, P. L., t. 42, col. 1062.
(2) Cf. S. THOMAS, *In I Sent.,* Dist. II, Q. I. a. 2 et 3; *De Potentia,* Q. VII, a. 5 et 6; *Summa cont. Gent.,* L. I, c. 31-36; *Sum. theol.,* I, Q. IV, a. 2.
(3) De notione conclusionis theologicae, v. suprà, n. 16.

cluditur omnis realis compositio sive substantialis sive accidentalis, jam non datur in ipso Deo ulla distinctio realis inter essentiam et attributa, vel inter attributa inter se; secus daretur necessario compositio realis ex actu et potentia.

142. sed distinctio rationis tantum

2. Posito quod in Deo nulla sit realis compositio, nec divisio, nec distinctio inter essentiam et attributa vel inter attributa ad invicem, remanet ut sit tantum distinctio rationis: quae potest intelligi vel distinctio facta seu producta a ratione, h. e. a facultate intellectiva, vel, melius ut suprà, n. 130, explicuimus, distinctio secundum rationem intellectam, seu similitudinem intentionalem. Evidens autem est non dari medium inter distinctionem realem, — seu distinctionem quae in ipsa re existit antecedenter ad indagationem intellectus necnon independenter ab illa — et distinctionem rationis, quae nonnisi dependenter ab investigatione cogitantis existit. Ergo divina essentia ab attributis et attributa divina ad invicem nonnisi ratione distinguuntur.

necessario admittenda;

3. Sed talis distinctio admittenda est: etenim *a*) in ipsa doctrina, a Deo revelata, qualis in S. Scriptura et Traditione continetur, multae perfectiones diversae enunciantur ut Deo convenientes et ut necessario praedicandae de ipso: v. gr. sapientia, providentia, omnipotentia. *b*) Omnis nostra naturalis de Deo cognitio obtinetur per hoc quod entium finitorum perfectiones diversas apprehendimus, et, harum formales rationes in intellectu habentes, judicamus illas Deo inesse vel non inesse, inde multas perfectiones *simplices* Deo inesse concludimus et cognitionem veram, licet analogicam, acquirimus de eo quod Deus est realiter in se ipso. Inde ens omnino simplex nobis vere repraesentamus sub rationibus formaliter inter se distinctis, et deinde inter illas unam inquirimus quae sit tamquam essentia respectu aliarum, quae sint ut ejusdem proprietates: sic, et non aliter, possumus nobis acquirere veram cognitionem de Deo, quae proinde includit distinctionem rationis tantum inter divinam essentiam et attributa divina, et inter attributa ad invicem.

143. haec distinctio est subjective et actualiter in intellectu tantum, sed fundamentaliter in Deo

Demonstratio 2ae partis. Haec pars facile intelligitur post ea quae statim diximus. Nam perfectiones divinae eatenus distinguuntur, quatenus simplicissima Dei essentia cognoscitur sub rationibus formaliter diversis: hae rationes sunt subjective in intellectu, sunt enim intentionales similitudines, sunt *termini* objectivi intellectus cogitantis; inde etiam ipsa *distinctio* inter illas est *subjective* in ipso *intellectu* discernente, et est *actualiter* in ipso tantum, quum non existat in ipsa re. Sed ipsa res, in casu nostro, ipse Deus, talis est ut realiter respondeat illis diversis rationibus, ut sua reali perfectione simplici aequivaleat diversis perfectionibus apprehensis sub rationibus diversis: ideo in ipso Deo habetur fundamentum cui nititur distinctio rationis, hoc autem fundamentum est quod realis perfectio divina aequivaleat seu virtute sua contineat omnes diversas perfectiones quas distincte illi attribuimus: quapropter recte dicitur illa rationis distinctio esse *fundamentaliter* et *virtualiter* in Deo.

144. S. Thomae doctrina.

Hoc assertum, quoad substantiam doctrinae, invenitur apud S. Thomam: « Cum ergo... conceptiones perfectionum in creaturis inventarum sint imperfectae similitudines [divinae essentiae], et non ejusdem rationis cum ipsa divina essentia, nihil prohibet quin ipsa una eadem omnibus praedictis conceptionibus respondeat, quasi per eas imperfecte repraesentata. Et sic omnes istae rationes sunt in intellectu nostro *sicut in subjecto,* [h. e. subjective], sed in Deo sunt ut in *radice* verificante has conceptiones [h. e. fundamentaliter]. Nam non essent verae conceptiones intellectus quas habet de re aliqua, nisi per viam similitudinis illis conceptibus res illa responderet » (1).

Quod explicat Capreolus: « Ratio sapientiae dicitur esse in aliqua re extra animam, non quia sit in ea subjective, sicut accidens in subjecto; illo modo enim sunt in intellectu, sed quia in re est aliquid quod respondet illi rationi, per similitudinem faciens ejus veritatem. Et ideo tales rationes dicuntur esse subjective in intellectu, sed in re sicut in fundamento suae veritatis. Ex hoc enim res dicitur fundamentum rationis quae est in intellectu, quia conformatur illi rationi, et est talis in essendo qualis illa in repraesentando » (2).

145. Illa distinctio est cum praecisione inadaequata.

Demonstratio 3ae partis (3). Ubi datur distinctio rationum formaliter diversarum, fieri potest ut illae rationes sint ab invicem omnino *extraneae,* ita nempe ut una nullo modo includat aliam. V. gr. quando in homine distinguitur animalitas et rationalitas, haec, praecisive considerata, non includit animalitatem, quae et ipsa separatim a rationalitate existere potest: istae rationes sunt proinde omnino extraneae ad invicem, et distinguuntur praecisione adaequata seu perfecta. Fieri autem potest ut rationes diversae non sint omnino extraneae ad invicem, sed ut alia contineat alias, ut una ponat explicite id quod alia implicite continet. Porro hoc obtinet quando agitur de perfectione divinae essentiae. Ut enim postea explicabimus, perfectio divina est realiter *ipsum esse per se subsistens,* est plenitudo τοῦ esse: haec autem perfectio includit et implicite dicit *omnem perfectionem simplicem,* et quidem in gradu *infinito:* inde in Deo perfectiones diversae includuntur in hac perfectione quae est *ipsum esse* et hoc realizat infinitam sapientiam, infinitam sanctitatem, omnipotentiam, etc. Ideo sapientia, sanctitas, omnipotentia, etc., secundum *propriam rationem* consideratae, quando sunt infinitae, reducuntur ad hanc perfectionem quae est *ipsum esse,* in quo omnes includuntur: quod ulterius exponetur ubi de infinitate Dei (4). Diximus: sapientia, sanctitas, omnipotentia, etc., *secundum propriam rationem:* nam haec ratio, nempe perfectio per nomen *sapientia,* etc., significata, in Deo *formaliter* habetur: quia Deus est plenitudo τοῦ esse, ideo formaliter est sapiens, sanctus, omnipotens. Inde recte dicitur essentia Dei *aequivalere formaliter* (licet etiam eminenter) diversis perfectionibus simpliciter simplicibus.

---

(1) *De Potentia,* Q. VII, a. 6.

(2) *In I Sent.,* Dict. VIII, Q. IV, a. 1, concl. 3, t. I, p. 375.

(3) Cf. BILLUART, *o. c.,* Dissert. II, a. 3, § III, *Dico* 2°, p. 55: DE JAEGHER, *o. c.,* n. 212, p. 222; DE SAN, *o. c.,* n. 111.

(4) In tractatu de SS. Trinitate ostendetur quomodo aliter sit de *relationibus divinis,* quae *adaequata praecisione* rationis distinguuntur ab essentia divina.

Corollarium (1). *Rationum, quae fundamentaliter sunt in Deo, pluralitatis et distinctionis causa est Dei plena perfectio et nostri intellectus limitatio.* *146. Distinctionis, quam exposuimus, causa exhibetur.*

Etenim Dei perfectio, utpote omnino simplex et prorsus infinita, nequit *comprehendi* ab ullo intellectu creato, etiamsi hic *intuitive* essentiam Dei aspiciat. Sed hac in terra, simplex et infinita Dei perfectio nobis non innotescit nisi in creaturis, nempe in perfectionibus *realiter diversis,* quae sunt effectus finiti et imitationes variae perfectionis divinae: illae autem perfectiones sunt omnes *limitatae* et nulla est quae nobis integram Dei perfectionem exhibeat: etiam *ipsum esse subsistens* nobis non repraesentat divinam perfectionem nisi quatenus per *multas rationes formaliter diversas* explicemus quid contineatur implicite in perfectione τοῦ esse. Igitur quia ex una parte, Dei perfectio est omnino simplex et infinita. ideoque superat virtutem nostram intelligendi; et, ex altera parte, omnis nostra cognitio accipienda est a rebus finitis et limitatis, realiter compositis, a quibus abstrahimus rationes formaliter diversas, ideo provenit ut in nobis necessario fiat distinctio formalitatum in Deo (2).

Ad rem S. Thomas: « Intellectus autem noster, cum cognoscat Deum ex creaturis, format ad intelligendum Deum conceptiones proportionatas perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas.

Quae quidem perfectiones in Deo praeexistunt unice et simpliciter: in creaturis vero recipiuntur divise et multipliciter. Sicut igitur diversis perfectionibus creaturarum respondet unum simplex principium repraesentatum per diversas perfectiones creaturarum varie et multipliciter; ita variis et multiplicibus conceptibus intellectus nostri respondet unum omnino simplex, secundum hujusmodi conceptiones imperfecte intellectum » (3).

Caput II

DE ESSENTIA METAPHYSICA DEI

Status Quaestionis. 1° Quemadmodum suprà, n. 120, diximus, ut perfectior evadat nostra de Deo cognitio, oportet ut inter diversas perfectiones absolutas, quas Deo inesse detexerimus, ordinem ontologicum inquiramus et specialiter quaenam sit perfectio quae, secundum nostrum concipiendi modum, habenda sit in Deo ut *essentia metaphysica,* cujus notionem suprà, n. 121, descripsimus. *147. Quid sit inquirendum.*

In hac porro solvenda quaestione, diversae propugnantur a catholicis theologis sententiae, quas infrà referemus. De hac re non habetur Ecclesiae definitio, nec doctrina certa ex S. Scriptura: licet enim ipse Deus, ut statim probabimus, manifestaverit homen sibi omnino proprium et maxime naturae

(1) Hoc vocabulum adhibemus in sensu proprio et stricto ad designandum assertum quod habemus ut *conclusionem certo* illatam ex propositione demonstrata.
(2) Cf. S. Thomas, *in 1 Sent.,* Dist. II, Q. 1, a. 3; De Jaegher, *o. c.,* n. 213.
(3) *Sum. theol.* I, Q. XIII, a. 4.

suae significativum, non tamen diremit quaestionem metaphysicam de ipsa sua essentia.

148. A S. Studiorum Congregatione proponitur doctrina S. Thomae de essentia metaphysica Dei.

2° In decreto S. Studiorum Congregationis, dato die 27 Julii 1914 (1), inter theses, quae tamquam ad praecipua sancti Thomae principia in re praesertim metaphysica exactae approbantur, leguntur sequentes quas hîc simul citamus, ut connexio inter illas logica appareat:

« I. Potentia et actus ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tamquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat.

II. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus existit; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem.

III. Quapropter in absoluta ipsius esse ratione unus subsistit Deus, unus est simplicissimus, cetera cuncta quae ipsum esse participant, naturam habent qua esse coarctatur, ac tamquam distinctis realiter principiis, essentia et esse constant.

XXIII. Divina Essentia, per hoc quod exercitae actualitati ipsius *esse* identificatur, seu peu hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, et per hoc idem rationem nobis exhibet suae infinitatis in perfectione.

XXIV. Ipsa igitur puritate sui *esse,* a finitis omnibus rebus secernitur Deus. Inde infertur primo, mundum nonnisi per creationem a Deo procedere potuisse: deinde virtutem creativam, qua per se primo attingitur ens in quantum ens, nec miraculose ulli finitae naturae esse communicabilem (2); nullum denique creatum agens in esse cujuscumque effectus influere, nisi motione accepta a prima Causa » (3).

149. Deus est ipsum esse. Hoc demonstratur: A. Ex S. Scriptura, Exod. III, 13-15, VI, 2-3.

PROPOSITIO PRIMA. **Deus essentialiter est ipsum esse.**

Demonstratio.

A. EX S. SCRIPTURA.

In *Exodo,* III, 13-15, legitur: « Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos.

Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? Quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: sic dices filiis Israël: Qui est [potius: *Sum,* h. e. ille qui se dixit vel qui potest se ipsum dicere: *ego sum*], misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen: haec dices filiis Israël:

---

(1) *Acta Apostolicae Sedis,* 1914, t. VI, 383 ss.; *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 596 ss. — V. suprà, n. 16, 20, 55, 75.

(2) De hac thesi, cf. *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 528 ss.

(3) De hac thesi, cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 562 ss. et nostrum tractatum *De Divina gratia,* n. 262 ss.

Dominus (Jahve, *Qui est,* ὁ ὤν) Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos: hoc nomen [h. e. Jahve] mihi est in aeternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem ».

In *Exodo,* VI, 2: « Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus [Ego (sum) Jahve]. Qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente (h. e. qui apparui in seu sub (nomine) El Schaddai = Deus omnipotens]: et nomen meum Adonai [Jahve] non indicavi eis » (1).

150. Quaedam quaestiones circa hos textus.

Circa illos textus diversae moventur quaestiones, inter quas: *a*) quaenam sit forma grammatica et pronunciatio tetragrammatis hebraïci; *b*) quaenam sit connexio inter capitis III versiculum 13 et praecedentia, seu quomodo adductus fuerit Moyses ad quaerendum a Deo: « Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis? » *c*) Utrum nomen Jahve fuerit apud Hebraeos cognitum et usurpatum tamquam nomen proprium Dei, ante hanc manifestationem quae hîc a Deo facta narratur, an nomen proprium Jahve Moysi primo fuerit revelatum. Ad illa solvenda consulantur auctores citati, nota 2. Ad nostram thesim sufficiat duo animadvertere quae demonstrata supponimus: *a*) nomen Jahve proprie significare: *Qui* est; *b*) hoc certum esse quod Moysi ipse Deus nomen suum proprium et prorsus incommunicabile manifestaverit et ejusdem significationem explicuerit.

151. Explicatur textus.

Explicatur textus. 1. In primo loco citato, tria successive exprimuntur: primum, quis Deus ipse sit, verbis arcanis indicat: *Ego sum qui sum;* deinde se ipsum designat voce: *Sum* (misit me ad vos), quae licet nomen proprium non sit, tamen uni Deo plene adaptatur nominisque proprii mox revelandi sensui intelligendo viam parat; tandem nomen ipsum pronuntiat: Jahve = Qui est = ὁ ὤν = de zijnde (2).

Quaestioni propositae a Moyse: « Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? Quid dicam eis? » Deus directe respondet versiculo ultimo pericopae: « Jahve... hoc nomen mihi est in aeternum ». Porro hoc nomen tradit Deus ut sibi optime conveniens et, quemadmodum ex contextu patet, ut nomen sibi soli proprium et proinde incommunicabile, quo etiam possit discerni ab omnibus illis qui, apud aegyptiacos et alios populos habebantur ut dii.

Deus igitur proprie designatur nomine Jahve: Hoc autem nomen non est mere vocabulum, seu sonus, absque definita significatione: sed ipse Deus obviam et etymologicam ipsius nominis significationem explicat, et ita quidem ut pateat rationem per illud nomen formaliter significatam Deo proprie convenire et illi soli. Nam Deus quasi ratiocinatur hoc modo: ego sum *qui sum:* ergo *Qui est* est nomen meum proprium.

Quoad significationem illius attributi *qui sum,* illud exprimit in prima persona idem quod exprimeret participium: ego sum το *ens,* το existens, ὁ ὤν, de zijnde, de bestaande. Idem exprimitur in ipso nomine Jahve (3).

---

(1) Quoad interpretationem horum locorum, cf. CORLUY, *o. c.*, t. I, p. 97 ss.; VAN HOONACKER, *De rerum creatione ex nihilo,* Lovanii, 1886, p. 83 ss.; ID. *De eigennaam van God in het Oud Testament,* in *Ons Geloof,* 1913, bl. 433, 481; DE HUMMELAUER, *Commentarius in Exodum et Leviticum,* Parisiis, 1887, p. 47 ss.; PRAT, ap. VIGOUROUX, *Dict. de la Bible,* art. *Jehovah;* MANGENOT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Dieu,* col. 954 ss.

(2) DE HUMMELAUER, *o. c.*, p. 51.

(3) « Ce mode de formation nominale [du nom Jahve]... consiste à appliquer la troisième personne de l'imparfait à une personne ou à un être quelconque, pour lui faire signifier l'action ou la qualité exprimée par le verbe, ce qui revient à peu près au sens d'un adjectif verbal ou

Quum autem absurdum foret supponere Deum, qui in locis citatis tam graviter ac solemniter loquens exhibetur, merum sui existentiae factum affirmasse, vel quasi ironice dixisse: ego sum id quod sum, oportet admittere Deum per hoc attributum *qui sum,* exhibuisse aliquid quod ipsi *proprie* convenit et quod ipsi *soli* competit, quum exinde sumatur nomen ipsi proprium et incommunicabile. Ergo ratio per nomen Jahve significata est ratio *distinctiva* Dei.

Jamvero haec ratio est *esse, existere:* ergo ipsum esse, ipsum existere, est ratio *distinctiva* Dei. Ut autem *esse, existere,* possit esse ratio distinctiva Dei, oportet ut illud Deo conveniat *aliter* ac omni alii existenti aut possibili existere, ut sit descriptiva *essentiae* divinae et etiam essentiae necessario inhaerens (1). Ergo *esse* ad Deum pertinet *necessario, essentialiter.* Praeterea ut *esse* sit ratio distinctiva essentiae divinae, oportet ut, in Deo, *esse* sit *essentia* ipsa, secus ipsa essentia nullo modo distingueretur aut describeretur: essentia enim est *id quo* aliquid est id quod est; si igitur, in Deo, ipsum *esse* non esset praecise id quo Deus est id quod est, esse divinum determinandum foret per aliud, *secundum quod* Deus *est* (2). Quapropter ut ratio formalis *esse* sit distinctiva Dei, oportet ut ipsa constituat essentiam divinam, seu ut Deus sit essentialiter ipsum esse. Tandem consequitur quod Dei essentia constituitur ipso esse *in tota plenitudine illius rationis;* nam falsum diceretur Deus est *ipsum esse,* si nonnisi secundum limitatum gradum ratio *essendi* competeret ipsi (3).

152. 2. In secundo loco, scil. *Exod.* VI, 2-3, idem nomen ut sibi proprium indicat Deus: Ego Jahve... et nomen *meum* Jahve non indicavi eis. Ergo hîc iterum docet Deus Jahve a se sumi tamquam nomen proprium et eumdem esse qui antea innotuerat sub appellatione El Schaddai, h. e. Deus omnipotens. Hoc igitur in loco habetur confirmatio illius quod dictum est in primo loco, scil. *Exod.* III, 12 s. Adjungendo Deus « Et nomen meum *Jahve* non indicavi eis », non intendit dicere patriarchas ignorasse vocem Jahve, aut ejus vocis significationem, sive totam sive etiam pleniorem, sed ignorasse ejus nominis a Deo factam *appropriationem* tamquam *nominis* (4).

---

d'un participe. Isaac « *il rit* » est *le rire* ou *le rieur;* de même Jehovah, s'il est la troisième personne de l'imparfait kal du verbe [hébreux qui signifie] être, comme nous allons le montrer, devra signifier: celui qui existe, celui dont l'existence est le trait caractéristique, l'être tout court ». PRAT, *o. c.*, col. 1227.

(1) Non enim verbis, *qui sum, qui est,* designatur aliqua *operatio,* nec a fortiori operatio quam Deus libere poneret, ut est v. gr. creatio.

(2) Et sane, nos necessario distinguimus *ratione* essentiam et existentiam quando describenda vel definienda est alicujus entis essentia: tunc tradenda est aliqua ratio generica, vel specifica, quae exhibet *id secundum quod* illud ens existit, seu *gradum determinatum* essendi qui illi convenit: ipsa ratio *esse* non potest esse distinctiva entium finitorum, quia illa ratio finita, limitata est praecise per essentiam, qua nempe ens est id quod est.

(3) Hac explicatione constat in textu citato exhiberi nobis ipsam essentiam seu naturam Dei *in semetipso* considerati, et non tantum quatenus ad extra manifestatur aliqua actione. Hunc duplicem respectum vocant auctores hodierni: esse Dei *metaphysicum* et esse ejusdem *historicum.* Hoc sensu scribit PRAT. *o. c.*, col. 1231 s.: « Mais s'agit-il [dans ce nom Jahve] de l'être métaphysique, ne désignant que l'existence même, ou de l'être historique qui est une manifestation passagère de l'activité divine dans le temps ? ». Deinde refutando exegetas protestantes ostendit agi de esse metaphysico. Eadem conclusio defenditur a MANGENOT, *o. c.*, col. 956.

(4) Ita DE HUMMELAUER, *o. c.*, p. 71.

Objectiones.

153. *Objectiones: 1) ex metaphysica vi explicationis,*

1. Tradita explicatio de significatione nominis est tam metaphysica ut plerique Israëlitae illam non potuerint intelligere; ergo Deus non in hoc sensu est locutus.

R. Negatur consequentia et consequens. Agitur enim de determinando id quod Deus dixit: quod fecimus secundum regulas rectae hermeneuticae. Hic sensus verborum stabilitus manet inconcussus, sive hunc intellexerint Israëlitae, sive non.

154. *2) ex contextu.*

2. Verba : « Ego sum qui sum... Qui est » debent, ex subjecta materia, intelligi non formaliter de ipso esse, sed de *fidelitate* Dei in suis promissis: quatenus dixisset Deus: « Ego sum qui sum *vobiscum,* ad auxiliandum vobis ! « Qui est *vobiscum,* tamquam auxiliator fidelis ». Nam *Exod.* III, 11-12 legitur: « Dixitque Moyses ad Deum; Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israël de Aegypto? Qui [Deus] dixit ei: Ego ero tecum; et hoc habebis signum quod miserim te: cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem [h. e. servietis Deo] ». Ergo verba *ego ero tecum* significant: ego ero tecum ad auxiliandum, ut rite fungaris munere tibi imposito, inde: ne timeas: nam fidelis ero ad adjuvandum te. Igitur idem debet intelligi quando in vers. 14 s. Deus dicit: ego sum *qui sum... sum* misit me... *Qui est.* — Quod confirmatur quia apud Oseam, quum hic jubetur filiae nomen dare ex effectu quem Deus in populo suo decreverat inducere, videtur allusio ad nostrum textum: « Et dixit [Dominus]: Voca nomen ejus: Non populus meus: quia vos non populus meus et ego non ero vester ». *Oseas,* I, 9.

R. Nego assertum et allatae probationis consequentiam. Licet enim expressio: « ego sum, vel ero, *vobiscum* », significet: « ego vobis auxilium promitto et fideliter praestabo », et expressio « non ero *vester* » significet: « non vobis adjutorium praestabo, vel non amplius vos protegam », non potest tamen per cogitationem, absque necessitate, adjungi: *vobiscum, vester,* ad verba Dei: « ego sum *qui sum... Sum* misit me... *Qui est* ». Ut enim haec *adjunctio* subintelligenda esset, oporteret ut absque illa sermo, de quo agitur, nullum haberet sensum: hoc autem non verificatur, uti constat ex ipsa interpretatione quam dedimus. Nomen enim Jahve, grammatice et secundum sensum litteralem, significat: *Qui est,* et ipse Deus explicat illius sensum per praecedentia: ego sum *qui sum... sum* misit me. « Tam arcte enim ad invicem illa connexa sunt... ut non possit concipi alium sensum fuisse formaliter intentum illa locutione *qui est,* quam qui diserte exprimitur locutione immediate praecedenti *Ego sum,* juxta ea quae praemissa fuerant: *Ego sum qui sum.* Sensus itaque explicite ac directe intentus est ipse sensus obvius et litteralis verbi per se spectati » (1). Alia igitur, et quoad formam grammaticalem et quoad sensum formalem, est locutio:

(1) VAN HOONACKER, *De rerum creatione,* p. 90.

ego sum *qui sum,* et alia locutio: ego sum vel ero *tecum;* nec ideo tamquam aequivalentes haberi possunt, quia haec ultima invenitur in *Exod.* III, vers. 12, et altera in vers. 14: utraque enim est in contextu bene determinata quoad sensum. Tandem apud Oseam habetur locutio *non ero vester,* quae rite intelligitur per consuetam expressionem: ego sum, vel ero, *vobiscum.* Absque fundamento asseritur apud Oseam haberi allusionem ad nomen proprium Dei: agitur enim de effectu quodam producendo in populo, non de eo quod Deus in semetipso est.

155. De aliis nominibus Dei.

Scholion. Quum expositum sit quodnam nomen Deus tamquam maxime sibi proprium et incommunicabile assumpserit, utile erit breviter indicare quaenam sint nomina quibus Deus designatur in libris Veteris Testamenti. Sunt autem septem nomina quae, secundum sensum, reduci possunt ad tres classes (1): 1ª continet nomen praecipuum *Jahve,* quod ipsam Dei essentiam exprimit; 2ª continet tria nomina quae intrinsecas Dei perfectiones enuntiant: *Schaddaï* ‘ο παντοκράτωρ = omnipotens; *Elgôn* = ‘ο ὕψιστος = altissimus; *Kadosch* = ‘ο ἅγιος, Sanctus; 3ª classis comprehendit tria nomina quae Dei relationes ad homines significant: *Êl* = ‘ο θεός = Deus (Fortis)? (2); *Elohim:* est etiam nomen commune, quod et falsis diis applicatur; forsitan significat: Numen tremendum, vel: illum qui colendus est, qui cultu dignus est (3); *Adonaï* = ‘ο κύριος = Dominus: hoc nomine designatur solus verus Deus. Illorum duorum nominum forma pluralis non arguit polytheismum apud Hebraeos, ut infrà dicetur.

Circa hoc quod nomina *Êl, Elohim* usurpantur etiam de falsis diis, scite animadvertit Franzelin: « *El* et *Elohim* eodem plane modo usurpantur ut latinum nomen *Deus;* quidquid enim censeas de horum nominum etymologia, in usu loquendi certe significant supremum numen potentia ac majestate supereminens, quod ex rei quidem veritate nequit esse nisi unum; sed falsa opinione possunt tamen putari numina plura: « nam etsi sunt qui dicantur dii sive in caelo sive in terra, siquidem sunt dii multi et domini multi; nobis tamen unus est Deus » *1 Cor.* VII, 5. Unde licet penes eos, qui recte de supremo numine sentiunt, nomina haec (El, Elohim, Deus) significent unum Deum in sua substantia; nihilominus etiam adhibentur ad designandos deos falsos, et ita induunt velut rationem appellativorum. Contra vero τετραγράμματον (Jahve) omnino est nomen proprium veri Dei, nec unquam usurpatum ad quodvis aliud designandum. Discrimen hoc inter nomen proprium et quodammodo appellativum optime percipitur in iis locis, ubi de Deo sub nomine Jahve praedicant Scripturae, quod ipse solus est El vel Elohim in oppositione et ad exclusionem falsorum deorum. « Scito ergo hodie, quod Dominus [Jahve] sit Deus [Elohim] in coelo sursum et in terra deorsum, et non sit alius » *Deut.,* IV, 32; « Domine Deus [Jahve] tu coepisti ostendere... manum fortem; neque enim est alius Deus [El] vel in coelo vel in terra, qui possit facere opera tua ». *Ib.,* III, 24 » (4).

156. B. ex doctrina Patrum.

B. Ex doctrina Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum.

Patres plerique docent nomen *Qui est* esse maxime proprium Deo: hoc autem tenent non solum quia ipse Deus hoc nomen, tamquam *suum,* mani-

---

(1) Pohle, *o. c.,* p. 72 ss., qui sequitur Scheeben, *Dogmatik,* § 66.

(2) Cf. Mangenot, *o. c.,* col. 951 ss., qui sequens Lagrange, *Etudes sur les religions sémitiques,* dicit: « Ce nom, qui était le nom propre de Dieu chez tous les sémites primitifs, a dû être aussi employé de la sorte chez les Hébreux, quoiqu'il soit devenu appellatif chez eux, comme partout ailleurs... A l'origine il désignait donc le divin conçu comme distinct du reste des choses et comme unique d'une certaine façon. Pour le sémite primitif, El était un être supérieur sans aucune attache ni à un lieu spécial, ni à une force de la nature, ni à un objet animé ou inanimé. La conception première va à Dieu sans s'arrêter à tout le reste: il est l'au-delà ».

(3) Cf. Vigouroux, *Dict. de la Bible,* art. *Elohim,* col. 1701.

(4) *De Deo uno,* thes. XXII, p. 260.

festavit Moysi, sed etiam quia in formali ratione illius nominis percipiunt expressam ipsam essentiam divinam vel id quo quod naturae divinae est nota distinctiva. Hoc clare docet S. Gregorius Nazianzenus, praedicans an. 380: « Quantum ergo nobis assequi concessum est, *ens* [sc. ὁ ὤν] et *Deus,* magis quodammodo *essentiae* nomina sunt; ex iisque etiam vox *ens* ὁ ὤν] ad eam indicandam aptior est: non solum quia ipse Deus, quum Moysi in monte oraculum ederet, quaereretque ille quo nomine vocaretur, ita seipsum appellavit, edicens videlicet ei ut ad populum hisce verbis uteretur: *Qui est* [ὁ ὤν] *misit me ad vos;* sed etiam quia nomen illud magis proprium esse comperimus... (1) At nos naturam ejusmodi exquirimus, quae ipsum *esse* per se habeat et non cum alio quopiam copuletur [scil. natura divina habet *ipsum esse per se,* et *ipsum esse* omnino purum, immune a qualibet dependentia aut limitatione]. *Ens* vero proprium sane est Dei, ac totum, nec priore aliquo nec posteriore (nec enim erat aut erit) definitum et circumcisum » *Orat. 30ª, theo.* 4ª, n. 18, P. G., t. 36, col. 126 s. Ejusdem nominis ratio, tamquam *essendi plenitudinem* ac *aeternitatem* significans, explicatur etiam his verbis: « Deus et erat semper et est et erit: vel, ut rectius loquar, semper *est.* Nam *erat* et *erit* nostri temporis fluxaeque naturae segmenta sunt. Ille autem semper, atque hoc modo seipsum nominat, cum in monte Moysi oraculum edit. *Universum* enim *esse* in se complectitur, (ὅλον γαρ ἐν εαυτῷ συλλαβων ἔχει το ειναι) nec principium habens nec finem habiturum, velut *pelagus* quoddam *essentiae immensum et interminatum,* omnem tum temporis tum naturae notionem superans. » *Orat. 38ª,* n. 7, P. G. t. 36, col. 318.

praesertim S. Greg. Naz.

Quod tam distincte docet S. Gregorius Naz., invenitur, quoad substantiam saltem, apud alios Patres, tum anteriores, tum posteriores.

157. et aliorum:

Clemens Alexandrinus scribens paulo post an. 195 docet quod solus Deus vere *est,* qui fuit et est et erit: ideoque unum habet nomen: *Qui est, Paedag.,* I, 8, P. G., t. 8, col. 336. Naturam igitur Dei designat hoc nomen: *Qui est* (2).

Clem. Alex.,

Origenes, in opere scripto circa an. 230, *De principiis,* L. I, c. 3, n. 6, P. G., t. 11, col. 151 ss., distinguit in creaturis participationem Patris quae omnibus creatis est communis, participationem Patris et Verbi, quae invenitur in solis rationalibus, sive in peccatoribus, sive in justis, et participationem Spiritus Sancti, quae per gratiam habetur et quae solis justis contingit (3). De prima porro participatione dicit: « Ex eo autem qui vere *est,* qui dixit per Moysen: *Ego sum qui sum,* omnia quaecumque sunt participant » P. G., t. 11, col. 151. Sensus est: omnia quae sunt, quatenus sunt eatenus participant de Deo: quia ipse, secundum naturam seu essentiam suam, vere *est.* — In opusculo *De oratione* circa an. 231, n. 24, *ibid.,* col. 492 explicando orationis dominicae verba *sanctificetur nomen tuum,* docet quod « nomen est compendiosa denominatio, quae propriam rei nominatae qualitatem exhibet [h. e. quae exhibet qualis sit res denominata] », quum autem in hominibus qualitates illae propriae quodammodo mutentur, recte juxta Scrip-

Origen.,

(1) Hîc explicat Gregorius cur nomen *Deus* minus aptum sit quia non dicit quid *absolute in se* sit Deus.

(2) Cf. LAEMMER, *Clementis Alexandrini de λογῳ doctrina,* Lipsiae, 1855, p. 26 s.

(3) Monet autem Origenes: « Ne quis sane existimet nos ex eo quod diximus Spiritum Sanctum solis sanctis praestari, Patris vero et Filii beneficia vel inoperationes pervenire ad bonos et malos, justos et injustos, praetulisse per hoc Patri et Filio Spiritum Sanctum, vel majorem ejus per hoc asserere dignitatem: quod utique valde inconsequens est. Proprietatem namque gratiae ejus operisque descripsimus. Porro autem nihil in Trinitate majus minusve dicendum est... » *O. c.,* col. 153.

turam mutantur etiam nomina, sicut evenit de Abram, de Simone, de Saulo; « de Deo autem quia invariabilis immutabilisque semper est, unum est semper veluti ipsius nomen, nempe *Qui est, ὤν*, quod in *Exodo* dicitur, aut si quid simile dici possit ». Naturam igitur ipsius Dei, seu qualiter in se ipso sit, exprimit hoc nomen: *Qui est.*

S. Ephraem., *S. Ephraem* (Syrus) scribens circa an. 363, in opere *Adversus haereses,* sermone 53, et in opere *Adversus Scrutatores,* sermone 27, docet Dei nomen *Qui sum* esse nomen *essentiae,* nec aliis entibus communicabile, quia solus Deus est vere *ens,* et sub hac ratione distinguitur ab omnibus creaturis.

S. Greg. Nys., *S. Gregorius Nyssenus,* in opere *Contra Eunomium,* L. I, n. 8, P. G. t. 45, col. 953, circa an. 381, docet id quod Moysi manifestavit Deus dicens: *Ego sum qui sum,* esse solum indicium proprium divinitatis, quia in hoc *esse* comprehenditur aeternitas et infinitas, et quia quidquid de Deo conspicitur semper eodem modo se habet, neque accedens neque decedens.

S. Hilar., *S. Hilarius* Pictaviensis in textu *Ego sum qui sum* intelligit id quod magis proprium est Deo, hoc autem est *ipsum esse,* cui nihil de non-esse convenit; haec autem est radix ex qua divinae essentiae proprietates consequi intelliguntur (1).

S. Ambros., *S. Ambrosius, Enarrat. in psalmum XLIII,* n. 19, P. L., t. 14, col. 1100, an. 397, de responsione Dei ad Moysen agens, dicit quod Deus *rem* expressit, non appellationem, dicens: *Ego sum qui sum,* quia nihil tam proprium Dei quam esse.

S. Hieron., *S. Hieronymus, Comment. in epistolam ad Ephesios,* an. 386-7, etiam dicit: « Loquitur in Exodo Dominus: *Ego sum qui sum...* Numquid solus Deus erat et cetera non erant? Et quomodo nomen commune substantiae [essendi] sibi proprium vindicat Deus? Illa, ut diximus, causa, quia cetera ut sint Dei sumpsere beneficio, Deus vero, qui semper est nec habet aliunde principium, et ipse suî origo est suaeque causa (2) substantiae, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit ». Iterum docetur nomen *Qui est* designare id quod divinae naturae omnino proprium est.

S. August., *S. Augustinus* pluries de divino nomine *Qui est* loquitur illudque soli Deo convenire docet; praesertim hanc indicat rationem quia naturae immutabilitatem in essendo exprimit illud nomen (3).

S. Cyril. Alex., *S. Cyrillus Alexandrinus, Comment. in Isaïam,* L. IV, orat. 2, ante an. 428, scribit: « Deus enim est principium universorum, ipse sine principio, et omnia ab ipso ortum habent: ipse autem a nemine genitus est, sed est qui est et qui futurus est. Hoc enim est nomen ei ». P. G. t. 70, col. 924.

S. Joan. Damasc., Tandem *S. Joannes Damascenus, De fide orthodoxa,* L. I, c. 9, circa an. 750, doctrinam Patrum graecorum praecedentium compendio exhibet: « Ex omnibus porro nominibus, quae Deo tribuuntur, nullum aeque proprium videtur atque *Qui est,* quemadmodum ipse, cum Moysi in monte responderet, ait: *Dic filiis Israël: Qui est, misit me.* Nam totum esse, velut immensum et illimitatum essentiae pelagus, complexu suo ipse continet ».

quibus consonat S. Thomas. Etiam *S. Thomas,* interpretans textum *Exodi* III, 13-15, ait: « Hanc autem sublimem veritatem [quod Dei essentia est suum esse] Moyses a Domino edoctus est... Quodlibet autem nomen est institutum ad significandam naturam seu essentiam alicujus rei: unde relinquitur quod ipsum divinum esse est sua essentia vel natura » (4).

---

(1) Cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu* col. 1099 s.

(2) Non accurate dicitur Deus sui *causa,* sed intendit hîc S. Hieronymus affirmare Deum ex semetipso solo existere et necessario, et a semetipso solo esse quidquid est.

(3) *Enarrat. in ps. 134,* n. 4; *Serm.* 7, n. 7; *De Trinitate,* L. I, c. 1, n. 2, L. VII, c. 5, n. 10; P. L., t. 37, col. 1741; t. 38, col. 66; t. 42, col. 821, 942.

(4) *Summa cont. Gent.*, L. 1, c. 28.

C. Ex ratione naturali.

158. C. *Ex ratione naturali:*

Omnes substantiae creatae *habent* esse, seu actum essendi seu existentiam: nempe ipsa existentia, seu id *quo* ponuntur extra causas, in rerum universitate, habetur in essentia, quae est id *quo* determinantur ad definitum realitatis gradum (1). Jamvero hoc praecise demonstrare intendimus quod in Deo nihil aliud est essentia quam ipsa existentia, seu quod *ipse existendi actus* est *idipsum quo* Deus est *Deus.*

1° Etenim si aliquid est in aliquo praeter essentiam ejus, illud ei inest vel quia ab essentiae principiis dimanat, vel quia causatur ab aliquo exteriori agente. Si igitur in re ipse existendi actus est aliud ab essentia ejus, ille actus existendi vel dimanat ab ipsa essentia ejus, vel in ea causatur ab exteriori principio. Impossibile autem est quod existendi actus dimanet ab essentia; quia nulla res potest esse *principium* suae existentiae, tunc enim esset causa suimetipsius et deberet existere antequam existat. Igitur in ente in quo actus existendi distinguitur ab essentia, oportet ut actus existendi causetur ab exteriori agente. Sed hoc nequi dici de ente, de quo agimus: illud enim ens, quod designamus nomine *Deus,* est, uti suprà, n. 64, demonstravimus, causa prima incausata : quapropter nequit ab alio quolibet causari seu existentiam habere: ergo in Deo nequit essentia distingui ab actu existendi seu ab existentia, ergo Deus est suum existere seu esse (2).

1° *ex conceptu causae primae incausatae,*

2° Deus est ens absolute necessarium, ut suprà, n. 71, ostensum est. Sed si in Deo esse seu existere esset aliud ab essentia, esset ens contingens. Ergo.

159. 2° *ex conceptu entis necessarii*

Probo minorem. Ens contingens est illud quod ita est ut possit non esse: et contingentiae nulla est alia ratio nisi haec quod esse non est de ejus essentia. Ergo si in Deo existere esset aliud ab essentia, existere non esset de ratione essentiae; ergo posset esse et non esse; atque ideo esset ens contingens. Hoc argumentum sic nervose proponitur a S. Thoma : « Unumquodque est per suum esse [hoc est per esse quod habet]. Quod igitur non est suum esse non est per se necesse esse. Deus autem est per se necesse esse. Ergo Deus est suum esse » (3).

Confirmatur thesis ex decreto citato suprà, n. 148.

---

(1) Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 197.

(2) Hoc est primum argumentum quo in *Sum. theol.*, I. Q. III. a. 4, utitur S. Thomas ad demonstrandum in Deo identitatem inter essentiam et existentiam. Eamdem thesim propugnat S. Thomas *in I Sent.*, Dist. VIII, Q. I, a. 1; *Sum. cont. Gent.*, L. I, cap. 22; *De Potentia*, Q. VII, a. 2; *Compendium Theologiae*, cap. 11, 109. Agitur autem in his locis de *reali* identitate inter essentiam et existentiam in Deo, uti constat ex obvio sensu sermonis S. Thomae et ex tota doctrina sua. Illa autem realis identitas in *solo* Deo invenitur, ut infrà explicite demonstrabimus, ubi agemus de infinitate Dei. Ex quo consequitur, in omni ente contingente seu finito realiter distingui essentiam et existentiam. Quam doctrinam pluries tradit S. Thomas, v. gr. *In I Sent.*, dist. XIX, Q. II, a. 2; *In librum Boëtii de hebdomadibus*, lect. II; *De ente et essentia*, cap. 5; *Sum. cont. Gent.*, L. II, c. 54; *De spiritualibus creaturis*, a. 1; *Sum. theol.* I, Q. VII, a. 1, Q. L, a. 2. De illa quaestione, deque ejusdem consectariis in explicandis dogmatibus necnon de mente S. Thomae legatur optima dissertatio scripta ab A. Michel, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, art. *Essence*, col. 843 ss.

(3) *Sum. cont. Gent.*, L. I, cap. 22. Argumenti explicationem desumimus a P. Remer, *o. c.*, t. II, p. 329.

160. Essentiam Dei metaphysicam esse subsistentiam actus essendi demonstratur;

PROPOSITIO SECUNDA. **Essentia Dei metaphysica reponenda est in subsistentia actus essendi, sive in eo quod Deus est ipsum esse per se subsistens** (1).

Demonstratio.

Alicujus constitutivum metaphysicum, seu essentia metaphysice inspecta, dicitur positivum illud, quod primo concipitur constituere rem in seipsa, quod proinde rem illam primo distinguit ab omni alia (nam idem est constitutivum rei et distinctivum ejus) et quod est prima radix unde dimanant vel concipiuntur dimanare omnes proprietates, quae rei insunt (2). Atqui in ratione, qua Deus exhibetur ut *ipsum esse per se subsistens,* habentur haec tria, et non inveniuntur in aliis rationibus; ergo.

Probatur minor. 1° Nam *a*) *esse* in Deo est actus purissimus non receptus in essentia, tamquam in potentia, sed est ipsa essentia Dei, ut demonstratum est: ergo est aliquid positivum, primo constituens rem. *b*) In *solo* Deo *esse* est ipsa ejus essentia. *c*) Ex hoc ipso quod Deus est *ipsum esse per se subsistens* consequuntur in ipso, *secundum modum nostrum concipiendi,* omnia quae ipsi necessario insunt, ut v. gr. perfectio vitae, intellectualitatis, infinitas, etc.: nam actus essendi, quum sit ultima actualitas omnium perfectionum, quando est ipsa subsistens, continet in se omnem rationem perfectionis.

2° Aliae rationes, quae de Deo dici possunt, non satisfaciunt conditionibus essentiae metaphysicae: etenim illae notiones vel substantivae sunt, quatenus exhibent Dei substantiam aut *id quod in se est,* vel adjectivae, quatenus *modum essendi,* v. gr. immutabilitatem, exprimunt. Jamvero solae rationes substantivae possunt haberi ut essentia metaphysica; inter illas autem, secundum modum nostrum concipiendi, constitutivum essentiae est illa ratio quae concipitur ut *radix* ex qua omnes aliae dimanant; porro haec est necessario nota maxime comprehensiva; atqui notio *esse subsistentis* habet maximam comprehensionem, quum in se contineat omnem perfectionem.

161. confirmatur auctoritate S. Thomae.

Confirmatur thesis auctoritate S. Thomae.

Licet S. Doctor non explicite locutus sit de *constitutivo* essentiae divinae vel de *metaphysica* Dei essentia (nec suo tempore explicite proponebatur

---

(1) Hoc tenent KLEUTGEN, *De ipso Deo,* n. 216; DE MARIA, *o. c.,* t. III, *Theol. nat.,* p. 89; REMER, *o. c.,* p. 331; SCHIFFINI, *Inst. philos. in comp.,* Aug. Taur., 1893, n. 727; DE SAN, *o. c.,* n. 44; card. BILLOT, *De Deo,* thes. V, coroll. 2; ILLmus ac REVmus WAFFELAERT., *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. III, p. 252; *Méditations théologiques.* t. I, p. 204; *Goddelijke beschouwingen,* bl. 257; PÈGUES, *o. c.,* T. I, 2e P., p. 62; ILLmus KERKHOFS, in *Revue ecclésiastique de Liège.* t. XVII, 1926, p. 234.

Nota cum DE SAN, *o. c.,* n. 43, quosdam saltem eorum qui contendunt essentiam Dei metaphysicam collocandam esse in *aseitate* sive in *esse a se,* licet utantur modo loquendi minus apto, tamen, quoad rem, eamdem sententiam tenere eorum qui docent essentiam Dei metaphysicam consistere in esse actualissimo existentiae seu in ipso esse per se subsistente.

Animadvertit etiam TOUSSAINT, ap. VACANT-MANGENOT. *Dict. de théol. cath.,* art. *Attributs divins,* col. 2229 s., post encyclicam Leonis XIII « Aeterni Patris » an. 1879, factum esse ut, studio magis accurato circa doctrinam S. Thomae, auctores statuerint essentiam Dei metaphysicam esse reponendam in subsistentia actus essendi, potius quam in aseitate.

(2) V. suprà, n. 121.

illa quaestio), tamen propositio, quam propugnamus, implicite, et, quidem, formaliter implicite, continetur in doctrina S. Thomae.

Etenim dicit: « In Deo ipsum esse est sua quidditas. Et ideo nomen, quod sumitur ab esse, *proprie* nominat ipsum: et est *proprium* nomen ejus, sicut proprium nomen hominis, quod sumitur a quidditate ejus » (1). Quidditas igitur divina, formaliter considerata, quod idem est ac essentia metaphysice sumpta, exprimitur *proprie* per nomen: *Qui est,* praecise quia *ipsum esse* est quidditas Dei.

Eodem sensu loquitur S. Thomas quando demonstrat quod in Deo essentia est idem ac existentia: essentia sumitur formaliter (2).

Etiam docet S. Thomas quod *esse,* nempe actus existendi, est, in creatis, effectus *proprius* Dei; quod *proprius* effectus causae cujuslibet procedit ab ipsa secundum similitudinem suae naturae, proinde quod *esse* est substantia vel natura Dei (3).

Ex hoc quod Deus est *ipsum esse subsistens* deducitur omnem perfectionem inesse Deo. « Cum Deus sit ipsum esse subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse. Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi » (4). Ergo *esse subsistens* se habet ut *radix* omnium perfectionum quae Deo insunt. Tandem docet S. Thomas ipsum esse haberi in Deo quasi *formam* ejus, a qua denominatur *Qui est,* denominatione maxime propria (5).

Inde in decreto citato suprà, n. 148, enuntiatur sententia S. Thomae: « Divina Essentia, per hoc quod exercitae actualitati ipsius esse identificatur, seu per hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur ». Nec obstat quod dicit S. Thomas: « Sed intelligere et velle non sunt tales actus qui designent processionem alicujus rei a Deo distinctae vel essentialiter vel personaliter. Unde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentiae in Deo, nisi secundum modum intelligendi et significandi tantum, prout diversimode significatur in Deo intellectus et intelligere; cum tamen *ipsum intelligere* Dei *sit* ejus *essentia* non habens principium » (6). Non hîc agit S. Thomas de determinando quid sit essentia divina vel quaenam sit ratio ipsi maxime propria; sed solvit objectionem propositam circa mysterium SS. Trinitatis e qua concludebatur non posse admitti in Deo potentiam respectu actuum notionalium, qua nempe negabatur Patri attribui potentia generandi. Respondet S. Thomas quod potest attribui Patri potentia generandi, *secundum propriam rationem principii.* Quod non valet de ipso *intelligere* et *velle* (quia non sunt actus notionales) sed intelligere et velle sunt in Deo realiter idem ac essentia divina, *nec habent principium in Deo.* Unde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentiae in Deo, nisi secundum modum intelligendi et significandi tantum.

162. et S. Bonaventurae.

Etiam S. Bonaventura docet Deum esse *ipsum esse* ideoque Dei primum nomen esse: *Qui est;* deinde ostendit quomodo illud *esse ipsum* sit actus purissimus et quomodo ex illa ratione consequantur aliae perfectiones divinae (7).

162bis.

Confirmatur thesis etiam auctoritate S. Congregationis Studiorum quae S. Thomae principia et pronuntiata majora, utpote tenenda, proponens, ponit thesim, de quà agitur, sub. n. XXIII: v. suprà, n. 148.

163. Confirmatur ex crisi alia-

Confirmatur insuper thesis ex crisi aliarum sententiarum, quae circa praesentem quaestionem exortae sunt (8).

(1) *In I Sent.,* Dist. VIII, Q. I, a. 1.
(2) *Sum. theol.,* I, Q. III, a. 4.
(3) *De Potentia,* Q. VII, a. 2.
(4) *Sum. theol.,* I, Q. IV, a. 2.
(5) *O. c.,* Q. XIII, a. 11.
(6) *O. c.,* a. 4, ad 3.
(7) *Itinerarium mentis in Deum,* cap. 5, *Opera omnia,* t. V, p. 308 ss. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.* t. III, p. 252 ss.; *Medit. theol.,* t. I, p. 204; *Goddelijke beschouwingen,* bl. 257.
(8) Cf. REMER, *o. c.,* p. 331 ss.; TOUSSAINT, *o. c.,* col. 2228 ss.

rum sententiarum, assignantium: vel cumulum omnium perfectionum,

1ª opinio, scil. Occami aliarumque Nominalium, qui essentiam Dei metaphysicam constituunt in *cumulo omnium perfectionum.*

Rejicienda est haec opinio: quia extra quaestionem vagatur et confundit Dei essentiam physicam cum metaphysica essentia. Constat enim nos ita divinam essentiam necessario concipere, ut una perfectio ex alia logice manare intelligatur et haec inquirenda est perfectio, quae ut radix omnium aliarum sit tenenda.

vel infinitatem radicalem,

2ª opinio, scil. Scoti vel saltem Scotistarum, statuit illam in *infinitate radicali,* nempe in exigentia omnium possibilium perfectionum.

Rejicienda: quia illa infinitas non est ratio exhibens id quod constituit ipsam essentiam, sed est potius exigentia ad perfectionem: unde remanet quaestio unde sit haec exigentia, quaenam sit radix illius.

vel infinitatem formalem,

3ª opinio est eorum qui essentiam Dei metaphysicam reponendam censent in *infinitate formali,* seu in actuali exclusione omnium limitum non solum ab essentia sed ab omnibus essentiae attributis.

Rejicienda: quia infinitas formalis nequit concipi ut id quo primo Deus constituitur esse id quod est, sed concipitur ut *modus* tum essentiae tum omnium divinarum perfectionum; est etiam ratio adjectiva, non substantiva.

vel intellectualitatem,

4ª opinio est illorum qui essentiam Dei metaphysicam statuunt in *intellectualitate:* alii in *radicali* intellectualitate, seu in substantia divina quatenus est principium remotum intellectionis, seu quatenus est infinite immaterialis; alii in principio proximo intellectionis seu in ipso intellectu divino subsistenti; alii in ipso intelligendi actu, seu in divina intellectione subsistenti (1).

Rejicienda: quia ratio intellectualitatis vel intellectionis actualis non est maxime comprehensiva: nam *minus perfectionis* significat quam ipsum esse subsistens, quum aliquem *modum* essendi determinet, ut animadvertit S. Thomas (2); qui etiam dicit: « Esse simpliciter acceptum, secundum quod includit omnem perfectionem essendi, *praeeminet vitae* et *omnibus perfectionibus subsequentibus* [ergo etiam perfectioni intelligendi] » (3). Praeterea ipse S. Thomas, *Sum. theol.,* I, in prooemio ad Q. XXXIV, dicit: « Post considerationem eorum quae ad divinam *substantiam* pertinent, restat considerandum de his quae pertinent ad *operationem* ipsius ». Deinde explicat cur primo acturus sit de actione immanente, et prius de *intelligere* seu *scientia* Dei. Ergo secundum S. Thomam, intelligere non concipitur tamquam formaliter constituens substantiam divinam, sed tamquam perfectio seu proprietas quae consequitur ad essentiam divinam.

---

(1) Hanc sententiam propugnant SUAREZ, *Disputationes metaphysicae,* Disp. XXX, sect. XIV, *Opera omnia,* Parisiis, 1856 ss., p. 165 ss.; SALMANTICENSES, *Cursus theologicus,* Lugduni, 1679, t. I, Tract. III, disp. IV, § II, p. 315; GONET, *Clypeus theologicae thomisticae,* Coloniae, 1678, t. 1. Disp. II, § V, n. 21, p. 53; BILLUART, *o. c.,* Dissert. II, a. 1, § 2, p. 44. — Hanc sententiam bene refutat SYLVIUS, *In Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 4, Antverpiae, 1698, p. 113 s..

(2) *Sum. theol.,* I, Q. XIII, a. 11.

(3) *O. c.,* I-II, Q. II, a. 5, ad 2.

5ª opinio quae tamquam metaphysicae Dei essentiae constitutivum assignat *aseitatem* formaliter sumptam. *vel aseitatem.*

Rejicienda (si non agitur de mera differentia quoad modum loquendi, et hic modus loquendi est saltem minus aptus quam ille quo asseritur metaphysica Dei essentia reponenda in hoc quod est ipsum esse per se subsistens). Etenim aseitas formaliter dicit *modum essendi,* necessitatem existendi a semetipso, sufficientiam adaequatam in ipso ente cur existat, et omnimodam independentiam ab omni alio; non autem assignat formaliter perfectionem, qua ens primo in se constitutum intelligitur. Unde superest inquirendum cur Deus sit *ens a se.* Cui inquisitioni respondetur: quia est ipsum esse per se subsistens. Quum hoc sit Deus, nempe esse irreceptum, ideo a se est, nec ab alio esse potest (1).

Objectio. *164. Objectio.*

Dei, quum sit ens perfectissimum, essentia formaliter constitui debet in gradu perfectissimo; atqui ex quatuor gradibus naturae constitutivis (scilicet essendi, vivendi, sentiendi, intelligendi) perfectissimus est gradus intelligendi; ergo in intelligendi perfectione debet constitui essentia Dei metaphysica.

R. *Conc. maj.*

Dist. min. perfectissimus est gradus intelligendi in entibus limitatis in essendo, *conc.;* in ente in quo gradus essendi continet totam plenitudinem essendi, *nego.*

Explicatur responsio. Uti suprà, n. 74, diximus, entia quae in hoc mundo existunt, participant diversis gradibus illas perfectiones generales et simpliciter simplices, quae nullam imperfectionem in suo conceptu continent, quales sunt esse, vivere, intelligere. Sed perfectio *essendi,* quum sit ultima actualitas omnium perfectionum, et perfectio omnium perfectionum, quando est absoluta seu illimitata, continet quidquid perfectionis est et ipsa est ratio secundum quam dantur diversi gradus perfectionis (2) : omnis enim perfectio limitata, quocumque nomine designetur, est participatio ipsius *esse:* ita, v. gr. vivere determinato gradu est esse determinato gradu, — et diversi gradus vitae, scil. vegetativae, sensitivae, intellectivae, sunt diversi gradus participati perfectionis *ipsius esse* illimitati seu per se subsistentis. Inde, licet apud entia limitata supremus gradus participationis de *esse* sit in gradu intelligendi, tamen supremus gradus perfectionis, simpliciter dictus, est ipsum esse plenum. Absolutae essendi perfectioni nihil perfectionis addi potest, sed ipsa est ratio ontologica omnis perfectionis, utpote omnem comprehendens.

---

(1) Notat REMER, *o. c.*, p. 333: « Videntur autem hujus sententiae [quae in aseitate ponit metaphysicam Dei essentiam] patroni nonnulli (plures enim discrepant a nobis tantummodo quoad modum loquendi) non satis distinguere inter id, quod *primo concipitur de aliqua re* secundum genesim conceptus, et id quod concipitur de re *ut primum constitutivum* illius rei. Equidem concedo ex conceptu creaturarum, quae sunt entia ab alio, primo efflorescere conceptum Dei ut entis a se. Sed nego mentem sistere in hoc conceptu, ut in exhibente proprie essentiam Dei metaphysicam ».

(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. IV, a. 1 ad 2.

Ad rem S. Thomas: « Licet ens [participatum] non includat in se vivens et sapiens, quia non oportet quod illud *quod participat esse* participet ipsum secundum omnem modum essendi, tamen *ipsum esse* Dei includit in se vitam et sapientiam: quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse ei *quod est ipsum esse subsistens* » (1).

« Hoc quod dico *esse* est inter omnia perfectissimum... est actualitas omnium actuum, et propter hoc est perfectio omnium perfectionum. Nec intelligendum est quod ei, quod dico *esse*, aliquid addatur, quod sit eo formalius, ipsum determinans sicut actus potentiam » (2).

Caput III

DE SINGULIS PERFECTIONIBUS QUAE ESSENTIAE DIVINAE CONVENIUNT (3).

165. Deus est substantia.

Ut rite animadvertit Cajetanus (4), ex conditionibus quas Deo convenire dictum est probando ejus existentiam, manifeste patet quod non potest cadere in mentem alicujus Deum esse accidens, sed oportet ipsum esse *substantiam:* quum enim sit prima causa efficiens incausata et omnino primum ens, non potest illi convenire ut sit accidens, nempe ut insit seu inhaereat alii tamquam subjecto. Idcirco S. Thomas, terminata quaestione *an est* Deus, ex qua scitur *ens* de Deo; et cum ex annexis liquido constet quod est *substantia* h. e. ens cui competit *esse in se* et *non in alio* (quae ratio maxime convenit Deo, quippe qui est *ipsum esse,* et prorsus ens *a se*), statim inquirit nunc an sit *corpus,* id est an sit substantia corporea, et ita incipit quaestio de simplicitate Dei.

Huic asserto non contradicit id quod scribunt S. Augustinus, *De Trinitate,* L. VII, c. 5, n. 10, P. L., t. 42, col. 942, et, post illum, Petrus Lombardus, *Sententiarum Liber I,* Dist. VIII, c. 7, scilicet « Deum abusive substantiam vocari ». Illi enim auctores sumunt nomen *substantia* in sensu etymologico, prout designat *id quod substat aliis,* nempe subjectum accidentium: quum autem in Deo nulla sit realitas quae subsit alii realitati, ideo in hoc sensu substantia nequit vocari Deus. Ad rem S. Augustinus, *l. c.:* « Corpus enim subsistit, et ideo substantia est: illa vero [scil. ea quae in aliquo subjecto esse dicuntur, sicut color aut forma in corpore] in subsistente atque subjecto corpore, quae non substantiae sunt sed in substantia; et ideo si esse desinat, vel ille color, vel illa forma, non adimunt corpori esse corpus, quia non hoc ei est esse, quod illam vel illam formam coloremve retinere. Res ergo mutabiles neque simplices, proprie dicuntur substantiae... Nefas est autem dicere ut subsistat et subsit Deus bonitati suae, atque illa bonitas non substantia sit vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tamquam in subjecto: unde manifestum est Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia, quod vere ac proprie dicitur; ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam ». Licet vocabulum *substantia* sensu etymologico designet subjectum accidentium, tamen designat etiam illud quatenus existit

---

(1) *Sum. theol.,* I, Q. IV, a. 2, ad 3.

(2) *De Potentia,* Q. VII, a. 2, ad 9.

(3) In nostro Catechismo diversis locis sermo est de variis perfectionibus divinis: qua de re cf. Lambrecht. *Verklaring van den Mechelschen Catechismus.* In indice sub vocabulis; *almacht, tegenwoordigheid,* enz. Perutiliter legetur Huys, *Over de goddelijke volmaaktheden,* Geloofsonderricht, Brugge, n. 22, 27.

(4) *In Sum. theol.,* I, Q. III, a. 1.

in se et non in alio, et sic nunc sumitur vocabulum substantia, abstractione facta ab hoc quod id quod in se existit seu subsistit substet vel possit substare accidentibus: in hoc porro sensu per analogiam dicitur *substantia* et de Deo et de entibus finitis. Quod diximus de duplici significatione nominis *substantia* invenitur etiam apud S. THOMAM: « Substantia vero quod est subjectum [h. e. substantia prima, seu individuum in genere substantiae] duo habet propria. Quorum primum est quod non indiget extrinseco fundamento in quo sustentetur, sed sustentatur in seipso: et ideo dicitur *subsistere*, quasi per se et non in alio existens. Aliud vero quod est fundamentum accidentibus sustentans ipsa; et pro tanto dicitur *substare* » *De Potentia*, Q. IX, a. 1. Et *ibid.* ad 4^{m}: « Quamvis nihil subsistat nisi individua substantia... tamen non eadem ratione dicitur subsistere et substare; sed subsistere in quantum non est in alio; substare vero in quantum alia insunt ei. Unde si aliqua subsistentia esset quae per se exsisteret, non tamen esset alicujus accidentis subjectum [qualis est divina substantia] posset proprie dici subsistentia, sed non substantia [nempe in sensu illo quo opponitur subsistentiae] ». Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXIX, a. 2.

ARTICULUS I^{us}. **De simplicitate Dei.**

166. Simplicitas est carentia compositionis.

Notio. Nominis *simplex* significatio nobis declaranda est per nomen illi oppositum, nempe *compositum*. Compositum autem dicitur ens quatenus *constat ex pluribus*, quae sunt partes vel quasi partes, quippe quae aliquod *totum* constituunt; inde, quatenus ens est compositum, eatenus etiam *divisibile*.

Simplex vero dicitur ens quatenus *excludit compositionem*, proindeque eatenus est aliquid simplex quatenus est indivisibile (1).

Duplex compositionis genus distinguunt philosophi (2): *a*) *physicam* compositionem, quae habetur ex partibus, quae realiter ab invicem sive actu sive potentia distinguuntur, v. gr. ex partibus quantitativis in corpore, vel ex partibus essentialibus, ut sunt materia et forma; *b*) *logicam*, quae habetur ex rationibus diversis seu diversis intentionibus intellectis, quibus non directe correspondent partes ab invicem realiter distinctae, v. gr. ex genere et differentia specifica; est nempe compositio quae formaliter a ratione efficitur et in ratione existit. Postea explicite indicabimus diversos compositionis modos qui divinae perfectioni repugnant.

167. Deum esse omnino simplicem est definitum.

Dogma catholicum. In concilio (oecumenico) Lateranensi IV, an. 1215, definita est *simplicitas divina omnimoda:* « Firmiter credimus et simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens et ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus: tres quidem personae sed una essentia, substantia seu natura *simplex omnino* » (3).

Haec professio fidei facta est contra Albigenses aliosque haereticos qui unicitatem Dei negabant, aliasque perfectiones quae soli vero Deo conve-

(1) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 206, 2°, p. 213.
(2) Multi philosophi distinguunt triplex genus compositionis, nempe *physicam, metaphysicam* et *logicam* compositionem, sed non conveniunt in assignanda definitione uniuscujusque membri nec in applicatione ejusdem.
(3) *Enchir.*, n. 428.

niunt (1). In eodem concilio damnatus est libellus quem Joachim († 1202), Abbas monasterii Florensis, edidit contra Magistrum Petrum Lombardum († 1160?) (2), appellans ipsum haereticum et insanum pro eo quod docuerat divinam essentiam esse *quamdam summam rem,* quae est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, etiam *alium* esse Patrem, *alium* Filium, *alium* Spiritum Sanctum, non tamen *aliud* Patrem, *aliud* Filium, *aliud* Spiritum Sanctum: quia id, quod est Pater, est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino (3). Hanc porro doctrinam omnino approbat Concilium, credendamque ac profitendam declarat; etiam in hoc documento magis explicat rationem divinae simplicitatis; docendo dici non posse quod partem substantiae suae divinae Filio dederit Pater, et partem ipse sibi retinuerit, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Inde simplicitas omnimoda, quae divinae substantiae propria est, aequivalet omnimodae indivisibilitati. Concilium proinde Deo attribuit omnem indivisibilitatem, ab eoque excludit omnem compositionem, saltem realem.

Petrus Lombardus, *Sententiarum L. I,* dist. VIII, c. 3 ss., ex professo agit de divina simplicitate et explicite excludit a Deo tum compositionem, quae *corporalibus* creaturis competit, quae scilicet est ex partibus quantitativis, tum compositionem, quae *spiritualibus* creaturis inest, quae est ex substantia et accidentibus; in natura autem divina nulla est accidentium diversitas, nullaque penitus mutabilitas; « hujus autem divinae essentiae simplicitas ac sinceritas tanta est quod non est in ea aliquid, quod non sit ipsa; sed idem est habens et quod habetur » c. 8. Nullum dubium quominus eodem sensu definiverit Concilium omnimodam Dei simplicitatem.

Eamdem definitionem resumpsit Concilium Vaticanum, docendo: unum esse Deum verum et vivum... qui cum sit una singularis, *simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis,* praedicandus est re et essentia a mundo distinctus » (4).

168. Divina incorporeitas.

PROPOSITIO. **Deus est omnino simplex seu non-compositus.**

Demonstratio fiet per diversa asserta.

1um assertum. *Deus est omnino incorporeus.*

169. demonstratur: A) ex S. Scriptura, 1° ex V. T.,

A. EX S. SCRIPTURA.

a) In V. T., judaeis prohibebatur Deum sub forma sensibili colere, *Exod.,* XX, 4; *Deut.,* IV, 12-15. Licet narretur Deum pluries apparuisse Moysi aliisque, sub aliqua forma rei corporalis, v. gr. ignis, tamen intelligitur hoc non esse propriam naturam Dei, quippe quae est invisibilis (5).

Etiam *anthropomorphismi,* qui multi occurrunt, et sub quibus Deus exhibetur agens et loquens, non contradicunt doctrinae de simplicitate ac spiritualitate divina, sed necessitate adhibentur juvandi rudem populum in acqui-

(1) De his erroribus cf. *Collat. Brug.,* t. XVII, p. 249 ss. auctoresque ibi citatos.
(2) Circa an. 1150 composuit Lombardus celebre opus cujus titulus: *Libri quatuor Sententiarum,* de cujus indole, valore, influxu et impugnatione cf. GRABMANN, *o. c.,* t. II, p. 359 ss.; DE GHELLINCK. *Le mouvement théologique du XII^e siècle,* Paris, 1914, p. 126 ss.
(3) *Sententiarum Liber I,* dist. V, c. 1.
(4) *Enchir.,* n. 1782.
(5) Cf. MANGENOT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.* art. *Dieu,* col. 964 ss.

renda quadam notione de vita divina, deque operibus ejus circa homines (1). Caeteroquin sub Veteri Lege, cum successione temporis, magis etiam ac magis emundata est et altior facta doctrina de natura et operatione divina.

Salomon ut incorporeum, utpote immunem ab omni circumscriptione locali Deum exhibet: « Si enim coelum et coeli coelorum te capere non possunt, quanto domus haec, quam aedificavi? » III *Reg.* VIII, 27.

In *Sap.*, XIII, 1-9 de quo textu suprà n. 45, sermo fuit, exhibetur Deus tamquam factor rerum hujus mundi, super res mundanas prorsus excelsus et dicitur ille *qui est.* Illius nominis ratio, de qua v. suprà n. 149, importat quod Deus est ipsum esse subsistens, proinde omnino simplex et spiritualis: haec conclusio implicite continetur in nomine quod Deus sibi ut proprium tribuit et cujus sensum explicat.

b) In N. T. clarius docetur Deum esse incorporeum. *170. 2° ex N. T.,*

Christus cum muliere samaritana colloquens de cultu novo qui jam solus est Deo exhibendus, tamquam distinctivam notam illius cultus indicat *immaterialitatem,* quae opponitur conditionibus materialibus quibus subdebatur cultus judaeorum; illiusque mutationis in honore Deo conferendo rationem declarat esse ipsam naturam Dei qui *spiritus* est: « Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum. Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare ». *Jo.,* IV, 23-24.

Nomine *spiritus* designatur, ens non carneum, non alligatum legibus ordinis materialis et proinde superius carnalibus entibus (2): inde hoc nomine designantur tum anima humana, principium vitae, post separationem a corpore retinens vitam (3); tum entia personalia, quae non alligantur alicui carnali corpori, sicut sunt daemones et boni angeli (4).

Christus igitur, in textu suprà citato, docet divinam naturam esse incorpoream, saltem hoc sensu quod est ens *spirituale,* quatenus nec carnale est nec ita materiale sicut sunt res et homines hac in terra visibiles.

Immaterialis natura Dei describitur etiam in aliis libris Novi Testamenti: *invisibilitas* ejus pluries a S. Paulo affirmatur: « *invisibilia* enim ejus [Dei]... per ea quae facta sunt *intellecta* conspiciuntur » *Rom.,* I, 20. Docet Paulus Deum, in se quidem invisibilem, cognosci ab homine per creaturas; non autem invisibiles Dei perfectiones sensibus perspiciuntur aut quasi immediate *in* creaturis deprehenduntur, sed mediante *intellectus* actu, quo illarum cognoscitur prima causa: hoc modo cognoscit homo nominatim Dei

(1) Cf. PRAT, ap. VIGOUROUX, *Dict. de la Bible,* art. *Jéhovah* col. 1237 ss. Qua de re scite monebat S. ANATHASIUS, *De decretis Nicaenae synodi* (circa an. 350), n. 11: « Quodsi eaedem dictiones Deo et hominibus in divinis Scripturis interdum attribuuntur, hominum est perspicacium, ut admonet Paulus, attendere ad lectionem, remque perpendere, ac pro natura rerum significatarum, quae scripta sunt, dijudicare, nec sensum confundere, ita ut quae ad Deum spectant, humano modo non intelligantur, nec vicissim quae ad homines pertinent, cogitentur tamquam Dei propria ».

(2) Cf. *Luc.,* XXIV, 39.

(3) *Matth.,* XXVI, 41, XXVII, 50; *Luc.,* I, 47, VIII, 55, XXIII, 46; *Act.,* VII, 58.

(4) *Matth.,* VIII, 16, 26-34; *Marc.* IX, 24; *Luc.,* X, 20, XI, 24-26; *Jo.,* VII, 21.

sempiternam virtutem et *deitatem,* scilicet *aeternitatem, potentiam* ac *majestatem,* quo omnium dominus est. Invisibilitatem divinam asserit etiam his verbis: « [Christus] qui est imago Dei invisibilis [τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου] Coloss. I, 15. Si dicitur hîc directe designari Patrem, quatenus ipse non apparet *ad extra* (apparent autem Filius et Spiritus Sanctus qui mittuntur a Patre), tamen asseritur invisibilitas naturae divinae propria (1). Quae iterum exprimitur *1 Tim.* I, 17, VI, 16: « Regi saeculorum... invisibili, soli Deo ». « Quem nullus hominum vidit sed nec videre potest ». *Incorruptibilitas perfecta et aeternitas divina* affirmatur *1 Tim.,* VI, 16; *Rom.,* XVI, 26; *2 Petr.,* III, 8. Quacum connectitur *immutabilitas:* in epist. ad *Hebr.,* I, 11, repetuntur verba *Psalmi* CI, 27 s. « Ipsi [coeli] peribunt, tu [Deus] autem permanes, et omnes ut vestimentum veterascent et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es (σὺ δέ ὁ αὐτός εἶ) et anni tui non deficient ». Deus igitur, aeternaliter existens, est in existendo immutabilis; deinde etiam in modo essendi: « Omne donum perfectum desursum est... a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (2). In Deo igitur non habetur successio actionum et passionum.

Tandem Deo convenit *independentia a loci circumscriptione :* « Deus, coeli et terrae cum sit Dominus, *non in manufactis templis habitat,* quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus et movemur et sumus ». *Act.,* XVII, 24-28. Intima est igitur praesentia Dei in creaturis sed independens a corporum et locorum circumscriptione. Inde etiam « non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus » *Hebr.,* IV, 13.

Ex his textibus constat naturam divinam esse spiritualem, immunem a partibus quantitativis et a compositione essentiali quae est propria corporibus materialibus, quibus constituitur mundus noster visibilis. Sed impossibile est ut detur corpus quod sit alterius ordinis ac corpora quae nostrum mundum constituunt: omne enim corpus est essentialiter compositum ex materia et forma, et connaturaliter subjicitur quantitati seu extensioni locali. Quum autem Deus nullo modo pertineat ad hoc genus entium, sequitur illum esse simpliciter *incorporeum,* seu purum spiritum (3).

171.
B. *Ex Traditione:*

B. Ex Traditione, sc. ex doctrina Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum.

a) Immaterialitatem seu spiritualitatem naturae divinae defendunt patres apologetae, qui veri Dei notionem propugnant contra ethnicos.

---

(1) Cf. Prat, *Théologie de S. Paul,* t. I, p, 399.

(2) Deus est pater seu auctor corporum lucidorum, luminarium coelestium, sed in ipso non est ulla mutatio, qualis habetur in corporibus coelestibus quae sine intermissione locum mutant, nec ulla obumbratio, quae provenit ex motu stellarum et lunae. Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in epistolas catholicas*[5], Brugis, 1909, p. 42.

(3) Inter Patres, qui errantes admiserunt angelos non esse mere spirituales (sed connaturaliter uniri alicui corpori, non quidem carnali, sed diversi generis ac sunt materialia corpora quae hac in terra cognoscimus), plerique saltem tenebant Deum esse omnino incorporeum et simpliciter spiritualem. In exemplum audiatur S. Ambrosius: « Nos autem nihil materialis compositionis immune atque alienum putamus, praeter illam solam venerandae Trinitatis substantiam ». *De Abraham,* II, 8, P. L., t. XIV, col. 482. De illa quaestione circa angelorum naturam, cf. Bareille, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.,* art. *Ange,* col. 1195 ss.

Aristides, in *Apologia*, circa 140, dicit Deum esse aeternum, nulla re indigentem, ab omnibus perturbationibus et defectibus, nominatim ab ira, oblivione, ignorantia reliquisque omnibus hujusmodi, immunem; esse etiam absque figura, aut membris aut sexu; non contineri a coelo, sed ab ipso omnia, visibilia atque invisibilia, contineri. *Aristid.*,

Tatianus, Oratio adversus Graecos. circa 165, docet Deum esse aeternum, esse spiritum, invisibilem et intangibilem (n. 4), carnis expertem (ἄσαρκον) (n. 15) et absque corpore (ἀσώματον) (n. 25). *Tatian.*,

Athenagoras, Legatio pro christianis, circa 177, dicit a christianis disjungi Deum a materia, et demonstrari aliud quidem materiam aliud vero Deum esse: Deus enim non-factus et aeternus est, materia vero facta et corruptibilis (n. 4); Deus cum ingenitus sit et perpessionis ac divisionis expers, non sane constat ex partibus (n. 8). *Athenag.*,

« Satis igitur demonstratum a me est atheos nos non esse, qui unum ingenitum et aeternum tenemus Deum, invisibilem et impassibilem, qui nec capi aut comprehendi potest, qui sola mente et ratione cognoscitur, ac luce et pulchritudine et spiritu et potentia non enarrabili circumdatus est, a quo denique omnia per ipsius Verbum et creata et ornata sunt, et conservantur. Agnoscimus enim et Dei Filium » n. 10. Deinde asserit Athenagoras Dei Filii generationem esse prorsus immaterialem, utpote intellectualem.

b) Praecipui scriptores ecclesiastici, qui saeculo III et initio saec. IV floruerunt, explicite Dei simplicitatem, ac spiritualitatem seu perfectam incorporeitatem docent, hanc quidam etiam defendunt contra sententiam, cui quidam christiani adhaerebant, ut videtur, et qua Deum aliquo sensu ut corporalem cogitabant: inter quos citantur Melito et Tertullianus (1). *172.*

Clemens Alex. tradit Deum nec dividi posse, nec limitem habere nec ullam dimensionem, nec figuram. *Stromata*, V, c. 12, P. G., t. 9, col. 121. *Clem. Alex.*,

Origenes opere *De Principiis*, L. I, n. 9, P. G., t. II, col. 120, quaerit utrum Deus intelligendus sit corporeus, an alterius naturae quam corpora sunt: hoc in praedicatione nostra, nempe in veritatibus per praedicationem apostolicam traditis, non manifeste designari dicit. Ipse tamen Origenes incorporeitatem Dei omnino propugnat: « Quia ergo mens nostra ipsum per se ipsam Deum sicut est non potest intueri, ex pulchritudine operum et decore creaturarum parentem universitatis intelligit. Non ergo corpus aliquod aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid et inferius in se habere credatur, sed ut sit ex omni parte, μονάς, et, ut ita dicam, ἑνάς, et mens ac fons ex quo initium totius intellectualis naturae vel mentis est ». *De principiis*, L. I, c. 1, n. 6, P. G., t. II, col. 124 s. — In opusculo *De oratione*, n. 23, P. G., t. 11, col. 488, refutat eos qui opinantur Deum in coelo esse ut in loco corporeo, ex quo consequeretur ipsum esse corpus, et proinde sequerentur impiissima dogmata, nominatim Deum et divisibilem et materialem et corruptibilem esse. In opere *Contra Celsum*, an. 248, refutat impugnationem hujus pagani, qui christianos arguebat quod materialem de Deo notionem tenebant, quippe qui ut hominem illum describebant. « Haec omnia, ait Origenes, figurate dicuntur, ut intelligibilis natura ex usitatis sensibilibusque nominibus nobis innotescat » L. VI, n. 70, P. G., t. II, col. 1404 (2). *Origenes*,

Inter latinos, *Novatianus*, circa 251, *Arnobius*, circa 305, *Lactantius*, circa 305-310, simplicitatem ac incorporeitatem divinam expresse docent (3). *Novat., Arnob., Lact.*,

(1) Cf. LE BACHELET, *o. c.*, col. 1035, 1060.

(2) Cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu* (sa nature d'après les Pères), col. 1023 ss., 1047.

(3) Cf. ID., *o. c.*, col. 1063-1066.

173. *c*) Patres, qui post concilium Nicaenum (an. 325) usque ad medium saeculi V scripserunt, spiritualitatem perfectam Dei magis ac magis enucleant.

S. Athanas., Didym., Cyril. Alex., *α*) Patres *alexandrini, S. Athanasius* († 373), *Didymus* († 395 ?), *S. Cyrillus* († 444), non solum immaterialem et incorporeum esse Deum docent, sed etiam absolute simplicem, quae simplicitas omnem qualitatem accidentalem et omnem compositionem a Deo excludit (1).

En textus excerptus ex opere Didymi *De Spiritu Sancto*, n. 35: « Deus simplex et incompositae spiritualisque naturae neque aures neque organa, quibus vox emittitur, habet; sed solitaria incomprehensibilisque substantia nullis membris partibusque componitur. Quae quidem de Filio et de Spiritu Sancto similiter accipienda ».

S. Cyr. Hieros., *β*) *Inter patres palaestinenses*, citandus est imprimis *S. Cyrillus Hierosolymitanus*, qui instituendo catechumenos tradidit pulcherrimam expositionem catholicorum dogmatum, in orationibus quae vocantur *catecheses* et habitae sunt an. 348.

Ad rem nostram quod attinet, S. Cyrillus increpat illos qui imaginati sunt Deum esse ignem, illosque qui cogitaverunt illum esse velut alatum hominem, *Catheches.* VI, n. 8; docet porro Deum esse *incorporeum, ibid*, n. 11; ideoque non visibilem oculis, quia quod incorporeum (*ἀσώματον*) est, sub carnis oculis cadere non potest, *Cateches, IX*, n. 1.; imo Deum esse *simplicem* quoad substantiam (*μονοειδῆ την ὑποστασιν*) *Cateches. VI*, n. 7. Quae notio elucidatur ex hoc quod docet Deum idem semper esse et eodem modo se habere seu esse immutabilem, *Cateches. VI*, n. 5; etiam esse in omnibus locis praesentem, nec circumscriptum ullo loco, *Cateches. VI*, n. 8 et 9.

S. Epiphan., Etiam *S. Epiphanius*, scribens infra an. 374-377, docet Deum esse invisibilem et incorporeum, absque partibus seu simplicem, esse spiritum supra omnem spiritum (2).

S. Ephraem, *γ*) *S. Ephraem*, syrus († 373), spiritualitatem ac simplicitatem Dei clare exponit (3).

S. Bas., Greg. Nys., *δ*) Hanc ex professo propugnant S. Basilius et S. Gregorius Nyssenus (4).

S. Joan. Chrys. *ε*) Eamdem doctrinam exponit, in ecclesia Antiochena, S. Joannes Chrysostomus († 407) (5).

S. Hilar., S. Ambr., S. Hieron., Marius Vict., *ζ*) necnon Patres latini, S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Hieronymus (6).

η) In Africa, Marius Victorinus († circa 363) in opere *Adversus Arium*, L. IV, n. 4 ss., P. L. t. VIII, col. 1115 simplicitatem Dei ac spiritualitem vindicat: « Spiritus est Deus... Spiritum intelligere cogimur quamdam existentem, viventem, intelligentemque substantiam ». Postea explicat in Deo idem esse existere, vivere, intelligere.

S. August., S. Augustinus († 430) (7) non specialem quidem tractatum de Deo scripsit, sed in variis ejus operibus multa asserta disseminantur, quorum complexus theodiceam amplam constituit, quae magis completa est quam fuerat apud praecedentes Patres. In notione, quam de divina natura tradit, quatuor praesertim elucidat perfectiones, scilicet spiritualitatem, immortalitatem, simplicitatem absolutam et ipsam rationem essendi.

De *simplicitate* simul ac *immutabilitate* sic loquitur: « Viderunt ergo isti philosophi [Platonici]... nullum corpus esse Deum: et ideo cuncta corpora transcenderunt quaerentes Deum. Viderunt quidquid mutabile est non esse summum Deum: et ideo omnem animam mutabilesque omnes spiritus transcenderunt, quaerentes

---

(1) Cf. LE BACHELET, *o. c.*, col. 1070 s.
(2) Cf. ID., *o. c.*, col. 1076-1079. In *Dict. cit.*, v. articulos *Anthropomorphites, Audiens, Cyrille de Jérusalem, Epiphane.*
(3) Cf. LE BACHELET, *o. c.*, art. *Dieu*, col. 1080.
(4) Cf. ID., *o. c.*, col. 1084 ss.
(5) Cf. ID., *o. c.*, col. 1095, 1097 s.
(6) Cf. ID., *o. c.*, col. 1101.
(7) Cf. ID., *o. c.*, col. 1106 ss.

summum Deum. Deinde viderunt omnem speciem in re quacumque mutabili, qua est quidquid illud est, quoquo modo et qualiscumque natura est, non esse posse nisi ab illo qui vere est quia incommutabiliter est. Ac per hoc sive universi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumque motum, et elementa disposita a coelo usque ad terram, et quaecumque corpora in eis sunt; sive omnem vitam, vel quae nutrit et continet, qualis est in arboribus; vel quae et hoc habet et sentit, qualis est in pecoribus; vel quae et haec habet et intelligit, qualis est in hominibus; vel quae nutritorio subsidio non indiget, sed tantum continet, sentit, intelligit, qualis est in Angelis, nisi ab illo esse non posse qui simpliciter est: quia non aliud illi est esse, aliud vivere, quasi possit esse non vivens; nec aliud illi est vivere, aliud intelligere, quasi possit vivere non intelligens; nec aliud illi est intelligere, aliud beatum esse, quasi possit intelligere et non beatus esse; sed quod est illi vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. Propter hanc incommutabilitatem et simplicitatem intellexerunt eum et ista omnia fecisse, et ipsum a nullo fieri potuisse » (1). Ex hoc loco patet quomodo perfecta simplicitas ac immutabilitas connectantur, secundum mentem S. Augustini, cum eo quod Deus est *ipsum esse:* haec est radix omnis perfectionis divinae, imo ratio formalis ad quam reducitur in Deo omnis perfectio absoluta. Quod nitide exprimit S. Augustinus, *De Trinitate,* L. VI, c. 4, P. L., t. 42, col. 927: « Deo autem hoc est esse quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, et si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur ». Quapropter Deus non aliter definiendus vel potius describendus est, quam per *esse* ipsum: « Quod nihil aliud esse dicam, nisi idipsum esse. » *De moribus Ecclesiae catholicae,* L. I, c. 14, n. 24, P. L., t. 32, col. 1321.

174. conclusio.

Ex illis, quae breviter indicavimus, concludendum est quod, etiamsi unus alterve ex scriptoribus christianis non plene assecutus sit incorporeitatem divinam, non tamen de illa quaestione fuit controversia in Ecclesia: sed ab initio Apologetae Deum docuerunt esse supra entia materialia, visibilia, loco circumscripta, corporalia et composita. Haec porro notio simplicitatis magis ac magis exculta et nitida facta est, praesertim a tempore et ope Origenis.

C. Ex ratione.

175. C. *Ex ratione.*

Uti suprà, n. 64, demonstravimus, existit *causa prima incausata;* haec porro causa incausata est essentialiter *ipsum esse,* v. suprà, n. 154 s., et proinde *actus omnino purus;* nam esse formaliter dicit perfectionem ultimam omnis perfectionis: quapropter *esse ipsum* seu *subsistens actus essendi* est actus omnino purus. Jamvero actus omnino purus nihil potentiale in se habere potest; proinde *a*) nec extensionem secundum quam esset *divisibile* in partes quantitativas, *b*) nec materiam et formam, secundum quas esset divisibile et corruptibile essentialiter: ergo Deus est prorsus incorporeus (2).

176. Divina simplicitas excludit: a) omnem realem compositionem: quod de fide est,

2um assertum. *In Deo non est compositio* 1) *ex essentia et supposito,* 2) *ex essentia et existentia,* 3) *ex substantia et accidente.*

Hoc assertum est etiam *de fide.* Concilium Lateranense enim definivit Deum esse *substantiam omnino simplicem,* v. suprà, n. 167, et proinde Deo convenire quidquid necessario pertinet ad constituendam rationem simplici-

(1) *De civitate Dei,* L. VIII, c. 6, P. L., t. 41, col. 231. In sequentibus verbis exponit S. Augustinus argumentum quo ex diversis gradibus perfectionis repertis in rebus concluditur ad existentiam alicujus summi et incommutabilis perfecti, quod sit principium omnium rerum.

(2) S. Thomas, *Sum. theol.,* I, Q. III, a. 1 et 2.

tatis. Etiamsi Patres Concilii non explicuerint distincte notas quae in notione simplicitatis seu indivisibilitatis continentur, nec forsitan de singulis explicite cogitaverint, tamen intenderunt de Deo affirmare omnia quae in formali ratione simplicitatis seu indivisibilitatis continentur. Etiam Concilium Vaticanum definivit Deum esse *omni perfectione infinitum* (1), ergo etiam in hac perfectione quae subest notioni simplicitatis omnimodae. Jamvero secundum omnes theologos ratio omnimodae simplicitatis excludit illam triplicem compositionem quae in nostro asserto est designata; multi theologi, S. Thomae doctrinae inhaerentes, ut *realem* habent compositionem ex essentia et supposito, necnon ex essentia et existentia; vix non omnes ut realem habent compositionem ex substantia et accidente.

177. quod demonstratur,

Demonstratio ex ratione, scilicet ex hoc quod demonstratur triplicem compositionem indicatam, idque etiamsi non habeatur ut realis, repugnare omnimodae simplicitati (2).

1) Ut sint diversa individua ejusdem speciei, requiritur ut eaedem specie formae recipiantur in diversis portionibus materiae primae, quae ita est principium individuationis (3).

Tunc, quum materia prima sit mera potentia, quae tota quanta est determinatur a forma substantiali, habentur realiter diversa individua ejusdem essentiae. Et secundum hoc habetur differentia inter rationem essentiae et rationem individui: etenim essentia non aliud importat quam id quod essentiam constituit, puta, in homine, materiam primam et animam rationalem: sed individuum importat *hanc* materiam primam et *hanc* animam rationalem: inde humanitas non est idem ac hic homo (4). Jamvero quum in Deo non sit compositio ex materia et forma, ideo nequit haberi praedicta distinctio inter suppositum et essentiam, et *Deus* est *ipsa deitas.* Quod melius intelligitur cogitando Deum esse *ipsum esse:* inde essentia divina individuatur per hoc quod ipsius est *per se subsistere,* seu esse *per se subsistens* (5). Licet praedicta distinctio inter essentiam et principia individualia *formaliter sit rationis tantum,* tamen *fundamentaliter* est *realis:* quum supponat realem distinctionem et compositionem ex materia et forma. Sed praeter essentiam *singularem* et *individuatam* habentur in supposito humano *actus existendi* et *accidentia:* jamvero tum esse, tum accidentia sunt realiter distincta ab essentia singulari. Quod etiam valet de angelis (6).

(1) *Enchir.*, n. 1782.

(2) Haec demonstratio exponitur a S. Thoma, l. c., a. 3, 4, 6.

(3) Cf. S. THOMAS, In *I Sent.*, Dist. XXIII, a. 1, praesertim ad 1 et ad 5; *De Potentia*, Q. IX, a. 1; *Sum. theol.*, I. Q. XXIX, a. 2; Q. L., a. 2; FERRARIENSIS, *In Sum. cont. Gent.*, L. I. c. 28 (p. 33 ss.).

(4) Non censemus inter *essentiam* et *principia individualia* esse *realem* distinctionem et compositionem ac si illa differrent ut res a re; nempe in hoc homine, Socrate, v. gr., *haec* anima, *hae* carnes, *haec* ossa non sunt ut res a re distincta a principiis quibus ipsamet natura humana constituitur in hoc homine, cum ex eadem realitate quilibet homo sit et hic homo singularis et homo et animal et substantia et ens. Cf. TERRIEN, *S. Thomae Aq. doctrina sincera de Unione Hypostatica*, Parisiis, 1894, L. I, c. 8, p. 77; Card. BILLOT, *De Deo*, p. 67, *De Verbo Incarnato*[5], Prati, 1912, c. II, p. 58 ss.; MATTIUSSI, *Distinzione tra l'essenza e l'essere*, Firenze, 1912, p. 55.

(5) Cf. S. THOMAS, *De Potentia*, Q. IX, a. 5, ad 13; CAPREOLUS, *in I Sent.*, Dist. XXVI, Q. I, ad argumenta contra tertiam conclusionem, ad 4, t. II, p. 234.

(6) Cf. S. THOMAS, *Quodl. II*, a. 4; *Sum. theol.*, I, Q. III, a. 3; Q. L, a. 2, ad 3., Q. LIV,

Unde omne suppositum creatum est realiter, licet inadaequate, distinctum ab essentia sua, quia suppositum est aliquod totum in quo plura realia continentur quam in sola sua singulari essentia. In solo Deo hypostasis est realiter eadem ac essentia (1).

2) In Deo non datur compositio ex essentia et esse: nam uti suprà, n. 154 ss., exposuimus, ipsa essentia divina nihil aliud est quam subsistens actus existendi.

3) In Deo non datur compositio ex substantia et accidente: nam in Deo nullum dari potest accidens. Etenim *a*) substantia seu suppositum comparatur ad accidens sicut potentia ad actum; atqui Deus est actus omnino purus in quo nulla potentia esse potest; ergo. *b*) Deus est ipsum esse subsistens; ad esse autem subsistens nihil potest adjungi, nec ab esse subsistenti aliquid potest separari. Ergo Deo nullum accidens *physicum* inesse potest. Nec *logicum* accidens praedicari potest de essentia divina: omne enim quod ad *perfectionem* pertinet, Deo inest prorsus necessarium (2).

3^um^ assertum. *Deo nulla convenit compositio logica.* *178. b) omnem compositionem logicam.*

Sola compositio de qua nobis remanet loquendum est logica compositio ex genere et differentia specifica. Quum enim res finitae omnes revocari possint ad decem suprema genera, quae praedicamenta dicuntur, quumque praedicata essentialia in genere *substantiae* sese habeant ad invicem ut genus, differentia specifica, et species (3), resultat in mente nostra aliqua compositio, quae formaliter in intellectu tantum est et ideo dicitur *logica:* ita, v. gr. homo est animal rationale, unde species humana componitur ex animalitate et rationalitate; animalitas est genus, rationalitas vero, differentia specifica.

Quaeritur utrum de Deo eadem compositio logica haberi possit. Negative autem respondetur: quia Deus in nullo *genere* est, nec *directe,* nec *reductive.*

Non directe: omne enim quod directe generi subest, est species; haec porro constituitur ratione generis et ratione differentiae specificae; jamvero id a quo sumitur ratio differentiae se habet ad illud, unde sumitur ratio generis, ut actus ad potentiam: ita, v. gr. rationalitas se habet ad animalitatem sicut actus ad potentiam. Quapropter in omni ente, cujus essentia est ut species in aliquo genere, habetur quaedam potentialitas, et quaedam compositio ex actu et potentia. Quum autem Deus sit actus omnino purus, ejus essentia nequit esse ut species in genere (4).

Non reductive. Reductive ad categoriam pertinere dicuntur « ea quae extrinsecus ad eam quomodolibet ordinantur. Ita *motus* (mutatio) omnis reducitur ad categoriam *termini in quem tendit* motus: ex. gr. mutatio

---

a. 1 et 2. Cf. PÈGUES, *Comment. franç. littér. de la Som. théol.*, T. I. 1^e^ P., p. 127, t. II, p. 52, t. III, p. 199, p. 328 ss.

(1) Huic asserto non contradicit mysterium SS. Trinitatis, ut infrà explicabitur.

(2) Huic asserto non contradicit quod sit in Deo libertas electionis, v. gr., circa mundi creationem, de qua erit sermo infrà.

(3) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 24-25.

(4) Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.*, I, Q. III, a. 5; PÈGUES, *o. c.*, t. I, 1^e^ P., p. 137 ss.

corporis de dulci in amarum, reductive ad genus *qualitatis* pertinet » (1). Inde ad genus perfectionis reductive pertinent tum *privationes* (v. gr. caecitas reducitur ad genus qualitatis quia est privatio qualitatis, quae est potentia visiva); tum *principia* (v. gr. punctum reductive pertinet ad genus quantitatis, quia est principium lineae, quae ad genus quantitatis continuae pertinet).

Quum de Deo agitur, nequit esse sermo de privatione quadam; restat ut quaeratur utrum tamquam principium reducatur ad genus quoddam.

Quod autem Deus non sit in genere per reductionem *ut principium,* manifestum est ex eo quod principium, quod reducitur ad aliquod genus, non se extendit ultra illud genus: sicut punctum non est principium nisi quantitatis continuae. Jamvero Deus est principium totius esse: quum enim sit ipsum esse per se subsistens, ab ipso, tamquam a causa exemplari et efficiente, participant esse omnia quaecumque rationem entis habent. Ergo Deus ad nullum genus entium reduci potest tamquam principium: quia omnia omnino genera superat.

179. De Deo non datur definitio.

Corollarium. Quum in essentia divina non sit invenienda ratio generis et differentia specificae ideo nequit de Deo dari *definitio* stricte dicta. — Quapropter nec est de Deo demonstratio per definitionem ipsius, sed tantum ex effectibus ejus, nempe ex rebus creatis: ab his notionem Dei desumimus, sed *analogicam* tantum, et omnia quae simul de creatis et de Deo praedicantur, analogice, et non univoce, dicuntur.

180. Compendium demonstrationis.

S. Thomas, *o. c.*, a. 7, diversis argumentis hanc thesim statuit: Deus est *omnino simplex,* et primo resumit diversos compositionis modos quos successive de Deo negavit et praeter quos non dantur. « Cum enim in Deo non sit compositio neque quantitativarum partium, quia corpus non est, neque compositio formae et materiae; neque in eo aliud sit natura et suppositum; neque aliud essentia et esse; neque in eo sit compositio generis et differentiae, neque subjecti et accidentis, manifestum est quod Deus nullo modo est compositus, sed est omnino simplex ».

181. Ad essentiam Dei metaphysicam consequitur simplicitas.

Quomodo sequatur omnimoda simplicitas ex ratione, quam ut metaphysicam Dei essentiam assignavimus, sic patet: Deus est ipsum esse per se subsistens; quum autem esse sit perfectio omnis perfectionis et nihil perfectionis sit extra hanc rationem, omne quod Deo inest confunditur cum illa ratione essendi; nihil proinde se habet ut pars in Deo, nec Deus ut totum quod constituatur pluribus quasi partibus.

182. Deus nequit cum aliis in compositionem venire.

4um assertum. *Deus non potest in compositionem cum aliis venire.*

Hucusque Deum in semetipso consideravimus eumque omnino simplicem esse probavimus. Sed contra rationem perfectae simplicitatis non solum est quod aliquid sit in se compositum, sed etiam quod in compositionem aliorum venire possit.

Venire autem in compositionem alicujus nihil aliud est quam conjungi alteri, in ordine ad constituendum tertium, quod sit inadaequate diversum a suis componentibus et perfectius singulis componentibus. Inde auctores

(1) DE JAEGHER, *o. c.*, n. 25.

distinguunt inter simplex *per modum partis,* et simplex *per modum totius:* simplex per modum partis est id, quod in se quidem non pluribus constat, sed conjungitur alteri, tamquam comprincipio, ad constituendum tertium, quod est totum: ita, v. gr. anima humana in se quidem simplex est, attamen conjungitur materiae primae ut constituat hominem: ideo anima humana est simplex per modum partis. Simplex per modum totius est, quoad *essentiam* suam, angelus. Quum autem in ratione partis includatur imperfectio, nempe potentialitas vel limitatio actus, ideo simplex per modum partis vocatur etiam simplex per modum *imperfectionis* seu potentiae, et simplex per modum totius vocatur etiam simplex per modum *perfectionis* seu actus (1).

In creaturis, « omnes formae, sive substantiales, sive accidentales, sunt simplices: simplex est animae rationalis substantia; simplex etiam esse existentiae, ultima cujuslibet perfectionis actualitas. Sed nullum horum simplicium per se subsistit, quia unumquodque indiget comprincipio cui uniatur, adeoque non est nisi compositi et in composito. In his igitur considerari est simplicitas *imperfecti*... Ast simplicitas divini esse est simplicitas soluta ab omni dependentia, vel ordine transcendentali ad quodlibet comprincipium, scilicet simplicitas *eminentiae* et *perfectionis,* ejus QUI EST » (2).

Porro Deum non posse ullo modo, nec sicut principium formale, nec sicut principium materiale, venire in compositionem cum aliis patet ex notione statim data de illa conjunctione: haec enim necessario importat potentialitatem quae repugnat actui purissimo.

Praeterea conclusionem infert S. Thomas, l. c., a. 8, ex ratione primae causae efficientis incausatae. « Causa efficiens cum forma rei factae non est eadem numero, sed ad minus esse potest eadem specie. (Haec tamen indentitas non semper habetur: nam quando causa efficiens non est univoca cum effectu, forma rei factae non est specie eadem cum forma causae efficientis: ita Deus non est idem specie cum alia re quacumque). Materia vero cum causa efficiente nec numero nec specie est eadem. Ergo Deus nec ut formale, nec ut materiale principium in aliquo esse potest.

183. Ex quo sequitur falsitas pantheismi.

Corollarium. Ex demonstrato asserto sequitur falsitas pantheismi, qui alia vel alia ratione negat omnimodam distinctionem realem inter Deum et mundum, adeoque asserit conjunctionem quamdam Dei, per modum partis, cum rebus creatis (3).

184. Ratio simplicitatis est positiva perfectio.

Nota. Licet notionem simplicitatis explicemus per negationem: simplex enim est non-compositum, tamen notioni simplicitatis correspondet perfectio positiva. Quo enim aliquid est magis in se unum eo est magis ens; et eo

(1) Cf. card. BILLOT, *De Deo,* p. 81; REMER, *o. c.,* t. II, p. 254; BUONPENSIERE, *Commentaria in I. P. Sum. theol.* n. 182.

(2) Card. BILLOT, *o. c.,* thes. V, § 2, p. 88 s.

(3) Ex hoc asserto de simplicitate Dei sequitur 1) naturam divinam non posse esse causam formalem nostrae justificationis, cf. VANDER MEERSCH, *De gratia divina,* n. 110-112, 2) unionem Verbi incarnati non *in natura* factam esse, cf. *Collat., Brug.,* t. XVII, p. 20 ss.

est aliquid magis in se unum quo est magis simplex seu indivisibile. Ut ex suprà expositis patet, eatenus Deus est omnino simplex, quatenus est summe ens (1).

ARTICULUS II^us. De perfectione et infinitate Dei.

§ I.

De perfectione divina (2).

185. Notio perfectionis.

Notio. « Doctrinae de simplicitate divina, immediate subnectit S. Thomas quaestionem de Dei perfectione, ne scilicet confundamus simplicitatem quae convenit Deo, cum simplicitate quae invenitur in creatis. Dictum est enim supra [v. n. 178], quod simplicia apud nos, non sunt nisi imperfecta entis principia; quin etiam in spiritualibus, simplex essentia non est per seipsam ens in actu, cum non subsistat nisi per distinctum essendi actum, sed indiget ad sui perfectionem, multiplicibus accidentibus. Ideo, ut removeatur a Deo conditio creaturae, considerationem absolutae simplicitatis consequitur expressa consideratio maximae perfectionis » (3).

Perfectio autem hîc intelligitur conditio entis quatenus est *in actu completo,* quatenus illi inest quodcumque ipsi positive convenit, seu « cui nihil deest secundum modum suae perfectionis » (4).

Id a quo nomen perfectio desumitur non est idem ac id ad quod significandum imponitur.

Quapropter oportet hîc distinguatur etymologica nominis significatio seu id a quo nomen imponitur, et significatio quam ex usu habet seu id ad quod significandum imponitur. « Sciendum, inquit S. Thomas, quod perfectio Deo convenienter attribui non potest, si nominis significatio quantum ad sui originem attendatur. Quod enim *factum* non est, nec *perfectum* dici posse videtur: sed quia omne quod fit de potentia deductum est in actum, et de non esse in esse, quando factum est tunc recte perfectum esse dicitur, quasi *totaliter factum,* quando potentia totaliter est ad actum reducta, ut nihil de non esse retineat, sed habeat esse completum. Per quamdam autem nominis extensionem, perfectum dicitur, non solum quod fiendo pervenit ad actum completum, sed id etiam quod est in actu completo absque omni factione. Et sic Deum perfectum esse dicimus » (5).

186. Deum in se esse absolute perfectum et omniperfectum

PROPOSITIO PRIMA. **Deus est in se absolute seu summe perfectus et omniperfectus.**

Hujus asserti sensus est: 1) Deus habet in se quidquid perfectionis ipsi convenit, 2) habet omnem nobilitatem quae alicui rei convenire potest (6).

Illa propositio est de fide, prouti definit Concilium Vaticanum: « Sancta

---

(1) Cf. PÈGUES, *o. c.*, p. 148 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.*, in *Collat., Brug.*, t. VI, p. 133 ss., ubi divinae essentiae simplicitas magis declaratur ex mysterio ss. Trinitatis.

(2) Cf. REMER, *o. c.*, p. 341 ss.; card. BILLOT, *o. c.*, p. 94 ss.; POHLE, *o. c.* p. 97 ss.

(3) Card. BILLOT, *o. c.*, p. 94.

(4) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. IV, a. 1. Ulteriorem explicationem significationis nominis *perfectionis,* tradit ILLmus L. JANSSENS, *De Deo Uno,* t. I. p. 243 ss.

(5) *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 28.

(6) Hoc sensu demonstrat S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 28, Deum esse *universaliter perfectum.*

catholica apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum,.. *omnique perfectione infinitum* » (1).

Demonstratio.

187. demonstratur: A. ex S. Scriptura,

A. Ex S. Scriptura.

Licet, ut videtur, *non explicite* formalis ratio perfectionis, sensu in propositione intento, Deo attribuatur in S. Scriptura (2), tamen ibi Deus ita describitur ut implicite, et quidem formaliter, exhibeatur tamquam 1) habens in se quidquid perfectionis ipsi competit, 2) tamquam habens omnem nobilitatem quae alicui enti convenire potest.

1. Etenim quoad *primum:* a) Deus, uti suprà, n. 170, exposuimus, in S. Scriptura exhibetur ut *Spiritus,* proinde ut superans genus corporum; deinde (quod in sequentibus successive probabimus), Deus exhibetur ut *immensus* et *aeternus;* ut *omnisciens, absolute sanctus, liber, omnipotens;* tandem, relate ad alia entia, ut supremus illorum *Dominus,* a quo prorsus dependent, et a quo sapientissime gubernantur (3).

Ita divinae perfectionis notio nobis traditur per complexum illorum attributorum, quo manifestatur Deo inesse omnem nobilitatem quae ipsi convenit (4). Quoad gradum autem, quo dicta perfectio inest Deo, edocetur illam esse summam, superantem omnem cognitionem: « Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis » [h. e. non est investigatio: magnitudo Dei est inscrutabilis]. *Ps.* CXLIV, 3.

b) Alicui Christum appellanti « Magister bone », ipse respondet: « Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus [nemo bonus nisi unus, sc. ipse Deus] » *Marc.*, X, 18. Bonitas asseritur Deo ea ratione convenire ut dici possit soli Deo inesse: quapropter requiritur ut Deo insit eo modo quo nulli alii enti, proinde ut sit summa. Deus proinde hîc exhibetur ut Summum Bonum, a quo cuncta, quae bona sunt, participant suam bonitatem (5).

c) Eamdem, quoad substantiam, notionem exhibet S. Paulus nam *α*) *summam perfectionem entis spiritualis* de Deo praedicat, docendo divinam benignitatem, providentiam et scientiam esse elevatas supra omnem investigationem, et esse omnino a solo Deo, independentes a quolibet consiliario (6); *β*) dicit Deum *in semetipso* esse *perfectum* nec posse ab alio quid-

---

(1) *Enchir.*, n. 1782.

(2) Licet in Evangelio legatur: « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est » *Matth.*, V. 48, nequit certo affirmari hîc exprimi Deum esse *ontologice* summe perfectum vel omniperfectum: nam praedicta assertio, ex contextu et ex subjecta materia, bene intelligi potest de sola *morali* perfectione, et quidem quatenus haec directe respicit charitatem erga proximum, et specialius dilectionem inimicorum: ad hanc enim virtutem exhortatur Christus dicendo: « Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est ». Cf. KNABENBAUER, *Comment. in Matthaeum*, p. 244 s.

(3) Cf. PRAT, ap. VIGOUROUX, *Dict. de la Bible*, art. *Jéhovah*, col. 1237 ss.

(4) BARTMANN, *Lehrbuch der Dogmatik*², Freiburg i. Br., 1911, p. 118.

(5) Cf. KNABENBAUER, *o. c.*, p. 155, et *Comment. in Marcum*, p 269; ROSE, *L'évangile selon saint Marc*, p. 112 s.

(6) Quod magis explicatur a Paulo dicente: « Quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei » *1 Cor.*, II, 11.

quam accipere; γ) imo *omnia a Deo dependere* omnino, quum ex ipso, per ipsum et in ipsum sint omnia (1).

Deus igitur est in se summe perfectus; et ideo ejus perfectio est supra omnem investigationem; Deo nihil deest perfectionis ipsi competentis, et omnis nobilitas entium inest Ipsi ut causae, et in summo gradu: quum omnis perfectio ab Ipso producatur et ordinetur.

2. Quoad *secundum:* ex iisdem textibus edocemur Deo nullam deesse nobilitatem quae alicui enti competere possit: nam quum ipse sit causa, prorsus independens et a se solo, omnis perfectionis quae creaturis inest, habet ipse (sive formaliter, sive virtualiter) omnem perfectionem quae in aliis entibus invenitur. Praeterea si considerantur perfectiones diversae a nobis suprà enumeratae, manifestum fit illas continere quidquid perfecti in entibus reperitur: Deus, quoad essentiam, est *spiritualis;* quoad praesentiam est *immensus,* quoad durationem, *aeternus* (in qua duratione continetur *immutabilitas*); quoad intellectum est *omnisciens,* quoad voluntatem, absolute *sanctus* et *liber,* quoad operationem *ad extra, omnipotens;* quoad omnes res a se distinctas est supremus *Dominus* et *finis ultimus.*

188.
B. *ex Traditione:*

B. *Patrum et scriptorum ecclesiasticorum* sententiam, circa id quod in propositione enuntiatur, non fuse hîc exponemus, quia infrà indicabimus eorum doctrinam de *infinitate* divina. Tres tamen textus hic referimus, qui optime exprimunt rem, de qua agimus, ac elucidant.

S. Iren.,

S. Irenaeus, *Adversus Haereses,* L. IV, c. 11, n. 2, P. G., t. 7, col. 1002 dicit: « Et hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit; et quidem qui facit semper idem est; quod autem fit et initium et medietatem et adjectionem et augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit, bene autem fit homini. Et *Deus* quidem *perfectus in omnibus, ipse sibi aequalis* et similis, totus cum sit lumen et totus mens et totus substantia et fons omnium bonorum; homo vere profectum percipiens et augmentum ».

S. Cyr. Hier.

— S. Cyrillus Hierosol., *Cateches. IV,* n. 5, hanc de divina perfectione descriptionem tradit: « Hic Pater Domini nostri Jesu Christi non circumscribitur in ullo loco neque est minor coelo... Hic in omnibus est et extra omnia. Ne solem illo lucidiorem, vel eidem parem arbitrere. Qui enim prius solem fabricavit, debet ille citra comparationem multo major ac lucidior esse. Futurorum praescius est et omnibus potentior; omnia sciens et prout vult faciens; non subjectus rerum seriebus, neque genesi, neque fortunae [τυχῃ = de toeval, le hasard], neque fatali necessitati [εἱμαρμένῃ = het onvermijdelijk noodlot, la destinée fatale]. *In omnibus* et *perfectus* et *omnem virtutis rationem* [ἰδέαν] *ex aequo possidens.* Qui neque minuitur, neque augescit; sed idem semper [est] eodemque modo se habens ».

S. Ambros.

Tandem S. Ambrosius, *De fide,* L. I, c. 16, n. 106, P. L., t. 16, col. 552 s., contra Arianos propugnans Christi divinitatem, asserit non posse in Deo esse creaturam, quia omnino distat a creatura Deus, quem sic describit: « Deus naturae simplicis est, non conjunctae atque compositae; cui nihil accedat, sed solum quod divinum est in natura habeat sua; complens omnia, nusquam ipse confusus; penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus; ubique totus, eodemque tempore vel in coelo, vel in terris, vel in novissimo maris praesens, visu imcomprehensibilis, fatu ininterpretabilis, sensu inaestimabilis, fide sequendus, religione venerandus: *ut quidquid religiosius sentiri potest, quidquid praestantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire* ». Haec est regula sequenda, qua de Dei perfectione nobis formanda est notio.

---

(1) Hoc est compendium eorum quae docentur *Rom., XI,* 33-36. Omnia in Deum ordinari asseritur etiam *Prov.* XVI, 4: « Omnia propter semetipsum operatus est Dominus ».

C. EX RATIONE.

189. C. ex ratione.

Deus est universaliter et absolute in se perfectus.

Etenim, ut suprà, n. 158 ostensum est, Deus est ipsum esse per se subsistens; ex quo oportet quod totam perfectionem essendi in se contineat. Manifestum est enim quod si aliquod calidum non habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo est, quia calor non participatur secundum perfectam rationem; sed si calor esset per se subsistens, non posset ei aliquid deesse de virtute caloris. Unde cum Deus sit ipsum esse subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse. Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi. Secundum hoc enim aliqua perfecta sunt quod aliquo modo esse habent. Unde sequitur quod nullius rei perfectio Deo deest et quod omnis perfectio secundum ejus completam rationem Deo inest (1).

190. Perfectiones omnes omnium entium sunt in Deo

PROPOSITIO SECUNDA. 1°) **In Deo perfectiones omnium entium sunt virtualiter et eminenter.** 2°) **Quae autem perfectiones sunt simplices, Deo insunt etiam formaliter; quae vero sunt mixtae, non formaliter sed eminenter tantum.**

Haec propositio est *theologice certa.* Est enim conclusio certo deducta ex dogmate de omnimoda perfectione Dei.

Quoad sensum propositionis, animadverte hîc agi de *modo* quo Deo insunt perfectiones: hic porro modus diversus est secundum essentiam perfectionis consideratae. Alia enim ita est ut in sua formali ratione nihil aliud importet quam perfectionem, nullamque imperfectionem aut limitationem: est nempe aliquid quod simpliciter melius est esse quam non esse (2). V. gr. enti simpliciter melius est vivere quam non-vivere, intelligere quam non intelligere. Tales perfectiones vocantur *simplices,* vel *simpliciter simplices.* Alia autem est perfectio, quae quidem entibus talis generis vel speciei inesse debet, quae tamen in sua formali ratione includit limitationem et imperfectionem. V. gr. animali perfectio est videre, cognoscere per sensibilem facultatem visivam, qua res materiales apprehenduntur sub formali objecto coloris: haec est perfectio, sed in sua formali ratione *cognoscendi* includit limitationem seu imperfectionem. Tales sunt perfectiones *mixtae,* seu *secundum quid simplices.*

Virtualiter alicui enti inesse perfectio dicitur quando haec continetur *in virtute* alius, quando in alio continetur tamquam *in causa* quae potest producere illam. *Eminenter* in aliquo aliquid est quando uni inest *secundum nobiliorem modum* quam alii. *Formaliter* in aliquo perfectio est quae inest secundum *formalem rationem* ipsius: v. gr. vita est formaliter in homine et in Deo.

Demonstratio 1ae partis.

191. virtualiter et eminenter;

a) Causa efficiens virtute praecontinere debet quidquid perfectionis est in effectu suo (3); atqui Deus est causa efficiens omnium entium, a se distinc-

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. IV, a. 2.
(2) Cf. S. ANSELMUS, *Monologium,* c. 15 (al. 14).
(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. IV, a. 3; Q. XIX, a. 4; Q. LXXVI, a. 1; I-II, Q. I, a. 2.

torum, sub omni respectu quo perfecta sunt; ergo Deus virtute seu *virtualiter* praecontinet omnes entium perfectiones.

Nota. Hae perfectiones non tantum sunt omnis forma, sive substantialis sive accidentalis, quae cuilibet enti naturaliter inest, sed etiam omnis operatio subsequens et omnis perfectio quae ex operatione acquiritur. Deus enim est causa efficiens prima omnis operationis entis creati et omnis entitatis productae (1).

Inde si in ente rationali, puta in homine, invenitur scientia, ex hac inferri potest esse in Deo scientiam.

b) Quum, ut suprà, n. 175, demonstratum est, Deus sit omnino simplex, nec ulla in ipso sit mixtio potentiae et actus, sitque actus omnino purus, patet perfectiones Deo inesse diversa ratione ac insunt aliis entibus: in Deo esse nequeunt ut accidens, vel ut in potentia. Praeterea nequit dari realis distinctio inter perfectiones divinas; sed omnes realiter unum ac idem sunt ac essentia divina. Et quum haec essentia sit ipsum esse per se subsistens (n. 158) patet quod omnis perfectio Deo inest absque ulla limitatione et proinde nobiliori seu *eminentiori modo* quam in aliis entibus.

Ad rem S. Thomas: « Talis est ordo in rebus, quod superiora in entibus sunt perfectiora inferioribus; et quod in inferioribus continetur deficienter et partialiter et multipliciter, in superioribus continetur eminenter, et per quamdam totalitatem et simplicitatem. Et ideo in Deo, sicut in summo rerum vertice, omnia supersubstantialiter praeexistunt secundum ipsum suum esse simplex » (2).

192. perfectiones simplices sunt formaliter in Deo,

Demonstratio 2ae partis.

a) Deus est omniperfectus. Hoc autem non esset, si non haberet *formaliter* omne id quod in sua formali ratione est mera perfectio, pura nobilitas, quod habere est simpliciter melius quam non habere. Ergo in Deo sunt formaliter omnes perfectiones simplices.

Licet hae in Deo sint formaliter, tamen in eo sunt alio modo, nempe eminentiori modo, quam in aliis entibus, proinde insunt formaliter simul ac eminenter.

perfectiones mixtae nonnisi eminenter.

b) Deus est omniperfectus: ex hoc autem *non* debet habere *formaliter* id quod in sua formali ratione involvit limitationem aut imperfectionem, seu negationem perfectionis. Sed praeterea Deus est simpliciter infinitus, ut infrà demonstrabitur, proinde *nequit formaliter* continere quamlibet perfectionem *mixtam*. Quia autem perfectio mixta est secundum quid simplex perfectio et secundum hoc continetur implicite in ratione τοῦ esse, secundum hoc etiam est in Deo, sed *eminenter tantum*.

193. S. Anselmus asserit Deum *aliquo modo* esse sensibilem. Hoc, quoad substantiam doctrinae, bene explicat, licet vocabulum *eminenter*, quod *illum modum* exprimit, non adhibeat. « Verum cum melius sit te [Deum] esse sensibilem, omnipotentem,

(1) « Deus est causa actionis cujuslibet inquantum dat virtutem agendi, et inquantum conservat eam, et inquantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit ». S. THOMAS, *De Potentia*, Q. III, a 7. Cf. VANDER MEERSCH, *De gratia divina*, n. 262 ss.

(2) *Sum. theol.*, I, Q. LVII, a. 1.

misericordem, impassibilem, quam non esse: quomodo et sensibilis, si non es corpus? Nam si sola corporea sunt sensibilia... quomodo es sensibilis, cum non sis corpus; sed summus Spiritus, qui corpore melior est? Sed si sentire non est nisi cognoscere, aut non nisi ad cognoscendum; qui enim sentit, cognoscit secundum sensuum proprietatem; ut per visum colores, per gustum sapores: non inconvenienter dicitur aliquo modo sentire, quidquid aliquo modo cognoscit (1). Ergo Domine, quamvis non sis corpus; vere tamen eo modo summe [h. e. eminenter] sensibilis es quo summe omnia cognoscis; non quo animal corporeo sensu cognoscit » (2).

Si perfectiones mixtae continerentur *formaliter* in Deo ipse esset res plane monstruosa atque ideo chimaerica: foret nempe simul leo, bos, planta, lapis, etc. (3).

Corollaria.

194. Omnes res sunt similes Deo;

1um. *Omnes res a Deo distinctae,* id est, *omnes res creatae sunt similes Deo.* Etenim quidquid perfectionis, sive substantialis, sive accidentalis, inest creaturae, hoc a Deo, tamquam a prima causa exemplari et efficiente, producitur; inde omnis creatura, quatenus perfecta, eatenus Deo assimilatur.

Praeterea Deus est ipsum esse per se subsistens; sed omnis creatura, quatenus perfecta, est aliqua participatio limitata τοῦ esse; ergo est aliqua participatio seu imitatio ipsius Dei.

S. Thomas (4) similitudinem creaturae cum Deo explicat ulterius, exponendo tres modos secundum quos aliquid potest esse simile alii.

Cum similitudo attendatur secundum convenientiam vel communicationem in forma, multiplex est similitudo secundum multos modos communicandi in forma. Triplex autem hîc distinguitur similitudo: *prima* habetur per communicationem in eadem forma, *secundum eamdem rationem* et *eumdem modum* seu eamdem mensuram: haec est similitudo perfectissima. — *Secunda* habetur per communicationem in eadem forma *secundum eamdem rationem,* sed *non secundum eumdem modum,* sed secundum majus vel minus. Et haec est similitudo imperfecta. — *Tertia* habetur per communicationem in forma, sed *nec secundum eamdem rationem, nec secundum eumdem modum:* haec habetur quando agens, seu causa efficiens, non est in eadem specie cum suo effectu, et proinde dicitur agens *non univocum.*

Porro haec ultima similitudo, imperfectissima, est creaturarum ad Deum. Deus enim non in eadem specie, imo nec in ullo genere, convenit cum creaturis: ideo creaturae non participant formam agentis secundum eamdem rationem speciei aut generis, sed *secundum* aliqualem *analogiam,* seu proportionem (5).

195. quae similitudo est radix analogicae cognitionis

2um. *Realis similitudo creaturarum ad Deum est fundamentum analogicae nostrae cognitionis de Deo* (6).

Etenim quia omnis creatura est realiter aliqua imitatio seu participatio ipsius Esse subsistentis, seu ipsius perfectionis divinae, ideo apprehensiones

(1) Scilicet in formali ratione *videndi* continetur ratio *cognoscendi:* quum videre sit aliquod *cognoscere limitatum, imperfectum.* Hoc quod in *videre* est perfectio habetur in Deo, sed *alio modo,* nempe eminenter.

(2) *Proslogium,* c. 6.

(3) Ita SCHIFFINI, *Instit. philos. in compendium,* n. 726.

(4) *Sum. theol.,* I, Q. IV, a. 3.

(5) S. THOMAS, *l. c.,* ad 4, respondet creaturam esse similem Deo, non tamen Deum esse similem creaturae: sicut imago hominis est huic similis, et non, e converso, homo imagini. Haec tamen assertio accipienda est de modo loquendi, servato nempe proprio vocabuli usu, ut advertit FERRARIENSIS, *In Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 29, p. 47.

(6) Cf. BITTREMIEUX, *De analogica nostra cognitione et praedicatione de Deo,* p. 95 ss.

seu notiones nostrae, quas a creaturis desumimus et quae earum perfectiones repraesentant, vere etiam, licet cum proportione seu analogice, nobis repraesentant divinam perfectionem. Indigemus etiam ut de Deo negemus multa, sive perfectiones mixtas, sive quoad modum quo perfectiones insunt creatis rebus. Sed de hoc infrà agemus.

196. Nomina significantia perfectiones simplices dicuntur proprie de Deo; alia metaphorice.

3um. *Nomina quae significant perfectiones simplices dicuntur* PROPRIE *de Deo; quae vero perfectiones mixtas,* METAPHORICE *tantum* (1).

Quia perfectiones simplices Deo insunt *formaliter,* h. e. secundum formalem rationem earum, ideo nomina illas significantia dicuntur de Deo *proprie,* quatenus ipsa ratio per nomen significata attribuitur Deo, seu ipsi inesse asseritur. Attamen non univoce, sed analogice, tum de Deo tum de creaturis, dicuntur illa nomina: quia perfectio, per illa nomina significata, non secundum eamdem rationem aut speciem, nec secundum eumdem modum, invenitur in Deo ac in creaturis (2). Nomina vero, significantia perfectiones mixtas, non proprie de Deo dicuntur: quia ratio, quam illa nomina exprimunt, non formaliter inest Deo. Possunt tamen dici de Deo metaphorice, propter similitudinem effectuum: haec proportionalitas est radix metaphorae. V. gr. sicut nomen *ridere,* dictum de prato, nihil aliud significat quam quod pratum similiter se habet in decore, cum floret, ac homo cum ridet; ita nomen *leo,* dictum de Deo, nihil aliud significat quam quod Deus similiter se habet, ut fortiter operetur in suis operibus, ac leo in suis. Etiam metaphorice Deus dicitur *irasci* quia Deus malum poenae infligendo proportionaliter se habet sicut homo qui iratus alteri malum infert.

197. Elucidatur principium causalitatis.

Adnotatio. Ex iis quae diximus de modo quo creaturarum perfectiones insunt Deo elucidatur significatio principii causalitatis.

Omnis effectus, quà talis, est similis causae suae efficienti: nequit enim effectui inesse perfectio quae non procedat a causa; ideo ex perfectione effectus cognosci potest perfectio ac natura causae. Sed advertendum est quod causa potest esse univoca, h. e. ejusdem speciei aut generis cum effectu, vel aequivoca; pariter quod perfectio effectus continetur in causa vel formaliter vel eminenter. Igitur secundum hoc recte applicatur semper principium causalitatis, quo ex effectu cognito infertur perfectio causae; sed contra logicam adhiberetur, si omnis perfectio, in effectu contenta, diceretur esse *formaliter* in causa. Ad Deum quod attinet, postquam ex argumentis demonstrantibus Deum existere, de ejus natura jam aliqualem cognitionem habemus, tunc dijudicamus quaenam perfectiones ipsi formaliter, quaenam vero eminenter tantum insint. Quapropter male intelligeret aliquis principium causalitatis et sophistice ratiocinaretur, si, quemadmodum ex

(1) Cf. S. THOMAS, *De Potentia,* Q. VII, a. 5, ad 8; *Sum. theol.,* I, Q. XIII, a. 6.

(2) Secundum doctrinam S. Thomae, in nominibus, quae *anologice* dicuntur de pluribus, forma formaliter significata est *eadem;* sed eatenus habetur analogia, quatenus illa forma significata invenitur secundum diversam rationem seu aliter et aliter in pluribus. « In omnibus quae de pluribus analogice dicuntur, necesse est quod omnia dicantur per respectum ad unum; et ideo illud unum oportet quod ponatur in definitione omnium ». S. THOMAS, *l. c.* « Univocorum est omnino eadem ratio, aequivocorum est omnino ratio diversa; in analogicis vero oportet quod nomen secundum unam significationem acceptum ponatur in definitione ejusdem nominis secundum alias significationes accepti. Sicut *ens* de substantia dictum ponitur in definitione entis secundum quod de accidente dicitur; et *sanum* dictum de animali ponitur in definitione sani secundum quod dicitur de urina et de medicina ». ID., *o. c.,* Q. XIII, a. 10.

Eadem doctrina exponitur in opusculo *De natura accidentis,* c. 1, quod S. Thomae fuit tributum, sed inter *apocrypha* opera ponitur a MANDONNET, *Des écrits authentiques de S. Thomas d'Aquin,* Fribourg (Suisse), 1910, p. 108.

spiritualitate animae infertur spiritualitas Dei, ita ex corporeitate hominis inferret corporeitatem Dei. Haec conclusio esset indebite illata, et ex ejusdem falsitate nihil potest concludi contra valorem principii causalitatis; nec illud ultra vim propriam extendunt philosophi ac theologi qui rite ratiocinantur (1).

§ II.

De infinitate divina.

Notio. *Infinitum* dicitur aliquid ex eo quod non est finitum (2), h. e. quod caret fine seu limite. *198. Notio infiniti exponitur,*

Sed quum aliquid duplici ratione possit carere limite, ideo infinitum dicitur dupliciter. Etenim *a*) aliquid potest carere limite *quem natum est habere,* aliis verbis: aliquid potest privari aliquo actu determinante id quod est in potentia. Tunc infinitum dicitur *privative* et importat aliquid potentiale, indeterminatum et imperfectum, seu potentiam non terminatam proprio actu quo finitur et perficitur. *b*) Deinde aliquid potest carere limite *simpliciter,* quatenus nempe in sua perfectione non coarctatur. Tunc infinitum dicitur *negative* et importat aliquid maxime actuale et perfectum (3). Illud infinitum a nobis concipitur ut aliquid *inexhauribile:* etenim in se continet omnimodam plenitudinem perfectionis secundum quam dicitur infinitum, ita ut si quaelibet determinata mensura hujus perfectionis comparatur ad infinitum, hoc sit semper perfectius.

In sequentibus considerabimus infinitum *negative* dictum. Limes autem *proprie* dicitur terminus quantitatis corporeae (4), qua nempe corpus extenditur in partes extra partes. Inde infinitum, proprie et quoad primam nominis impositionem, designat corpus quod careret limite seu termino in quantitate (5).

Sed illa vocabula, nempe quantitas, limes, augmentum, magnitudo, aequalitas, et alia hujusmodi, quae proprie dicuntur de mole corporea quatenus extensa, *analogice* dicuntur etiam de rebus immaterialibus. Ita loquimur de quantitate malitiae peccati, qua peccatum est magis vel minus offensivum Dei, de magnitudine scientiae, de augmento virtutis, de aequalitate Personarum divinarum, etc. Ideo statuit S. Thomas: « Augmentum sicut et alia ad quantitatem pertinentia a quantitatibus corporalibus ad res spirituales *199.*

(1) Quapropter non perspicitur quo tendat animadversio quam facit AICHER, *Theologisch Quartalschrift* (Tübingen) 1914, p. 264 s.: « Bei den Beweisen für einzelne Eigenschaften Gottes... wird den kausalem Schliessen gewöhnlich mehr aufgebürdet... als es leisten kann. Wollten wir freilich streng den Grundsass durchführen, dass Ursache und Wirkung gleichartig sein müssen, so wäre nicht bloss aus der Geistigkeit der menschlichen Seele auf die Geistigkeit Gottes, sondern auch aus der körperlichkeit der Welt auf die Körperlichkeit Gottes zù schliessen ». Hoc falsum est quod *effectus* debeat esse in eadem specie aut genere ac causa. — In praecedentibus tamen auctor bene defendit valorem principii causalitatis, universaliter sumpti.

(2) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. VII, a. 1.

(3) Cf. DE MARIA, *o. c.*, t. III, Tract. I, Q. III, a. 1, p. 60.

(4) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 329 et n. 333 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. Theolog.*, in *Collat. Brug.*, t. VI, p. 570.

(5) Inde inquiritur apud philosophos utrum dari possit infinitum actu secundum magnitudinem molis corporeae.

et intellectuales transferuntur propter connaturalitatem intellectus nostri ad res corporales quae sub imaginatione cadunt » (1).

Proinde si quantitas consideratur universalissime (sc. sive proprie, sive analogice dicatur) duplex erit distinguenda quantitas: una *corporalis,* qua scilicet corpus fit extensum in partes extra partes; altera *spiritualis,* quae attenditur secundum *perfectionem* naturae vel formae. Sed quum perfectio sit duplex, una essendi, altera operandi, inde etiam quantitas spiritualis considerari potest vel relate ad ipsam essentiam rei, vel relate ad perfectionem operandi.

Quum igitur infinitum nihil aliud dicat quam carentiam limitis et consequatur rationem quantitatis, ideo infinitum considerari potest 1) in genere *quantitatis* proprie dictae seu *corporalis,* inde concipitur infinitas *molis,* sc. extensionis continui, 2) extra genus quantitatis proprie dictae seu corporalis, sed in ordine quantitatis *perfectionis:* quantitas autem perfectionis attendi potest dupliciter: uno modo, secundum ipsam rei essentiam, et inde concipitur infinitas *quidditativa;* altero modo, secundum perfectionem operandi et inde concipitur infinitas *virtutis* (2).

Quum ex divisione quantitatis continuae resultet quantitas *discreta* quae importat ut habeantur plura entia realia ejusdem quantitativae rationis, inde etiam consideratur infinitas in quantitate discreta. Sicut quantitas continua ita etiam quantitas discreta a rebus materialibus per analogiam transfertur ad res immateriales; inde consideratur infinitas *multitudinis* quae esset in multitudine entium actu infinita (3).

Praedicta contrahens, concludo: *infinitum* est *ens carens limite.* Porro quadruplex considerari potest infinitum: 1) ens carens limite secundum *quantitatem corpoream continuam,* inde infinitas *molis corporeae;* 2) ens carens limite in ipsius *essentiae* perfectione, inde infinitas *quidditativa* seu *essentiae;* 3) ens carens limite in *virtute operandi,* inde infinitas *virtutis;* 4) complexus entium cujus *multitudo* esset sine limite, inde infinitas *multitudinis* (4).

200. et modus quo in nobis gignitur;

De modo quo gignatur in nobis idea infiniti. Haec idea infertur ex cognitione rerum finitarum quae nos circumstant. Mens nostra primo quidem concipit rem finitam, non *quà finitam,* sed ut perfectionem positivam. Deinde ex majori perfectione quam intellectus videt in alio ente (vel quam in ipso illo ente concipit ut possibilem) intelligit illam priorem perfectionem importare negationem ulterioris perfectionis, h. e. concipit illam *ut finitam.* Ita v. gr. si considero sphaeram cujus radius est 1, et deinde aliam sphaeram

---

(1) *Sum. theol.,* I-II^{ae}, Q. LII, a. 1. — Ulterius explicatur quomodo fiat haec analogia. Quum *quantum* definiatur: divisibile in insita quae singula nata sint esse unum quid et hoc quid, ratio quantitatis invenitur proprie in illis quae secundum se dividuntur. Sed invenitur etiam quodammodo (inde analogia) in illis quorum divisio attenditur secundum ea quae extrinsecus sunt, sicut virtus dicitur divisibilis et quantitatis rationem habens ex ratione et divisione actuum et objectorum. Cf. S. THOMAS in *I Sent.,* D. XIX, Q. I, a. 1, ad 1.

(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.,* L, I, c. 43; FERRARIENSIS, *Comment. in h. l.;* CAJETANUS, in *Sum. theol.,* I, Q. VII, a. 1; SCHIFFINI, *Institut. Philosoph. in Compendium,* t. I, n. 740.

(3) Inde inquiritur apud philosophos utrum dari possit multitudo entium actu infinita. V. suprà, n. 70.

(4) Quidam auctores distinguunt tantum infinitatem *perfectionis, magnitudinis* seu *molis* et *multitudinis:* sub infinitate *perfectionis* designant *et* carentiam limitis in essentia *et* carentiam limitis in virtute.

cujus radius est 10, intelligo priorem esse *minorem altera,* h. e. esse limitatam seu *finitam.* Haec notio quae proprie est de quantitate uti diximus, n. 198, sc. de extensione corporea, deinde per analogiam habetur de omni re et perfectione etiam prorsus immateriali, n. 199.

201. est notio positiva ex parte rei significatae, negativa ex parte modi significandi.

Est ergo conceptus *finiti* conceptus constans *positivo* simul et *negativo:* finitum enim designat ens quatenus perfectum aliquo gradu ultra quem se non extendit ejus perfectio: hic conceptus gignitur in nobis per *affirmationem* perfectionis et per *negationem* ulterioris perfectionis. Sed mens nostra ulterius procedens potest *negare* hanc *negationem,* h. e. excludere limites ab illa perfectione et sic habetur conceptus *infiniti.* Idea igitur infiniti est *positiva* quoad *id quod repraesentat,* sed est *negativa quoad modum quo in nobis gignitur et a nobis exprimitur* (1), estque discursiva, non intuitiva: nam variis suppositis notionibus a mente formatur (2).

PROPOSITIO. **Deus est in perfectione infinitus.**

202. Deum in perfectione esse infinitum demonstratur: A) ex S. Script.,

Est de fde, v. suprà, n. 186.

Demonstratio.

A. EX S. SCRIPTURA.

Suprà n. 187, ex textibus S. Scripturae ostendimus Deum exhiberi ut in se omnino perfectum, cui nihil deest perfectionis, quam secundum suam naturam, habere debet, et cui omnis perfectio in summo gradu inest.

Infinitas autem perfectionis videtur formaliter significari his verbis : « Magnus [est]Dominus noster et potens virtute et sapientiae [h. e. intellectionis] ejus non est numerus [h. e. non est mensura] ». Ps. CXLVI, 5. Sapientia divina hîc dicitur *absque limite,* et idem videtur attribui *magnitudini* et *potentiae.*

Idem continetur in asserto S. Joannis, 1ª epist., I, 5: « Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae ». *Perfectio* Dei, qui Spiritus est (Jo. IV, 23-24), hîc exhibetur sub metaphora *lucis,* et excluditur ab ipsa luce omne quod esset privatio seu limitatio ejus: in eo *nullae* sunt *tenebrae.* Ergo Deus est ipsa perfectio, in quo nulla est limitatio perfectionis (3). Quod confirmatur ex hoc quod dicitur: « Deus charitas est » 1 Jo., IV, 8. Non recte diceretur: Deus est charitas, si haec perfectio non esset ipsa charitas subsistens, et consequenter infinita; porro si Deus est infinita charitas, oportet ut pariter sit *infinita* perfectio omnis, seu ut omnis perfectio sit in ipso infinita.

Praeterea quum ex S. Scriptura constet Deum esse in sua natura absolute perfectum, et etiam Dei naturam esse *ipsum esse* (v. suprà, n. 149), constat pariter Deum, in formali ratione τοῦ esse, absolute esse perfectum, ergo omnem rationem *essendi,* in omni gradu, seu *absque ullo limite,* continere.

(1) Cf. REMER, *o. c.*, t. II, p. 93; card. BILLOT, *De Deo,* thes. II, § 4, p. 41 et seq.
(2) Cf. JUNGMANN, *De Deo Uno et Trino,* n. 25.
(3) Cf. PRAT, ap. VIGOUROUX. *Dict. de la Bible,* art. *Jéhovah,* col. 1242; MANGENOT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Dieu,* col. 1022.

203. B) *ex Traditione*

B. Ex Patrum doctrina (1).

1° Patres diserte docent Deum esse infinitum.

S. Gregorius Naz., *Orat. XXXVIII, in Theophania,* n. 7, P. G., t. 36, col. 318, immensum et infinitum esse Deum docet.

S. Gregorius Nys., *Contra Eunomium,* L. I, n. 3, ait: « Si quis postulat divinae substantiae interpretationem aliquam et descriptionem et enarrationem, ignaros nos esse talis scientiae non negabimus, hoc solum profitentes, quod *infinitum secundum naturam* conceptu aliquo vocum comprehendi nequit. » — Infinitam esse distantiam inter hominem et Deum, quia ipse simplex est et omnem perfectionem possidet et nullo bono caret, docet S. Cyrillus Alex., *De sancta et consubstantiali Trinitate,* dial. 1.

Praeclare S. Hilarius, *Tract. in Ps. 144,* n. 6.: « Haec, ait, Dei prima et praecipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suae habeat et laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur: arctus ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est. Finem magnificentia ejus nescit ».

S. Augustinus, *De speculo,* c. 33, dicit Deum esse in magnitudine infinitum; et in opere *De Trinitate,* L. VIII, c. 3, explicat Deum esse *ipsum bonum,* non aliquod particulare bonum, sed superans omne bonum particulare.

S. Joannes Damasc., *De fide orthodoxa,* L. I, c. 5, dicit: « Deus perfectus est et absque defectu, sive bonitatem, sive sapientiam, sive potentiam spectes; principii ac finis expers, sempiternus, incircumscriptus, ac denique, ut rem uno verbo complectar, omnibus modis est perfectus ».

2° Patres rationem cur Deus simpliciter infinitus sit assignant in hoc quod est *ipsum esse.*

Ita docent S. Greg. Naz., et S. Greg. Nys., in textibus quos citavimus suprà, n. 156 s.

Ps. Dionysius (2), *De divinis nominibus,* c. 5. n. 4, dicit: « Deus enim non quovis modo est ens, sed simpliciter et infinite, totum esse in se pariter complexus et anticipans ». Deinde exponit quomodo omnia, quatenus esse habent, eatenus perfecta sunt, et quatenus esse habent, eatenus id a Deo participant.

S. Bernardus, *De Consideratione,* L. V, c. 6, exponit omnem perfectionem Deo attribui per hoc ipsum quod vocatur *ille qui est,* ideoque esse aeternum, absque ullo principio, esse ubique, incomprehensibilem, auctorem, causam efficientem omnium.

204. C) *ex ratione.*

C. Ex ratione.

Deus est causa prima incausata; atqui causa prima incausata est ens absolute necessarium (v. suprà, n. 71); sed ens absolute necessarium nihil aliud est quam *esse suum,* scilicet *essentia* entis absolute necessarii est esse ipsum, seu *Esse subsistens* (v. suprà, n. 159). Haec jam demonstrata sunt. Jamvero Esse subsistens nullum in linea essendi compatitur limitem; ergo est simpliciter in omni perfectione infinitum (3).

Declaratur antecedens: « Esse subsistens nullam in linea essendi compatitur limitem ». Etenim esse subsistens est haec perfectio *esse* realizata,

---

(1) Cf. Kleutgen, *De Deo,* n. 327; De San, *De Deo uno,* n. 60, p. 124; L. Janssens, *De Deo,* t. I, p. 287 s.

(2) Hic auctor scripsit probabiliter circa initium saeculi VI. Cf. Godet, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.,* art. *Denys l'Aréopagite,* col. 432.

(3) Ita fere Card. Billot, *De Deo,* thes. VIII, § 1, p. 105 ss.

posita extra mentem, est proinde *essendi perfectio absoluta;* sed *absoluta* perfectio, de suo conceptu, omnem excludit limitem in propria linea. Quod confirmatur ex nostro loquendi modo: nam ad significandum vitam, sapientiam, bonitatem et quamcumque aliam perfectionem omni limite carentem, solemus omnes dicere *ipsam* vitam, *ipsam* bonitatem, vel vitam *subsistentem,* etc., semper convertendo conceptum perfectionis subsistentis, id est, absolutae, cum conceptu perfectionis non minoratae, ac per hoc, illimitatae. Ergo si datur Esse subsistens, oportet quod sit sine limite essendi.

Consequentia nostrae conclusionis patet: nam esse est perfectio omnium perfectionum, id est actualitas cujusvis perfectionis possibilis, cum nihil perfectionis sit aut concipi possit ad quod ratio essendi se non extendat; nihil quod extra amplitudinem seu comprehensionem ipsius *esse* inveniatur (1). Si quid igitur sine limite est secundum ipsissimam essendi rationem, omnes perfectiones in summa eminentia comprehendat necesse est (2).

205. Objectio ex notione Infiniti.

Objectio. Si ens infinitum continet omnem perfectionem, nulla dari potest perfectio praeter illud aut distincta ab illo, ergo nullum ens distinctum ab illo; atqui ens infinitum continet omnem perfectionem; ergo praeter ens infinitum nulla datur perfectio, nullumque ens ab illo distinctum; ergo quidquid est vel esse potest, est ipsum ens infinitum.

R. *Dist. Maj.* Si ens infinitum *continet omnem perfectionem,* hoc sensu quod est *in se omniperfectum,* cui nempe non deest alicujus generis nobilitas, nulla dari potest... *nego;* si ens infinitum continet omnem perfectionem hoc sensu quod ipsi inest quaelibet perfectio *finita, subdist.:* hoc sensu quod quaelibet perfectio *finita realiter identificaretur cum ipso,* nulla dari potest... *conc.;* hoc sensu quod quaelibet perfectio *finita* infinito inesset *virtualiter et eminenter simul ac physice dependeret in esse* ab ente infinito, nulla dari potest... *nego.*

Contrad. min. Ens infinitum *continet omnem perfectionem,* hoc sensu quod est *in se omniperfectum, conc.;* hoc sensu quod ipsi inest quaelibet perfectio *finita, subdist.;* quod quaelibet perfectio *finita realiter identificatur cum ente infinito, nego;* quod quaelibet perfectio *finita* inest infinito *virtualiter et eminenter* et simul *physice dependet ab ente infinito, conc.*

Explico. Ens infinitum quatenus in se continet omnem rationem perfectionis absque ullo limite, non importat quod non sint praeter ipsum perfectiones finitae, utique participatae et limitatae, consequenter ab ipso productae et dependentes ab ipso in esse ipsorum (v. suprà, n. 74); imo in notione entis infiniti includitur quod habeat potentiam creandi talia entia, « quae similitudine divinae [sc. infinitae] bonitatis in esse constituuntur » (3). Proinde entia finita, realiter distinguuntur ab ente infinito. Praeterea in infinito continentur finita *virtualiter,* h. e. tamquam effectus in causa, et *eminenter,* h. e. quidquid perfectionis habetur in finito, habetur in infinito, sed alio modo, modo qui excludit omnem limitem, v. suprà, n. 191 s.; tandem omnis res finita, utpote de se contingens, physice dependet in suo

---

(1) Formalem rationem ipsius *esse* acute declarabat S. BERNARDUS, *De consideratione,* L. V., c. 6: « Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, *est.* Nempe hoc est ei *esse,* quod haec omnia esse. Si et centum talia [h. e., tales perfectiones ut sapientiam, etc.], addas, non recessisti ab *esse.* Si ea dixeris nihil addidisti; si non dixeris nihil minuisti. Si vidisti hoc tam singulare, tam summum *esse,* nonne in comparatione hujus, quidquid hoc non est, judicas potius non esse, quam esse? »

(2) Hoc argumentum exponitur a S. THOMA. *Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 28; a S. BONAVENTURA, *Itiner. mentis ad Deum,* c. V; ab LLLmo AC REVmo WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. III, 252 ss. V, suprà, n. 162.

(3) S. THOMAS, *In II Sent.,* Dist. XVII, Q. I, a. 1, ad 6.

esse ab ente infinito conservante illam rem (1): secundum quod dicit S. Paulus: *In ipso* [Deo] *vivimus et movemur et sumus. Act.* XVII, 28. Infrà agemus de modo quo Deus inest et quo res insunt Deo.

Inde intelligitur cur ens infinitum *et* entia finita sint simul *plura entia* quam si solum esset Infinitum; non tamen sunt *plus entis*, quia finita non sunt nisi limitatae participationes ipsius Esse subsistentis.

Ne proinde confundamus notionem *totius* cum notione *infiniti. Totum* dicitur illud extra quod nihil est in eo ordine in quo dicitur totum: est complexus plurium ejusdem ordinis. Qui concipiunt ens infinitum ut *totum* perfectionum omnium, concludunt extra illud nullam dari perfectionem. Sed *infinitum* negat limites *in se*, in eo ordine in quo dicitur infinitum: igitur infinitum, ratione suî non negat alia entia esse extra ipsum, entia nempe finita (2).

206. In omni finito supposito, esse realiter distinguitur ab essentia.

Corollarium. *In omni supposito a Deo distincto, et consequenter finito,* ESSE, *seu actus existendi, est realiter distinctum ab* ESSENTIA *qua esse coarctatur.*

In decreto suprà, n. 148, citato, asseritur, sub thesi XXIII, quod in Deo identitas essentiae cum actu existendi, seu cum exercita actualitate ipsius esse, est ratio (ontologica) infinitatis divinae in perfectione; aliis verbis hoc significat: quia essentia divina est idem ac ipse actus existendi, seu quia Deus est ipsum Esse subsistens, ideo est infinitus in perfectione. Ex quo sequitur, tamquam corollarium: ideo aliquod ens reale seu physicum est *finitum* in perfectione, quia in ipso essentia non est idem cum esse, seu quia hoc ens non est ipsum Esse subsistens. Distinctio, quae hic affirmatur, est *realis:* nam in thesi III ejusdem decreti dicitur: « In absoluta ipsius esse ratione unus subsistit Deus, unus est simplicissimus, cetera cuncta quae ipsum esse participant, naturam habent, qua esse coarctatur, ac tamquam distinctis realiter principiis, essentia et esse constant ».

Intendimus breviter probare rectitudinem seu necessitatem logicam conclusionis suprà citatae, scilicet hoc assertum: *in omni supposito finito esse et essentiam realiter distingui,* sequitur ex recta intellectione infinitatis divinae.

Uti demonstravimus, Deus est infinitus in perfectione quia est ipsum Esse subsistens: nempe Deus est omnino simplex, adeoque *esse* ipsius est omnino idem ac essentia, Deus nihil aliud est quam *esse,* seu id quo formaliter existit; sed quia esse est formaliter ultima actualitas omnis perfectionis, Deus, qui nihil aliud est quam *esse* complete realizatum, est omnis perfectio complete realizata, et proinde infinitus in perfectione.

Ex altera parte, ut aliquod ens reale possit esse *finitum,* oportet ut id quo est formaliter existens, seu actus existendi, seu *esse,* sit realiter seu physice et intrinsece limitatum; eatenus autem potest *esse* physice et intrinsece limitari, quatenus intrinsece coarctatur ad aliquem determinatum gradum essendi; eatenus porro potest intrinsece coarctari quatenus limitatur ab essentia, quae est formaliter id quo aliquid est id quod est; sed prae-

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. CIV, a. 1 et 2.
(2) Cf. REMER, *o. c.*, t. II, p. 364.

terea, eatenus potest *esse* intrinsece coarctari ab essentia quatenus in ea est seu recipitur (sicut omnis forma seu actus eatenus intrinsece limitatur quatenus limitatur a capacitate in qua recipitur) (1) et proinde quatenus esse se habet ad essentiam tamquam actus ad potentiam seu tamquam perfectio ad capacitatem perfectionis. Tandem actus et potentia sunt aliud et aliud in omni ordine in quo sunt: ergo in ordine reali seu physico actus et potentia realiter et physice ab invicem distinguuntur. Sed, ut statim vidimus, esse finitum et correspondens essentia sunt, in ordine reali et physico, actus et potentia: ergo esse finitum realiter distinguitur a correspondente essentia.

Ideo S. Thomas, *Sum. theol.*, I. Q., VII, a. 1, (et idem docet *Sum. cont. Gent.*, L. II, c. 52) demonstrando Dei infinitatem hoc dicit: « Cum esse divinum non sit esse receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens, ut suprà ostensum est (Q. III, a. 4) manifestum est quod ipse Deus sit infinitus et perfectus [h. e. infinitus in perfectione] ». Ergo, secundum S. Thomam, esse *non receptum in aliquo* est esse *subsistens* et proinde *infinitum*. Unde omne esse *finitum* est *non-subsistens*, seu *receptum in aliquo*, h. e. in potentia, quae est essentia: inde in supposito finito habetur compositio realis inter existentiam et essentiam (2). 207.

Objectio. Omne ens reale est vel substantia vel accidens; atqui ipse actus existentiae nec substantia est nec accidens; ergo ipse actus existentiae non est ens reale; ergo non realiter distinguitur ab essentia. 208.

R. *Dist. Maj.* Omne ens reale in linea formali existentiae est vel substantia vel accidens, *nego;* omne ens reale in linea formali *essentiae* est vel substantia vel accidens, *subdist:* est vel substantia, sive *incompleta* sive *completa*, vel accidens, *conc.*, est vel substantia completa vel accidens, *nego.*

Conc. min.

Contradist. consequens: ipse actus existentiae non est ens reale in formali linea *existentiae, nego;* in formali linea *essentiae, conc.*

Inde nego consequentiam et ultimum consequens.

Explicantur distinctiones. Quando ens reale dividitur in decem praedicamenta et quando sic statuuntur duo suprema genera entium, nempe substantia et accidens, tunc consideratur formaliter *essentia* rerum, nempe id quo aliquid est id quod est: sub hoc respectu dantur duo suprema genera: ens cui competit *esse in se*, quod est *substantia*, et ens cui competit *esse in alio*, seu inhaerere alii jam in suo primo esse constituto: hoc est *accidens*. Sed quia substantia vel simplex est vel composita, nova occurrit divisio ipsius substantiae: substantia enim composita constat duobus realibus elementis, quae sunt principia intrinsece constituentia

(1) Si enim actus essendi non est realiter a se stans, in se solo et secundum formalem sui rationem realizatus, oportet ut realiter sit in aliquo alio, in aliquo a quo recipitur et quod ad ipsum est potentia seu *capacitas recipiendae illius perfectionis*.

(2) De logica connexione inter assertum de reali distinctione inter existentiam et essentiam in creatis, et assertum de *ratione ontologica infinitatis divinae*, cf. DE SAN, *o. c.*, n. 59; MICHEL, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Essence* col. 845 s.

Doctrina de reali distinctione inter existentiam et essentiam fuit propugnata ante S. Thomam, cf. *Revue thomiste*, t. XVIII, p. 753 s., t. XIX, p. 89 ss., 446 ss., deinde a S. Thoma et a praecipuis ejusdem discipulis et commentatoribus, inter quos sunt AEGIDIUS ROMANUS (cf. *Revue thomiste*, t. XVIII, p. 746), CAPREOLUS, *In I Sent.* Dist. VIII, Q. I, t. I, p. 301 ss.; *in II Sent.*, Dist. XVI, Q. I, a. 3, t. IV, p. 107 ss., Dist. XVII, Q. I, a. 1, 2ª concl., t. IV, p. 115; FERRARIENSIS, *In Sum. cont. Gent.* L. II, c. 52; CAJETANUS, *Comment. in opusc. de ente et essentia*, c. 5, q. XI. E recentioribus citandi sunt: LIBERATORE, *Instit. philos.*, t. I, *Ontol.*, c. I, a. 3, p. 276 ss.; DE SAN, *Cosmologia*, Lovanii, 1881, c. V, § 3, p. 403 ss.; ZIGLIARA, *Summa...*, t. I, p. 364 ss.; SCHIFFINI, *Principia philosophica*, n. 588 ss.; Card. LORENZELLI, *Philosophiae theoreticae institutiones*, Roma, 1890. t. I, p. 250 ss.; DE MARIA, *o. c.*, t. I, p. 430 ss.; REMER, *o. c.*, t. I, p. 231 ss.; Card. BILLOT, *De Deo*, thes. VIII, p. 105, *De Verbo Incarnato* [5], p. 62 ss.; Card. MERCIER, *Ontologie*[3], n. 48 ss.; VAN CROMBRUGGHE, *De Verbo Incarnato*, Gandavi, 1909, p. 62; GARRIGOU-LAGRANGE, in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, 1909, p. 308 ss.; DEL PRADO, in *Revue thomiste*, 1910, t. XVIII, p. 209, 240; MATTIUSSI, *Distinzione tra l'essenza e l'esistenza;* GREDT, *o. c.*, t. II, n. 600 ss.; Cf. *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 97-100.

substantiam unam et quae se habent ut actus et potentia: sunt nempe forma, principium *determinans*, et *materia*, mera potentia, principium *determinabile*: intima est utriusque unio, ita ut materia, tota quanta est, determinetur penitus a forma. Illa sunt duo entia omnino realia, realiter ab invicem distincta. Non autem sunt accidentia: quia non inhaerent alicui jam in se constituto; sed reductive pertinent ad genus substantiae, quia sunt *constituentia substantiam*. Sunt proinde non id *quod* est, sed id *quo* aliquid est: quapropter sunt et dicuntur substantia *incompleta* (1).

Quando consideratur formaliter linea *existentiae*, id quo formaliter aliquid existit (seu quo ponitur extra mentem et extra causas), est actus cujus potentia est essentia substantialis, nempe id cui competit esse in se, non in alio. In essentia substantiali simplici actus existendi afficit hanc simplicem formam; in essentia substantiali composita, actus existendi afficit *compositam* essentiam, nec materiam primam, nec formam substantialem, seorsim consideratas, sed utraque eatenus existit, quatenus alteri comprincipio unitur (2). Ergo esse non est substantia, *nec essentia substantialis*, sed est *actus* substantiae completae, est id *quo* formaliter *existit* id *quod* est: proinde est actus realis, ens reale, in formali linea *existentiae*. — *Accidens* vero non est aliud quam modificatio *substantiae existentis*: accidens inhaeret enti stanti in se, seu in substantiali esse constituto (3), est ens *secundarium* quod advenit subjecto substantiali et cum ipso constituit *novum compositum*, nempe accidentale: accidens igitur est aliqua entitas realiter distincta a substantia et inhaerens proprie *subjecto subsistenti*, quocum accidentale compositum constituit (4): quapropter existentia propria accidentis realiter est distincta ab existentia substantiali quà existens est substantia, et ille actus existendi proprius accidentis primo et per se non cadit in accidens sed in concretum seu compositum ex substantia et accidente (5).

Igitur in formali linea *existentiae*, datur duplex esse: unum *substantiale quo* existit substantia completa, id *quod* est; alterum *accidentale*, quo existit accidens *in composito* quod est, sed esse substantiale non est substantia, nec esse accidentale est accidens. Esse substantiale est *actus* respectu essentiae substantialis quae est *potentia* correlativa praedicti actus; esse accidentale est actus respectu accidentis, quod est potentia correlativa praedicti actus; sed quia accidens essentialiter inhaeret substantiae, ideo esse proprium accidentis non subjectatur in accidente seorsim sumpto, sed in accidente inhaerente substantiae, seu in *composito accidentali*. Quum autem actus et correlativa potentia sint realiter ab invicem distincta, actus existendi est realiter distinctus ab essentia cui correspondet (6).

ARTICULUS IIIus. **De ubiquitate et immensitate Dei.**

209. Quia infinito convenire videtur quod *ubique* et *in omnibus* sit, post considerationem de infinitate divina, inquirendum est utrum *ubiquitas* conveniat Deo (7). Quum autem ubiquitas, soli Deo propria, non consequatur in-

(1) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 25, 239.

(2) Anima humana, quia est essentialiter *immaterialis* et proinde *simplex*, habet esse *suum*, independenter ab unione actuali cum materia prima. Sed quia illa anima transcendentaliter ordinatur ad informandam materiam primam et constituendum *compositum* humanum, ideo esse animae et esse *hominis*, est unicum *esse compositi* humani, seu *essentiae* humanae *compositae*.

(3) S. THOMAS, *Quodlib.* VII, art. VII, ad 1, loquendo de angelis, dicit quod compositio *accidentalis* in angelis ad minus supponit *compositionem ex esse et quod est*.

(4) In decreto, suprà, n. 148, citato, thesis V sic effertur: « Est praeterea in omni creatura realis compositio subjecti subsistentis cum formis secundariis additis, sive accidentibus: ea vero [compositio] nisi *esse* realiter in essentia distincta reciperetur, intelligi non potest ».

(5) Circa illa duo asserta cf. DE SAN, *Cosmologia*, l. c. § 4, 412 ss.; REMER, *o. c.*, p. 316 ss.; MATTIUSSI, *o. c.*, p. 48, 91 ss.; GREDT, *o. c.*, t. II, n. 624 s.

(6) « In omni creato essentia differt ab ejus esse, et comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum ». S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. LIV, a. 3.

(7) Ita S. THOMAS, *Sum. theol.* I, Q. VIII, prolog. Hoc in loco S. Thomas non loquitur de immensitate.

finitatem, nisi prout infinitas importat omnimodam indefinibilitatem secundum locales dimensiones, consideratio *immensitatis* omnino ad praesentem doctrinam reducitur (1). Licet immensitas sit ratio intrinseca ubiquitatis, tamen propter faciliorem expositionem, incipiemus ab ubiquitate.

§ I.

De ubiquitate divina.

210. Ubiquitatis notio.

Notio. *Ubiquitas* proprie significat Dei perfectionem qua realiter inest omnibus locis et locatis existentibus. Inde est attributum late dictum et relativum. V. suprà, n. 122. Ubiquitas etiam dicitur *omnipraesentia,* h. e. praesentia in omnibus creaturis. Haec denominatio non exprimit praesentiam in *loco,* et designat Dei praesentiam etiam in creaturis, quae non essent in loco.

In demonstranda ubiquitate et omnipraesentia Dei, intendimus probare Deum *totum* inesse omnibus rebus. Quum enim Deus sit omnino *simplex* (v. suprà, n. 168 ss.), non potest extendi vel diffundi, ut aër, sed ubi realiter est, ibi et *totus* est (2). Postea agemus de *modo* quo Deus inest rebus.

211. Omnibus locis et entibus inesse Deum demonstratur.

PROPOSITIO. **Deus omnibus locis et entibus inest** (3).

Est de fide: continetur enim formaliter in definitione qua Deus declaratur *immensus.* Ita in Symbolo dicto Athanasiano, in Concilio Lateranensi IV, in Concilio Vaticano (4).

Demonstratio

A) Ex S. Scriptura,

A. EX S. SCRIPTURA.

Dicit Moyses ad populum: « Scito ergo hodie et cogitato in corde tuo quod Dominus (Jahve) ipse sit Deus in coelo sursum et in terra deorsum, et non sit alius. » *Deut.* IV, 39. Hîc affirmatur omnipraesentia Dei, quae unico Deo propria est. Quam omnipraesentiam magis explicite declarat Jeremias: « Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? et non Deus de longe? (5). Si occultabitur vir in absconditis: et ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non coelum et terram ego impleo? » XXIII, 24. Deus omnia *implet,* ideo cognoscit omnia.

In Ps. CXXXVIII, 7-10, describitur ubiquitas divina a psalmista alloquente Deum: « Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascen-

(1) Ita Card. BILLOT, *De Deo,* p. 113.
(2) Cf. KLEUTGEN, *De Deo,* n. 370.
(3) Circa hanc thesim exorti sunt quidam errores quos indicant Jungmann, *De Deo uno* n. 166; DE SAN, *o. c.,* n. 126.
(4) *Enchir.,* n. 39, 428, 1782.
(5) Deus non est *e vicino* tantum, ac si non nisi in aliquid quod proximum ipsi est agere posset, sicut homo; sed est *de longe,* quatenus independenter ab omni distantia cognoscere et agere potest. « De mensch is door zijne macht en door zijne kennis alleenlijk op eene beperkte plaats tegenwoordig, dewijl hij maar op eenen beperkten afstand iets kan verrichten en zien; terwijl God, die overal zijne macht uitoefent en over alles ziet, door zijne macht en zijn alziende oog overal tegenwoordig is », LAMBRECHT, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus,* B. I, bl. 100.

dero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo [si habitarem in Oriente], et habitavero in extremis maris [in Occidente]: etenim [etiam] illuc manus tua deducet me: et tenebit me dextera tua » (1). « Hoc loco, uti fatendum est, intentum prophetae solummodo est ostendere Deum per *cognitionem* esse ubique praesentem, ita ut ipse de nullo celari queat... Non est tamen quod propterea censeatur hic locus minus efficax ad demonstrandam *substantialem* Dei praesentiam, uti quibusdam visum est. Duplicem quippe rationem hîc exprimit David cur cuivis impossibile sit conspectum Dei effugere. Prima, quae *vulgaris* est sive ingenio hominum e vulgo accommodata, procedit ex eo quod Deus per suam substantiam ubique est praesens. Hoc scilicet sibi vult sensus obvius ac naturalis harum locutionum: *tu illic es, ades*... Altera vero ratio ex qua ostendit propheta Deum omnia intueri, *propria* est, inde videlicet petita quod Deus per suam scientiam, quam *manum* ac *dexteram* appellat propheta, est causa rerum (2).

S. Paulus Deum verum, Creatorem et Dominum mundi universi, naturaliter ab hominibus cognosci posse docet, quia hominibus intimus est: « In ipso enim vivimus et movemur et sumus ». *Act.* XVII, 28. His verbis significatur praesentia seu dependentia hominum a Deo, ratione influxus divini, quo indigent ut vivant, operentur et in essendo permaneant. Indicatur proinde ipsa realis seu physica operatio divina in homine et consequenter substantialis praesentia Dei.

212.
B) *Ex Traditione*

B. Ex Traditione.

Patres docent Deum substantialiter adesse omnibus locis et omnibus rebus, ita ut ipse nullo circumscribatur, sed omnia excedat (3).

In scripto cujus titulus *Hermae Pastor,* Mand. I, n. 1, circa an. 140-155, legitur: « Primum omnium crede unum esse Deum, qui omnia creavit et consummavit, et ex nihilo fecit omnia, ut sint, et omnia capit [h. e. continet], solus vero incapabilis est [ἀχώρητος = non potest contineri seu circumscribi loco]. S. Theophilus Antioch., *Ad Autolycum,* L. II, n. 3, falsis diis opponens verum Deum dicit: « Dei autem altissimi et omnipotentis et vere Dei est non solum ubique esse sed etiam omnia inspicere, omnia audire, nedum locum contineri... Deus loco non continetur, sed ipse est locus omnium ». — Idem docent Clemens Alex., *Strom.,* L. V. c. II, L. VI, c. 5, L. VII, c. 7, P. G., t. 9, col. 112, 257, 452; Athanasius, *Epist. III ad Serapionem* n. 4; Cyrillus Alexandrinus, *In Joan. comment.,* L. XI, n. 9: « Non in loco est divinitas, sed a nulla re prorsus abest; implet enim omnia et per omnia vadens et extra omnia et in omnibus est ».

S. Basilius, *Homil. in illud: In principio erat Verbum:* « Ubi erat Verbum? Non in loco: quandoquidem in loco non continentur quae circumscribi non possunt (4).

---

(1) « Nota figuras: Quamtumvis *alte* ascendam (usque ad ipsum coelum), quamtumvis *profunde* descendam (usque in infernum), quantumvis *late* super latitudinem terrae, quovis sensu me vertam: sive ad extremum Orientem, ubi oritur aurora, sive ad extremum Occidentem, ad extremum nempe maris: — ubique te invenirem! ubique me videres et cognosceres ». Van der Heeren, *Psalmi,* Brugis, 1913, p. 313.

(2) De San, *De Deo uno,* n. 132.

(3) Cf. De San, *o. c.,* n. 133.

(4) S. Basilius non negat absolute, ut ex contextu patet, Deum *esse in loco,* sed intendit Deum non ita esse in loco ut circumscribatur loco, ut sit in loco *localiter,* quemadmodum in loco sunt corpora. Eadem animadversio valet de textu S. Cyril. Alex. suprà citato. — Etiam quando S.

Sed ubi erat? *Apud Deum.* Neque Pater in loco, neque Filius in ambitu ullo aut certa circumscriptione comprehenditur: sed infinitus Pater, infinitus est Filius. Quidquid cogitaveris, et quocumque tuo spiritu porrexeris, omne id Deo plenum invenies; ubique invenies pariter coextensam Filii hypostasim » P. G., t. 31, col. 480.

S. Cyrillus Hieros. etiam docet Deum in omnibus locis praesentem esse nec ullo loco circumscriptum. V. suprà, n. 172.

S. Joan. Chrysost, *Ps. CXXXVIII,* n. 2, interpretando dicit de Deo: « Omnia imples, omnibus ades, non secundum partem sed omnibus totus ».

S. Hilarius, *De Trinitate,* L. I, n. 6: « Nullus sine Deo neque ullus non in Deo locus est. In coelis est, in inferno est, ultra maria est. Inest interior, excedit exterior. Ita cum habet atque habetur, neque in aliquo ipse, neque non in omnibus est.

S. Ambrosius, *De Fide,* L. I, c. 16, n. 106, P. L., t. 16, col. 552, pariter ubiquitatem Dei describit his verbis: « Deus complens omnia nusquam ipse confusus, penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus: ubique totus, eodemque tempore vel in coelis, vel in terris, vel in novissimo maris praesens ».

S. Augustinus pluribus locis suorum librorum ubiquitatem divinam declarat, nominatim *De Trinitate,* L. V, c. 1, n. 2, P. L. t. 42, col. 912, breviter dicit Deum esse « sine situ praesidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum ».

C. Ex ratione. *213. C) ex ratione.*

1° *Deus omnibus entibus intime inest.*

Uti suprà, n. 64, demonstravimus, existit prima causa efficiens incausata: haec causa est ipsum esse, n. 158, infinitum n. 204, et ab ipsa causantur omnes res quae sunt ab ipsa distinctae et quae sunt finitae, n. 74 s., 97.

Jamvero omnes res finitae non solum causanter a Deo quatenus semel ab ipso ponuntur in esse, sed, quum sint contingentes, continuo influxu Primae Causae indigent, ut maneant in essendo. Aliis verbis, uti loquitur S. Thomas (1): « quum Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit *proprius* effectus ejus. Hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conservantur. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo habet esse. Esse autem est illud quod est magis intimum cuilibet et quod profundius omnibus inest: cum sit formale respectu omnium quae in re sunt. Ergo Deus est in omnibus rebus et quidem intime ».

2° Deus inest *omnibus locis* et sic formaliter est *ubique* (2).

Cum locus realis sit res quaedam, esse aliquid in loco potest intelligi dupliciter: *primo,* hoc modo generali quo aliquid dicitur esse in aliqua re quocumque modo, v. gr. sicut accidentia loci sunt in loco, puta color in ipsa superficie quae est locus; *secundo,* modo speciali quo locata sunt in loco.

Utroque autem modo secundum aliquid Deus est in omni loco. *Primo,* quidem sicut est in omnibus rebus, ut dans eis esse, sic etiam est in omni loco, ut dans ei esse. *Secundo,* quatenus dat esse omnibus locatis quae

---

Basilius dicit Filii hypotasim *coextensam* esse, loquitur metaphorice; non enim quantitative extendi censet naturam divinam.

(1) *Sum. theol.,* I, Q. VIII, a. 1.

(2) S. Thomas, *ibid.,* a. 2.

replent loca: locata eatenus replent loca, quatenus in loco sunt; eatenus autem sunt et in loco sunt, quatenus esse ipsorum influit Deus; ergo sic *ipse Deus est in omnibus locis.*

214. Ubiquitatis ratio formalis est operatio divina.

Corollaria.

1um. *Ratio formalis, qua Deus actu inest omni loco, est operatio ejus* (1). Ideo enim Deus omni loco inest, quia esse influit loco et locato; influere esse est operari divinum; operari divinum est idem ac essentia divina; ergo ratione operationis ipse Deus, substantialiter et totus, immediate conjungitur omni loco (2). *Deus* igitur est in loco, ut *quod* est, *per operationem,* ut *quo* est.

Ad rem Ferrariensis: « Sicut in simultate et contactu corporum, aut locati et » loci, duo sunt: scilicet substantia quae est id *quod* dicitur esse simul cum » altero, et id *quo* talis substantia dicitur simul cum alia esse, scilicet quantitas » dimensiva: ita in simultate et contactu quo Deus dicitur in rebus esse, duo » sunt, scilicet substantia divina, quae est id *quod* est in rebus, et ejus continuata operatio, quae est id *quo* hoc sibi convenit. Propter hoc saepenumero » dicitur a S. Thoma, quod *Deus et quaelibet substantia spiritualis est in loco per » operationem;* quia videlicet ipsa substantia est id *quod* est in loco, *operatio » vero est sibi ratio existendi in loco,* sicut substantia corporis continetur loco, » dimensio vero est sibi ratio, quod a loco contineatur. Et sicut *non oportet » substantiam corpoream prius esse in loco, quam propriis dimensionibus attingat » locum,* sed utrumque simul est, unum sicut *quo,* alterum sicut *quod:* ita non » oportet Deum et substantiam spiritualem prius esse in loco, quam operetur in » loco, sed utrumque simul est in loco, substantia sicut quod, operatio vero sicut » quo. Licet enim operari praesupponat esse, non tamen operari in loco praesupponit esse in loco, in spiritualibus; sicut licet quantitas praesupponat substantiam » in qua sit, non tamen quantitatem esse in loco, sive contingere locum, praesupponit substantiam esse in loco, sed e converso » (3).

215. Nihil indecens Deo ex ubiquitate.

2um. Ex perspecta formali ratione qua Deus omni enti et omni loco inest, patet *nihil indecens Deo accidere ex sua conjunctione cum rebus:* eatenus illis inest, quatenus esse influit, quod bonum est. Ideo Deus est in daemonibus in quantum sunt res quaedam. Monet tamen S. Thomas, l. c. a. 1 ad 3, hanc determinationem esse adjungendam ut modus loquendi non ansam praebeat errori: « In daemonibus intelligitur et natura, quae est a Deo, et deformitas culpae quae non est ab ipso. Et ideo non est absolute concedendum quod Deus sit in daemonibus, sed cum hac additione, *inquantum sunt res quaedam.* In rebus autem quae nominant naturam non deformatam, absolute dicendum est Deum esse ».

216. Solus Deus est ubique.

3um. *Solius Dei proprium est ut sit ubique* (4). Supposito quod existant loca et locata, quotcumque illa ponantur, necesse est ut Deus, tamquam causa omnis esse, adsit omni loco, secundum superius explicata. Praeterea,

---

(1) Huic sententiae contradicunt Scotus, *In II Sent.,* Dist. II, Q. 5; etiam DE SAN, *o. c.,* p. 320, nota 1. Ad refutanda illorum argumenta, cf. card. BILLOT, *o. c.,* thes. IX, § 2, p. 116; cf. etiam ILLmus L. JANSSENS, *De Deo,* t. I, p. 323.

(2) Cf. FERRARIENSIS, *In Sum. cont. Gent.,* L. III, c. 70 (p. 452).

(3) *In Sum. cont. Gent.,* L. III, c. 68 (p. 444 b).

(4) Cf. S. THOMAS, *l. c.,* a. 3.

quum omnino simplex sit Deus, est etiam totus in omni loco. Talis praesentia et illa necessitas praesentiae soli Deo convenit.

DE MODO QUO DEUS EST OMNIPRAESENS.

217. In omni loco Deus adest immense,

1° In omni loco adest Deus *non circumscriptive, nec definitive,* sed *immensé* vel *eminenter.*

Sola corpora, quatenus *quantitate* praedita, suis dimensionibus coextenduntur dimensionibus loci, ideo sola corpora sunt in loco *localiter* seu *circumscriptive* (1).

Entia immaterialia aliter sunt in loco. *a*) « Anima humana actu informans corpus extensum et loco contentum, dici potest esse in loco ratione praestitae corpori informationis, seu *per modum formae.* — *b*) *Spiritus purus creatus* (cui assimilatur *anima subsistens separata*) est in loco ratione operationis quam exercet in locata et qua locatis conjungitur seu applicatur quodammodo *contactu suae virtutis.* Qui ideo dicitur esse in loco definitive (2). — *c*) *Spiritus increatus* seu *Deus,* utpote qui locatis et locis omnibus jugitur influit esse, ut causa incoeptionis et permansionis, illis omnibus ac singulis perpetuò adest, contactu quodam suae virtutis ac essentiae, ita quidem ut nullo illorum *capiatur,* ac sine ulla sui mutatione valeat pariter adesse locis ac locatis aliis infinitis possibilibus, si ea unquam existentiam sortiantur. Quare Deus dicitur esse in loco *immensé* vel *eminenter* » (3).

218. per essentiam, praesentiam, potentiam

2° Omni enti adest Deus per *essentiam,* per *praesentiam* et per *potentiam.* Etenim Deus, quatenus omni enti *influit esse,* in omni enti intime inest per suam substantiam seu *essentiam;* quatenus omnia entia perfecte *cognoscit,* omnibus adest per *praesentiam;* quatenus omnia *potestati* sua *dominatur* et regit, adest omnibus per *potentiam* (4).

219. Specialis praesentia Dei in entibus rationalibus.

3° *Specialiter* Deus praesens est in *rationali creatura,* quae cognoscit et diligit illum actu vel habitu: tunc Deus praesens est ut objectum cognitionis et amoris, nempe ut cognitum in cognoscente, ut amatum in amante. Hoc autem contingit dupliciter, vel secundum mere *naturalem* cognitionem et amorem, et secundum hoc praesentia Dei convenit omni rationali creaturae; vel secundum *supernaturalem* cognitionem et amorem, nempe per gratiam: secundum hoc habetur inhabitatio Dei, quae ad solos *justos* pertinet; specialiter etiam praesens est Deus in omni rationali creaturae cui *supernaturalem* habitum vel motionem influit (5).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.,* t. IX, p. 318 s.

(2) Dicitur *definitive,* quia quum virtus creati spiritus sit finita, ipsius praesentia restringitur vel definitur ad locum, ultra quem non se extendit virtus ejus. — Anima humana est *tota* in toto corpore et tota in singulis partibus ejus. Idem dicendum de spiritu creato qui in loco est.

(3) DE JAEGHER, *o. c.,* n. 340.

(4) Ita S. THOMAS, ibid., a. 3. Hoc assertum modo aliquantisper diverso explicat S. Thomas in *I Sent.,* Dist. XXXVII, Q. I, a. 2.

(5) Cf. VAN DER MEERSCH, *De gratia divina,* n. 140 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 153 ss., t. XV, p. 441 ss. — Specialissimo et supernaturali modo Verbum inest humanitati Christi et Verbum Incarnatum adest sub speciebus panis et vini. De illis modis praesentiae, videsis *Collat. Brug.,* t. XVIII, p. 20, 96, 320; t. XI, p. 250, 299.

220. Quo sensu dicatur Deus specialiter praesens in quibusdam locis.

4° Deus quandoque dicitur specialiter praesens in loco quo plures, vel majores, vel extraordinarios effectus operatur. Ita dicebatur specialiter praesens in templo Hierosolymitano, quia signo speciali et miraculoso manifestabat se adesse ibi vel quia specialiter exaudiebat preces ibi factas; etiam dicitur specialiter adesse personis quibus concedit specialia bona, sive naturalia, sive supernaturalia; sed hic non est modus praesentiae diversus ab uno ex illis modis quos statim enumeravimus.

Ita v. gr. Deus dicitur specialiter esse cum Maria, Matre Christi, quia illi majores gratias quam ulli aliae prae creaturae dedit, quibus gratiis perfectius cooperata est Maria quam alii omnes, ita ut unio supernaturalis seu inhabitatio Dei in Maria ab origine major fuerit quam in aliis, continuo creverit et nunc in coelis, per intuitivam Dei visionem, etiam major sit quam in aliis Beatis.

221. Quid sit immanentia divina et quo sensu dicatur Deus homini magis intime praesens quam homo sibi.

Scholion: De immanentia divina. *Ubiquitas divina est idem ac id quod vocatur immanentia Dei.* Deus enim, ut ex suprà dictis constat, est omni rei intime ac continuo praesens, utpote influens esse ipsum uniuscujusque rei. De hac Dei praesentia in creatura rationali dicit S. Bonaventura: « Solus enim Deus propter summam simplicitatem et spiritualitatem illabitur animae, ita quod secundum veritatem est in anima et *intimior animae quam ipsa sibi* » (1). Idem dicitur in encyclica « Pascendi »: « De immanentia autem quid reapse modernistae sentiant difficile est indicare: non enim eadem omnium opinio. Sunt qui in eo collocant quod *Deus agens intime adsit in homine, magis quam ipse sibi homo:* quod plane, si recte intelligitur, reprehensionem non habet » (2).

Ut hoc recte intelligatur, considerandum est 1° secundum duos modos, omnino inter se diversos, Deum inesse *intellectuali creaturae: primo physice,* quatenus *influit esse* uniuscujusque rei, et *praemovet* ipsam ad *operationem;* secundo, *intentionaliter* seu *objective,* quatenus est *objectum cognitionis* et *amoris.*

2° Porro imprimis hoc notandum est quod Deus, quatenus est *physice* omnipraesens non est immediatum objectum cognitionis.

Etenim creaturae esse et operari sunt effectus finiti Dei, realiter ab eo distincti; creatura non intuetur suum esse, nec, proprie loquendo, illud attingit conscientia psychologica; in operatione autem, quam creatura percipit conscientiâ, non immediate cognoscit Deum, quia ipse est principium operationis, et per conscientiam non attingitur principium operationis. Hoc valet sive de praesentia physica Dei in ordine naturali, sive de praesentia physica Dei in ordine supernaturali. V. suprà, n. 36, 40-42, 56.

Secundum utrumque ordinem praesentiae Dei in intellectuali creatura, dici potest: *Deus homini magis intime adest quam homo sibi* (Idem valet de angelo).

a) Etenim in ordine *physico,* homo, a semetipso solo, nec est, nec operari potest, omnino dependet physice a Deo: hoc sensu, ipsum esse et operari hominis magis est Dei quam hominis, et ideo Deus dicitur magis intime homini quam homo sibi. — Hoc a fortiori valet in ordine supernaturali: gratia sanctificans infusa animae hanc reddit participem naturae divinae: in hoc effectu habetur major dependentia animae a Deo et major intimitas Dei cum anima (3).

---

(1) *In I Sent.,* Dist. I, a. 3, q. 2. *Opera,* t. I, p. 41; cf. *in II Sent.,* Dist. VIII, P. II, q. II, t. II, p. 226, ubi S. Bonaventura declarat cur daemones non possint animabus humanis *illabi.* Cf. etiam *ibid.,* q. VI, ad 6, p. 234. Etiam S. Thomas docet: « Deus ipse est propria et immediata causa uniuscujusque rei, et quodammodo magis intima cuique quam ipsum sit intimum sibi, ut Augustinus dicit » *De Veritate,* Q. VIII, a. 16, ad 12.

(2) *Enchir.,* n. 2087. Deinde monet S. Pontifex alios modernistas ita immanentiam divinam explicare ut deleant ordinem supernaturalem, alios ita ut pantheismo videantur adhaerere.

(3) Tum in ordine naturali, tum praesertim in ordine supernaturali dici potest cum S. Augustino: « Deus magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas ». *De correptione et gratia,* c. 14, n. 45 P. L., t. 44, col. 944. De illis quae docuit S. Augustinus circa

b) In ordine *intentionali:* quo magis intelligibile seu immateriale est objectum cognitionis, eo magis, caeteris paribus, potest intellectus apprehendere verum in hoc objecto, eo magis potest intelligibiliter penetrare in hoc objectum et (metaphorice loquendo) nutriri ab ipso; eo etiam magis est intima unio intentionalis objecti cogniti cum cognoscente. Quum autem Deus sit summe intelligibilis, ita etiam est *objective* et *per se,* caeteris paribus, magis intime praesens intellectui humano quam ipse homo sibi. Quum amor consequatur cognitionem, illique proportionetur, Deus etiam potest esse magis intime amatus ab homine, quam homo a semetipso (1).

Ex parte subjecti cognoscentis intimitas praesentiae intentionalis Dei est major in supernaturali ordine quam in naturali, et, in utroque ordine, eo major est quo facultas intellectiva praedita est majori vi cognoscitiva et quo magis sese applicat ad Deum cognoscendum.

§ II.

De immensitate divina.

222. Notio immensitatis.

Ex tradita doctrina circa ubiquitatem Dei facile consequitur notio *immensitatis.* Etenim omni loco Deus praesens est virtute operativa, qua influit esse; ita porro est omnipraesens ut nullo loco definiatur, sed ut sua virtus operativa semper excedat in infinitum omnes suos effectus; hac porro virtute operativa esset Deus necessario praesens omnibus locis et entibus possibilibus, et hoc in infinitum: haec autem illimitata praesentialitas divina est *immensitas.*

Inde immensitas describitur: Ea divinae naturae perfectio, per quam Deus ita existit *a)* ut nullus sit possibilis locus, nullum possibile spatium, quibus Deus, si creata illa ubicumque et quantacumque existerent, non esset intime praesens, *b)* ut praesentialitas divina non limitetur sed semper excedat omnes assignabiles spatii dimensiones. Inde patet immensitatem esse Dei attributum absolutum et necessarium (2).

223. Ulterior explicatio.

Ex hoc apparet immensitatem non esse formaliter idem ac infinitatem: *infinitas* enim formaliter dicit illimitatam perfectionem ipsius essentiae divinae in semetipsa sola considerata; *immensitas* vero adsignificat necessariam praesentialitatem Dei ad omnia loca possibilia in indefinitum. « Dicendum igitur est immensitatem converti cum indefinibilitate secundum locales dimensiones quatenus divina essentia, ratione incommensurabilis virtutis operativae, potest quantum ex sese, praesentialiter adesse quibuslibet assignabilibus spatii dimensionibus, et continere eas vi continentiae nunquam exhaurienda, sed semper in infinitum excedente » (3).

Elucidatur *immensitas* si comparatur cum *aeternitate.* Sicut cuivis rei quovis modo duranti potest coexistere tempus, ac propterea aeterno potest coexistere tempus in indefinitum; ita etiam cuivis existenti potest coexistere aliud ex relatione quam dicimus praesentiam; et proinde ei qui in modo existendi per praesentiam est illimitatus possunt alia esse praesentia seu potest ipse aliis esse praesens in indefinitum. Qui autem talem habet modum praesentiae, is merito dicetur im-

---

operationem et praesentiam Dei in omni re, cf. WEINAND, *Die Gottesidee, der Grundzug der Weltanschauung des hl. Augustinus,* Paderborn, 1910, p. 73 ss.

(1) S. BONAVENTURA, *In I Sent.,* Dist. I, a. 3, q. 2, demonstrat quod, inspecta natura *cognitionis* et *affectionis* animae humanae, *solo Deo* proprie est fruendum, si nempe *frui* accipitur proprie, prout dicit motum cum delectatione et quietatione.

(2) Cf. FRANZELIN, *De Deo uno,* thes. XXXIII; JUNGMANN, *De Deo,* n. 161.

(3) Card. BILLOT, *o. c.,* thes. IX, § 3, p. 122.

mensus. Sicut ergo prima et obvia notio aeternitatis videtur concipi per comparationem ad coexistens tempus sine limite; ita notio immensitatis primum sese offerens videtur concipi tamquam praesentia sine limite in loco et spatio (1).

224. Deum esse immensum est de fide et demonstratur: A) ex S. Scriptura,

PROPOSITIO. **Deus est immensus.**

Haec propositio est de fide. V. suprà, n. 211.

Demonstratio.

A. EX S. SCRIPTURA.

Textus suprà, n. 211 citati exhibent nobis Deum ut actu praesentem in omni loco. Salomon vero dicit Deum excedere omnia loca et in indefinitum posse esse praesentem. « Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram [h. e. quod aliquo loco concludi possit]? Si enim coelum et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam aedificavi » *III Reg.*, VIII, 27. Etiam Isaias poetica metaphora describit Deum nullo spatio contineri. Deinde docet templum, quod a manibus hominum aedificatur, nihil esse comparatione instituta cum universo mundo aspectabili. Deus autem haec omnia fecit et est omnium Dominus. En textus Isaiae: « Haec dicit Dominus: coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum [haec est metaphorica descriptio praesentiae Dei, quae non finitur ad limites mundi aspectabilis]; quae est ista domus quam aedificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meae? Omnia haec manus mea fecit et facta sunt universa ista, dicit Dominus; ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos »? *Isa.* LXVI, 1-2. Deus igitur ubique praesens est et non terminatur ejus praesentia mundo aspectabili. In hac notione nondum habetur tota ratio immensitatis divinae. Sed si consideratur id, quod hîc, et aliis locis supra citatis, n. 211, docetur, nempe quod Deus ubique praesens est ratione *virtutis operativae* a qua omnia dependent, et si deinde consideratur quod haec virtus operativa exhibetur in S. Scriptura ut infinita (2), sequitur in S. Scriptura doceri implicite immensitatem Dei.

225.

Ut textus mox citatus intelligatur, prae oculis habendum est quod propheta hîc non indendit directe ubiquitatem vel immensitatem Dei proponere, sed docet « in anima pietate et prompta erga Deum obedientia id contineri quod Deus a populo expetit, et misere eos decipi qui existiment se magni quidquam praestitisse, si ad templum exornandum operam vel opes contulerint. Quocirca ad sublimem notionem majestatis divinae animos elevare studet... Deus habitans in coelis, cujus thronus ingenti illa stellarum multitudine et fulgore solis exornatur et qui orbe terrarum vili utitur scabello pedum, num quidquam magni vel praeclari cernere poterit in domo una quam homunciones pauci exornant? vel quid est aedificium illud comparatione instituta cum coelo stellifero?... Quid est templum illud comparatione instituta cum universo mundo aspectabili?... Dein etsi in illo templo summa essent omnia et maxime egregia, illa tamen non ab hominibus essent: Dei sunt opera qui omnia creavit et a quo speciem habent et splendorem... Dein quid vere requirat et in quo sibi complaceat iis pluribus explicat qui spiritu pharisaïco tumentes opera sua in templi ornatu posita coram Deo enumerant: oculi ejus intenti sunt in eum qui miseria oppressus est, qui non altiores spiritus assumit sed animo

(1) Ita fere FRANZELIN, *o. c.*, l. c.
(2) « Ego Deus omnipotens ». *Gen.* XXXV, 11. V. suprà, n. 202.

demisso se Deo subdit et verba et mandata Dei cum omni reverentia et timore suscipit et veneratur » (1).

B. Ex Traditione.

226.
B) ex Traditione,

Textus suprà, n. 212, citati manifestant fidem Patrum talem esse ut persuasum habeant Deum esse actu ubique praesentem; sed praeterea docent praesentiam Dei excedere omnia loca, nec ullo limite determinari. Quidam etiam explicite *immensitatem* Dei docent tamquam ejus perfectionem, uti patet ex infrà citatis textibus, inter quos specialiter notandi sunt illi qui referunt doctrinam S. Hilarii.

Quaedam testimonia in exemplum indicabimus.

S. Iren.,

S. Irenaeus sic loquitur: « Immensus cum sit Deus et mundi opifex atque omnipotens, immensa et mundi opifice atque omnipotenti voluntate, et effectu novo potenter et efficaciter fecit ut omnis plenitudo eorum quae nata sunt in ortum venirent, cum antea non essent, quidquid scilicet sub aspectum non cadit et quidquid oculis subicitur. Atque adeo continet singula, et ad proprium perducit exitum, ob quem excitata sunt et nata, nullo modo in aliud, quam prius natura fuerat, transmutatum. Nam proprium hoc est operationis Dei, non in infinitatem sensus tantum progredi, aut mentem etiam transgredi, rationem et orationem, tempus et locum et omne aevum; verum etiam excedere substantiam et plenitudinem seu perfectionem » (2).

Origenes,

Origenes a Deo excludit *localem* praesentiam in coelis et docet Deum inesse omni creaturae, nec transire de uno loco ad alium sed omnia simul implere. Haec praesentialitas exhibetur ut divinitati necessario competens respectu creaturae, qua talis, consequenter respectu omnis creaturae. Cf. *De oratione,* n. 23; *Cont. Cels.* L. IV, n. 5, n. 12, L. VI, n. 71; *Periarch.,* L. IV, n. 29, P. G., t. XI, col. 487, 1033, 1200, 1405, 404 (3). Immensitatem divinam docet etiam Arnobius (4); S. Cyrillus Hieros. *Cateches. VI,* n. 8, docet Deum omnibus locis inesse et tamen omnibus supereminere.

Arnob., S. Cyr. Hier.

S. Hilar.,

Eamdem sententiam evolvit S. Hilarius, *De Trinitate,* L. I, n. 6, qui docet Deum incorporaliter et propter infinitatem ejus inesse omnibus rebus, intra et extra, supereminens et internus... « Nullus sine Deo neque ullus non in Deo locus est. In coelis est, in inferno est, ultra maria est. Inest interior, excedit exterior. Ita cum habet atque habetur, neque in aliquo ipse, neque non in omnibus est ». In eodem opere, L. II, n. 6, explicat infinitatem Dei per hoc quod Deus est in omni loco et semper extra omnem locum, sicut etiam est aeternus: « Infinitus quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia; semper extra locum, quia non continetur; semper ante aevum, quia tempus ab eo est. Curre sensu si quid ei putas ultimum esse, eum semper invenies: quia cum semper intendas, semper est quod intendas. Semper autem locum ejus intendere ita tibi est, ut ei esse sine fine est... Deus autem et ubique est, et totus ubicumque est. Ita regionem intelligentiae excedit, extra quem nihil est et cui est semper ut semper sit ». (Animadvertas vocabulum *ubique* in hoc textu et etiam apud alios Patres non sumi in sensu stricto, quo illud usurpant scholastici ad designandum solum loca vel spatia realia, in quibus Deus actualiter praesens est, sed sumitur lato sensu ad designandum omnem locum etiam excogitabilem et ad significandum Dei praesentiam non limitari aliquo loco, sed excedere omnem locum excogitabilem. Non ideo tamen concludi potest a Patribus doceri Deum esse actualiter praesentem in spatiis imaginariis. Qua de re infrà verbum faciemus).

---

(1) Knabenbauer, *Comment. in Isaiam,* t. II, p. 498 s.
(2) Fragm. 6 (ex *serm. ad Demetrium*) cit. ap. Rouët de Journel, *Enchir. patrist.,* n. 266.
(3) Ita Le Bachelet, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.,* art. *Dieu,* col. 1050.
(4) Id., *o. c.,* col. 1067.

Et n. 31 dicit: « Ergo quia Deus invisibilis, incomprehensibilis, *immensus* est, ait Dominus venisse tempus ut non in monte vel in templo Deus sit adorandus: *quia spiritus est Deus,* et spiritus nec circumscribitur nec tenetur, *qui per naturae suae virtutem ubique est,* neque usquam abest, *in omnibus omnis exuberans* ».

S. Athanas., S. Cyr. Alex.,

Dei praesentiam in omni loco et simul excessum suae praesentialitatis docent etiam S. Athanasius et S. Cyrillus Alex. (1). Nec obstat doctrinae circa immensitatem quod Patres non explicite dicant praesentialitatem divinam esse *in indefinitum,* seu respicere omnem *possibilem* creaturam: hoc enim continetur in persuasione qua tenent omni creaturae, qua tali, necessario inesse Deum, et virtutem divinam, qua Deus est omnibus necessario praesens, esse infinitam.

S. August.,

S. Augustinus, *Epist. CXXXVII ad Volusianum,* c. II, n. 4, P. L., t. 33, col. 517, scribit: « Non sic Deus dicitur implere mundum, velut aqua, velut aër, velut ipsa lux, ut minore suî parte minorem mundi impleat partem, et majore majorem. Novit ubique totus esse, et nullo contineri loco; novit venire non recedendo ubi erat; novit abire non deserendo quo venerat ». Idem docet *in Epist. CLXXXVII ad Dardanum,* c. IV, col. 867. Hac autem divina praesentialitate Deus dicendus esset praesens in spatiis infinitis, quae aliqui homines cogitant esse extra mundum: hoc docet S. Augustinus, *De civitate Dei,* L. XI, c. 5, P. L., t. 41, col. 320 s.

227. C. ex ratione.

C. Ex ratione.

Nullus locus, nullum locatum, nullum spatium existere potest quin necessariò ei insit Deus ut causa essendi; sed Dei virtus operativa, secundum quam ab eo dependet omne ens existens, est infinita; ergo etiam illimitata est praesentialitas divina; haec autem perfectio est immensitas, ut dictum est suprà, n. 222 s.

228. Deus non praesens in spatio imaginario.

Scholia.

1um. *Deus non dicendus est praesens in spatio imaginario* vel *in spatiis imaginariis.*

Extra loca et spatia nos mente cogitamus *capacitatem indefinitam recipiendi loca et locata,* nempe vacuum in quo Deus posset creare loca, locata et spatia, ultra illa quae nunc existunt, et hoc in indefinitum. Haec autem capacitas locandorum et movendorum corporum mere possibilium vocatur hîc spatium imaginarium vel spatia imaginaria. Jamvero haec spatia, seu illa capacitas aut possibilitas locandorum corporum in indefinitum, non sunt aliquid physici, non sunt aliquid quod actualiter attingitur virtute operativa divina vel ab ipsa realiter dependet. Ergo Deus non physice inest spatio imaginario.

Praeterea spatia imaginaria sunt actu nihilum: nullus autem loquendi modus sinit ut aliquid dicatur esse in eo quod est nihilum (2).

229. Deus, ante omnem creationem, nullibi erat.

2um. *Deus, antequam crearet mundum, nullibi erat.*

Etenim antequam Deus crearet corpus aliquod, nullus erat locus aut spatium reale: proinde non erat *ubi* fuisset Deus. — Quaerenti igitur ubi esset Deus ante mundi creationem, respondendum est: *nego suppositum.* « Non est quod quaeras ultra, ubi erat [Deus sc. ante mundum]: praeter ipsum nihil erat, ergo in seipso erat ». Ita S. Bernardus, *De consideratione,* L. V, c. 6, in fine.

(1) Cf. Id., *o. c.,* col. 1071 s.

(2) Cf. De San, *o. c.,* 134, p. 355; Buonpensiere, *Comment. in I P. Sum. theol.,* n. 431; card. Billot, *o. c.,* p. 121 s. — Non opportuna videtur distinctio inter praesentiam *explicitam actualem* et praesentiam *implicitam potentialem.*

Si Deus creavisset tantum angelos, substantias pure spirituales seu immateriales, Deus fuisset ipsis intime praesens; sed quum angeli non fuissent in aliquo reali loco vel spatio, (licet limitata fuisset illorum activitas), nec Deus fuisset in loco, et, in hac hypothesi, nullibi fuisset Deus.

230. Quo sensu Deus dicatur extra mundum.

3um. Si quaeratur *utrum Deus sit extra mundum,* nempe extra complexum omnium rerum actu existentium, respondeatur distinguendo: si dicendo *extra,* intendis designare aliquid reale extra mundum, ubi sit Deus, *nego;* si dicendo *extra,* intendis significare praesentialitatem Dei non limitari *ad* vel *intra* mundum actu existentem, *conc.* (1).

ARTICULUS IVus. **De immutabilitate Dei.**

231. Notio immutabilitatis.

Notio. Immutabilitas est impossibilitas mutationis subeundae. *Mutatio* est transitus subjecti ab uno modo sese habendi ad alium modum. « Ad hoc ut habeatur vera et proprie dicta mutatio, requiruntur tria *simul:* 1° quidem quod adsit subjectum habens *passivam capacitatem* acquirendi *novum* modum essendi, vel amittendi *veterem* modum essendi; 2° quod adsit modus essendi *a quo* dimovetur et recedit subjectum per mutationem; 3° quod adsit modus essendi *ad quem* per mutationem subjectum accedit » (2).

Quidam auctores mutabilitatem distinguunt *intrinsecam* et *extrinsecam. Intrinseca* dicit quod ens intrinsecam sibi aliquam perfectionem vel determinationem accipere vel amittere, vel secundum suas partes, si quas habet, diversimodo ordinari potest, vel alias partes acquirere. Mutabilitas *extrinseca* in eo est quod res, intrinsece licet non mutetur, ordinem (seu relationem) tamen, quem ad alias res habet, amittere possit, vel, quem non habet, acquirere. Si relatio, quae enti advenit, vel cessat, est rationis tantum, non realis, nulla fit in hoc ente realis mutatio. Mutatio mere extrinseca non est proprie dicta mutatio, sed metaphorice dicta.

Mutatio, proprie dicta, est vel *substantialis* vel *accidentalis: substantialis* est si forma, quae subjecto advenit vel quae ab ipso recedit, est substantialis; *accidentalis* si illa forma est accidens (3).

Ex dictis constat omne ens mutabile eo ipso vel esse compositum, vel posse in compositionem cum alio venire; etenim si non esset compositum, nihil amittere posset; si non posset in compositionem cum alio venire, nihil de novo acquirere posset.

232. Deum esse omnino immutabilem est de fide

PROPOSITIO. **Deus est omnino immutabilis.**

Propositio est de fide: definita fuit tum in Concilio Nicaeno, tum in Concilio Lateranensi IV, tum in Concilio Vaticano, in quo Deus dicitur: « simplex omnino et *incommutabilis* substantia spiritualis » (4).

---

(1) Cf. BUONPENSIERE, *o. c.*, n. 432.

(2) BUONPENSIERE, *o. c.*, n. 453.

(3) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 348. — Ex dictis concludes nec *creationem,* nec *transsubstantiationem* esse proprie dictam mutationem: in utraque enim non adest subjectum idem quod transit de uno modo ad alium modum sese habendi. Cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 529, t. IV, p. 150.

(4) *Enchir.*, n. 1782.

et demonstratur:
A) *ex S. Scriptura,*

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura (1).

In V. T., a psalmista describitur aeternitas et immutabilitas *physica* substantiae Dei: « Initio tu, Domine, terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi [coeli] peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur. Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient ». *Ps.* CI, 26-28. — Dei immutabilitas quoad *mentem* exprimitur his verbis: « Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur » *Num.*, XXIII, 19; etiam quoad *consilium voluntatis:* « Ego enim Dominus [h. e. Jahve] et non mutor » *Malach.*, III, 6.

In N. T., Jacobus immutabilitatem Dei exprimit metaphorice, vocando Deum Patrem luminum, « apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio » *Epist.* I, 17. In *ep. ad Hebr.*, I, 10-13, adducitur locus suprà citatus ex *ps.* CI, ad *divinitatem* Christi asserendam. S. Paulus aeternum et immutabile esse consilium voluntatis divinae saepe praedicat, nominatim *Rom.*, VIII, 28-XI, 36; *Ephes.*, I, 4, III, 11.

233.
B) *ex Traditione,*

B. Ex Traditione.

Jam Aristides, *Apologia,* n. 4, immutabilitatem divinam indicat ut proprietatem Dei veri; Origenes *contra Celsum* L. I, n, 21, Deum *mutationis ac omnis variationis expertem* profitendum esse asserit; immutabilitatem Dei, ut dogma credendam affirmat etiam Tertullianus, *Adv. Praxeam* n. 27 (2); illamque enumerat S. Cyrillus Hierosol. *Cateches.* IV., n. 4-5, ubi divinas perfectiones de Deo credendas exprimit; illamque contineri in ipsa essentia divina, quatenus est *esse* explicat S. Gregorius Nyssenus: « Unum indicium verae divinitatis ostendit sermo sanctae scripturae, quod per supernam vocem didicit Moyses, audiens dicentem: *Ego sum qui sum.* Igitur illud solum divinum esse vere credendum arbitramur, cujus existentia aeterna et infinita apprehenditur, et quidquid in ipso conspicitur, semper eodem modo se habet, neque accedens, neque deficiens ». *Cont. Eunom.*, L. I, n. 8. S. Augustinus, *De civitate Dei,* L, XII, c. 17, divinam immutabilitatem tuetur contra quosdam impios illam impugnantes, praesertim immutabilitatem Dei in operando et volendo.

234.
C) *ex ratione.*

C. Ex ratione.

« *a*) Quidquid mutatur transit de potentia ad actum, erat igitur in potentia; atqui Deus est *actus purus* absque ulla admixtione potentiae. *b*) Quidquid mutatur, quantum ad aliquid manet et quantum ad aliquid transit; erat igitur compositum; atqui Deus est absolute *simplex*. *c*) Quidquid mutatur aliquam formam aut acquirit aut amittit; igitur aut antea infinite

(1) Cf. Bartmann, *o. c.*, p. 127.

(2) Quoad ulteriorem expositionem sententiae Origenis et Tertulliani de immutabilitate divina, cf. Le Bachelet, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu*, col. 1050-1052.

perfectum non erat, aut desinit esse infinite perfectum; atqui Deus est *infinite perfectus* a se et necessario » (1).

235. Objectiones:

Objectiones non raro afferuntur contra divinam immutabilitatem, tum ex creatione, tum ex diversitate effectuum quos in tempore producit Deus, tum ex exauditione precum, tum ex miraculo, tum ex ipsa libertate divina: has difficultates nunc proponemus, ex quarum solutione elucidabitur notio perfectissimae immutabilitatis divinae.

1ª, ex creatione,

1ª. Quodcumque de non agente fit agens, mutatur mutatione quae est ab otio in actum; sed Deus de non creante factus est creans; ergo Deus mutatus est.

R. *Dist. Maj.* Quodcumque de non agente fit agens *per operationem* quae est realiter distincta ab ipsius essentia... *conc.;* per operationem quae est realiter idem ac essentia ipsius, *nego.*

Contradist. min.

Explico verbis S. Bonaventurae: « Dicendum quod est agens quod est sua actio, et est agens quod non est sua actio. Agens quod non est sua actio, sic agit quod inter ipsum et effectum cadit medium quod disponit ipsum: [h. e. ipsa actio adveniens, qua agens fit actu agens] et tale agens nunquam fit agens de non agente, quin mutetur, quia novum quid sibi advenit. Sed agens quod est sua actio agit seipso, et ideo inter ipsum et effectum non cadit aliquod medium ipsum disponens, et ideo cum de non agente fit agens, quia nihil novum sibi accidit, ideo non mutatur; tale agens Deus est » (2).

236. Instantia,

Si actio creandi est ipsa essentia Dei, haec actio est aeterna, atqui haec actio non est aeterna: quia Deus non ab aeterno creavit; ergo actio creandi non est ipsa essentia Dei.

R. *Dist. Maj.* Haec actio creandi est aeterna *entitative* spectata. *conc.;* haec actio creandi est aeterna *terminative* spectata, *nego.*

Contrad. min.

Explico. Operatio *entitative* spectata est operatio prouti in se est, nempe est formaliter actus virtutis operativae; operatio *terminative* spectata est operatio prout haec actu attingit terminum et consequenter prout est in termino.

Porro in Deo omnis operatio *entitative* spectata est realiter idem ac ipsum esse divinum: in Deo enim agere est ipsum Esse: ergo omnis Dei operatio *entitative* spectata est aeterna sicut et quia ipsum esse divinum est aeternum.

Omnis operatio habet aliquem *terminum,* nempe aliquod objectum in quod operans operatione tendit et ad quod operatio terminatur. In operatione *immanente* terminus manet in operante, sive ille terminus sit aliquid simpli-

(1) Ita VAN NOORT, *De Deo,* n. 54, in compendio proponit argumenta data a S. THOMA, *Sum. theol.,* I, Q. IX, a. 1.
(2) *In I Sent.,* Dist. VIII, P. I, a. 2, q. 1, ad 3, t. I, p. 158.

citer productum, h. e. causatum secundum esse *physicum,* sive sit aliquid causatum tantum secundum esse intentionale (1). In operatione *transeunte* terminus est semper aliquid productum *extra* operantem.

Jamvero in Deo omnis operatio est formaliter immanens et qua talis, non solum entitative sed etiam terminative, aeterna. Sed datur tamen in Deo operatio quae, licet sit formaliter immanens, est tamen *eminenter* seu *virtualiter transiens,* cujus proinde *terminus est extra Deum:* haec autem operatio considerata prouti actu attingens *terminum* non est necessario aeterna. Etenim operatio Dei virtualiter transiens est Dei *volitio* qua vult ut extra se existant res, ut conserventur et regantur. Deus autem non *per naturam* seu *necessario* vult ut res sint extra se, sed *libere,* libertate nempe indifferentiae (2). Porro qui libere vult sequitur ordinationem intellectus; proinde effectus seu terminus, cujus existentia dependet a libera volitione, sequitur determinationem intellectus et imperium voluntatis. Sicut autem per intellectum determinatur rei factio et quaecumque alia conditio ita et praescribitur ei tempus (3).

Igitur licet Deus *ab aeterno velit,* tamen velle potest ut res *sint in tempore,* et in tali vel tali temporis differentia: consequenter licet operatio entitative spectata, nempe *volitio,* sit aeterna, tamen *effectus,* extraneus a causa (nempe res quae existunt per hanc volitionem) non est necessario aeternus (4).

Relatio dependentiae effectus a causa, est realis in ipso effectu qui incipit esse; non est realis in Deo, quia in ipso nulla est realis mutatio per productionem effectus seu per incoeptionem ejusdem.

Inde ad solvendam propositam difficultatem probe distinguenda sunt: a) *ipse actus Dei in se spectatus,* quia ratione quidem non vero re a divina essentia distinguitur; b) *terminus extraneus,* qui habet esse temporaneum, dependens a Deo sed ab esse divino realiter distinctum; c) *relatio* inter actum et terminum extraneum, quae in rebus productis aut mutatis habet fundamentum reale, minime vero in Deo (5).

Tandem quum ens non dicatur proprie causa nisi quando actu existit effectus, ideo Deus non dicitur creans, aut Dominus nisi relate ad effectus actu existentes: ideo Deus non dicitur creans, Creator, Dominus, ab aeterno, sed ex tempore, V. Suprà, n. 122.

237. 2ª, *ex diversitate rerum volitarum a Deo;*

2ª Velle diversa diverso tempore est mutari voluntate; atqui Deus vult diversa diverso tempore; ergo Deus mutatur voluntate.

R. *Dist. Maj.* Velle diversa diverso tempore... *per diversos actus volendi* est mutari voluntate, *conc.;* velle *unico actu voluntatis* diversa esse in diverso tempore est mutari voluntate, *nego.*

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 258-259.

(2) Cf. S. BONAVENTURA, *In II Sent.*, Dist. I, P. I, a. 1, q. 2, ad 5, t. II, p. 23.

(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.*, L. II, c. 35; *De Potentia*, Q. III, a. 17, ad 4; *Sum. theol.*, I, Q. XLVI, a. 1; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.*, in *Collat. Brug.*, t. VI, p, 339 et p. 346.

(4) Abstrahimus hîc ab ipso facto creationis quae fuit in tempore, et solvimus tantum difficultatem qua concluditur creationem *necessario* aeternam esse.

(5) Ita VAN NOORT, *o. c.*, n. 55.

Contrad. min. Deus vult diversa diverso tempore *per diversos actus voluntatis, nego;* Deus vult *unico actu* diversa esse diverso tempore, *conc.*

Explico. Deus unico actu, ab aeterno, vult quaecumque vult, et hic actus est realiter idem ac essentia divina. Non autem repugnat *actui* aeterno respondere effectum *temporaneum:* quia Deus ab aeterno velle potest ut talis effectus sit in tali tempore, alius effectus in alio tempore. Deus enim, utpote intelligens non solum potest velle ut aliquid fiat, sed etiam determinare adjuncta temporis in quo fiat. Quod S. Thomas illustrat exemplo: « Non solum ars determinat ut hoc sit, sed [etiam] ut tunc sit, sicut medicus ut *tunc* detur potus; unde si ejus velle esset per se efficax ad effectum producendum [quale est velle divinum], sequeretur de novo effectus ab antiqua voluntate, nulla actione [voluntatis] de novo existente » (1).

238. secundum datam solutionem intelligitur cur non repugnet Deum a) velle mutationes rerum,

Secundum idem principium explicatur quomodo possit Deus velle *mutationes* rerum. « Considerandum est, ait S. Thomas, quod aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis eâdem voluntate immobiliter permanente velle quod nunc fiat hoc, et postea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis inciperet velle quod prius non voluit, vel desineret velle quod voluit. Quod quidem accidere non potest, nisi praesupposita mutatione vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiae ipsius volentis » (2).

239. b) exaudire preces,

Nec aliter explicatur cur Deo non repugnet *exauditio precum,* quae ab hominibus fiunt. Deus enim ab aeterno *praecognovit* integrum ordinem rerum quem existere *voluit.* In hoc autem ordine omnes eventus cum omnibus adjunctis disposuit: ita v. gr., decrevit tale bonum ab ipso concedendum propter tales preces a tali homine faciendas. Non igitur tunc prius cognoscit Deus preces quando actu fiunt, sed ab aeterno eas cognovit, et proinde potuit ab aeterno de illis habere rationem, ita ut propter tales preces fiant tales effectus (3).

240. c) facere miracula.

Nec *miraculum* (4) immutabilitati divinae repugnat. Deus enim, quum sit Dominus supremus et omnipotens omnium rerum, omniumque operationum earum, potest, *interventu speciali,* producere entitates, vel immutare rerum quantitatem, aut qualitates, aut actiones et passiones; potest etiam impedire quominus eliciatur actio quae, connaturaliter in determinatis adjunctis, procederet ex suis causis proximis, vel impedire correlativam passionem; ita potest Deus causare effectus *extraordinarios,* qui nempe sunt praeter com-

---

(1) *Sum. cont. Gent.*, L. II, c. 35.

(2) *Sum. theol.*, I, Q. XIX, a. 7.

(3) « Non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum ». S. THOMAS, *Sum theol.*, II-II, Q. LXXXIII, a. 2.

(4) Miraculum describitur: « Effectus sensibilis, qui transcendit exigentiam et facultatem naturae totius ». Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. II, p. 420 s. Videsis DE POULPIQUET, *L'objet intégral de l'apologétique*, p. 92, 117, ID, *Le miracle et ses suppléances*, p. 160, 171, 177. Sed vide quae scripsimus de illis operibus in *Collat. Brugen.*, T. XX, p. 59, 154, 158. Circa notionem miraculi perutiliter leges dissertationem a cl. VAN DER HEEREN, conscriptam in *Collat. Brugen*, t. XXII, 1922, p. 338 ss.

plexum legum naturalium seu praeter cursum naturae (1). Sed illi effectus, licet extraordinarii relate ad cursum naturae corporeae, tamen ab aeterno cognoscuntur a Deo et disponuntur in integro ordine rerum, quem existendum decrevit: ab aeterno statuit Deus ut talis effectus extraordinarius efficeretur tali tempore (2).

241. 3ª, ex libertate divina.

3ª. Qui libere vult, ita vult ut possit non velle, atqui qui ita vult ut possit non velle, mutabilis est. Sed Deus libere vult; ergo Deus est mutabilis.

R. *Dist. Maj.* Qui libere vult, ita vult *ut possit non velle,* hoc sensu quod *terminus* seu objectum volitionis sit *contingens, conc.;* hoc sensu quod ipsa *actio* volendi, *entitative* spectata, sit *contingens, nego.*

Contrad. min.

Nego primum consequens et proinde secundum.

Explico. Consideremus oportet formalem rationem libertatis electionis seu indifferentiae, de qua hîc sermo est. Haec autem libertas formaliter consistit in physica immunitate a determinatione volitionis ad unum objectum: liber est ille qui *eligit,* nempe qui volendo accipit *hoc* prae *alio* seu *alio recusato* (3).

Oportet igitur ut *terminus* seu objectum actus volitionis, formaliter in quantum est terminus, sit contingens. Sed de formali ratione libertatis indifferentiae non est ut ipsa *actio* volendi sit contingens.

Deus unico et simplicissimo actu, qui idem est ac essentia sua, vult tum seipsum, tum alia a seipso diversa. Sed ad illa aliter et aliter *terminatur* actio volendi. Divina bonitas a Deo amatur *necessario* ut finis, adeoque divina bonitas est *terminus necessarius volitionis* divinae; alia vero bona, utpote participata et limitata, non sunt necessario volita a Deo, proinde sunt solum *contingens terminus* divinae volitionis: consequenter Deus *vult* illa *esse* vel *non esse,* et res sunt *contingenter,* licet dependeant a *necessaria* et aeterna *actione* volendi. « Adeoque pressius loquendo negandum est Deum libere *posse velle vel non velle* creare; sed dicendum est Deum *velle* ab aeterno et immutabiliter *creare* vel *non creare;* aliis verbis, uno eodemque indivisibili ac invariabili actu Deus se ipso vult se velle *et* seipsum, immutabilitatis necessitate, *et* alia, libera electione, ratione suae bonitatis et propter ipsam.

Igitur removeamus imaginationem quasi aliqua objective vel subjective causa sit divini velle, quasi nova determinatio sit voluntas creandi, sed solo intellectu consideremus summam libertatem et independentiam divinae voluntatis, in quo nihil ab extrinseco, sed omnia a se, nullus influxus externus sed omnia spontanea et intrinseca, contra ac in nostra voluntate » (4).

---

(1) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 458 ss.
(2) Cf. SORTAIS, *La Providence et le miracle devant la science moderne.* Paris, 1905, p. 65 ss.
(3) Ita S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. LXXXIII, a. 3.
(4) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, p. 346 s.

Corollarium. *Solus Deus est omnino immutabilis.* 242. *Solus Deus est omnino immutabilis.*

Etenim solus Deus est ens absolute necessarium et infinitum; adeoque solus necessariò existit et ita ut nihil perfectionis acquirere aut amittere possit. Alia omnia existunt contingenter et conservantur ab actione Creatoris, proinde possunt in nihilum redigi. Praeterea substantiae mere spirituales subjiciuntur mutationibus accidentalibus; substantiae materiales, tum substantialibus, tum accidentalibus (1).

ARTICULUS Vus. De aeternitate Dei.

Notio. 1° Permanentia entis cujuslibet in existendo est *duratio* ejus. Porro *triplex* datur duratio, cujus diversitas ab essentia rerum provenit, quum alia *aliter* in existendo permaneant. 243. *Notio durationis:*

a) Entia *materialia* et corruptibilia habent tum *initium* tum *finem*, et esse ipsorum est *successioni* subjectum. Quod apparet maxime in substantiis viventibus corporeis: hae enim *incipiunt* esse per generationem, deinde *successive evolvuntur:* crescunt et augentur per nutritionem, paulatim proveniunt ad plenam evolutionem facultatum et virium; postea *successive minuitur* sanitas ac decrescunt vires in illis, tandem moriuntur et sic *desinunt* esse per corruptionem. Illorum igitur entium ipsum esse continuo motui humorum aut qualicumque demum mutationi subjicitur, « ita scilicet ut ab ejusmodi vicissitudinibus pendeat perseverantia eorum in esse, hoc est, conservatio vel dissolutio compositi. Sed si substantia ipsorum motui proprie dicto subjicitur ab eoque pendet in ordine ad permanendum in esse, sequitur quod eorum permanentia non est tota simul, sed *successiva* et fluens, quia pro singulis momentis assignabilibus in cursu alicujus mobilis quod assumeretur in ratione mensurae, sunt in potentia intrinseca ad non esse » (2).

Ergo *duratio entium materialium* est, ratione suî, *successiva* ac initium habens necnon finem, seu *limitata.*

Porro illa duratio comparatur motui locali entium mobilium, et ita *mensuratur:* mensura autem ipsa durationis successivae et limitatae est, secundum S. Thomam, id quod vocatur *tempus.* Tempus enim definitur: *numerus motus secundum prius et posterius* (3): h. e. mensura durationis successivae quatenus haec duratio habet in se prius et posterius. Notemus illa verba S. Thomae: « Cum enim in quolibet motu sit successio et una pars post alteram, ex hoc quod *numeramus prius et posterius in motu, apprehendimus tempus,* quod nihil aliud est quam numerus prioris et posterioris in motu » (4). *temporis,*

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. IX, a. 2.
(2) Card. BILLOT, *De Deo*, thes XI, p. 129.
(3) ARISTOTELES, *L. IV Phys.;* S. THOMAS, *In I Sent.*, Dist. VIII, Q. III, a. 3. Quoad explicationem illius definitionis legatur DE JAEGHER, *o. c.*, n. 351.
(4) *Sum. theol.*, I, Q. X, a. 1; cf. I-II, Q. XXXI, a. 2.
Quomodo ratio temporis sit tum in re, tum in intellectu explicat DE JAEGHER, *l. c.*, cf. REMER, *o. c.*, t. II, p. 118.

aevi, *b*) Entia finita *immaterialia,* quoad substantiam considerata, initium habent per creationem, sed, ratione suî seu per se, non habent finem: naturaliter enim permanent in existendo in infinitum; praecise quia sunt essentialiter simplicia et spiritualia, ideo ipsorum esse substantiale non subjicitur motui nec ab eo dependet in ordine ad permanendum in esse. Attamen in illis entibus datur quaedam successio quoad accidentia, nominatim quoad operationes intelligendi ac volendi. Duratio talium entium (nempe angelorum, animarum humanarum in statu separationis post mortem, et hominum post resurrectionem) mensuratur *aevo* (1).

aeternitatis. *c*) Tandem datur ens omnino immateriale, infinitum, et prorsus ratione suî existens (*τό αὐτοεῖναι*) quod nec initium nec finem in essendo nec ullam mutationem aut successionem habere potest: hujus entis duratio est sine initio ac fine et absque ulla successione, estque *aeternitas.* Inde ad notionem aeternitatis duae pertinent notae: *interminabilitas,* seu carentia initii ac finis, et *immutabilitas,* seu carentia omnis possibilis motus aut successionis.

Ex dictis patet durationem *analogice* esse in tempore, in aevo et in aeternitate.

244. Definitio aeternitatis. 2° Scholastica definitio *aeternitatis* tradita est a Boëtio his verbis: *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio* (2).

Quae definitio bene explicatur a Kleutgen (3): « Dicitur 1. vitae *possessio* — ad exprimendum statum fixum et tranquillum, quia quod possidetur, firme et quiete habetur. 2. *interminabilis* vitae — ad negandum terminum, sive a quo coeperit, sive in quo desinat. Ut autem vere immutabile illud demum est, quod non solum non mutatur, sed nec mutari potest; ita vere interminabile non est, nisi quod terminari nullo pacto potest, quod igitur ex natura sua necessario semper vixit semperque victurum est. 3. *tota simul* — ad excludendam illam partium successionem, qua constituitur tempus. Ut enim corpora per partes juxta se positas loco se extendunt; ita temporaria durationem suam per partes sibi succedentes protendunt; quod vero aeternum est, totam suam vitam sine partitione simul possidens singulis momentis temporum totum adest. 4. *perfecta* — « In tempore enim, ait S. Thomas (4), est duo considerare; ipsum tempus, quod est successivum [successione partium constat], et *nunc* temporis, quod est imperfectum. Dicitur ergo *tota simul* ad removendum tempus, et *perfecta* ad excludendum *nunc* temporis. 5. Dicitur denique non essentiae sive existentiae, sed *vitae* interminabilis possessio, ut significetur, illius, quod aeternum est, operationem quoque sine successione partium adeoque totam simul et perfectam esse. »

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. X, a. 1.

(2) *De consolatione philosophiae,* L. V, prosa 6, P. L., t. 63, col. 858. Hoc egregium opus scripsit Boëtius, carcere inclusus, infra an. 524-526. De vita, operibus et influxu illius viri cf. GODET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Boëce,* col. 918 ss.; GRABMANN, *o. c.,* t. I, p. 149 ss.

(3) *De ipso Deo,* n. 345-347.

(4) L. c., ad 5.

Nota.

245. *Ulterior explicatio.*

1. S. Anselmus eamdem, quoad substantiam, proponit definitionem, sed locutione aliquantisper diversa: *Interminabilis vita simul perfecte tota existens* (1). Circa quam animadvertit Illmus L. Janssens: « Putamus anselmianam hanc aeternitatis definitionem ipsi boëtianae definitioni esse praeferendam, quum in duobus in quibus ab ea discrepat, majorem sibi vindicet profunditatem. Etenim a) constructio sine genitivo (*vita*) fortior est et efficacior ad significandum aeternitatem esse ipsum Deum, quippe cujus vita est ejus esse. — b) Vita *existens* pariter melius indicat aeternitatem mensurare τὸ esse ipsum Dei; dum vitae *possessio* identitatem inter possidentem et possessum minus valide exprimit » (2).

2. Quum duratio in sua formali ratione nihil aliud importet quam *permanentiam entis in essendo,* non includit *successionem,* proinde duratio proprie dici potest de Deo, licet non univoce de Deo et de creaturis (3).

Aeternitatis notio est *negativa quoad modum quo* a nobis *concipitur et exprimitur:* dicit enim durationem quà *interminabilem* et *immutabilem;* attamen aeternitas est perfectio *positiva quoad id quod concipitur:* est enim perfectissima permanentia entis in suo esse et in suo vivere (4). V. suprà, n. 201.

3. Differt realiter aeternitas ab aevo et a tempore: *aeternitas* est duratio entis omnino immutabilis, entis subsistentis per essentiam, atque adeo expertis omnis successionis; *aevum* est duratio entis immutabilis secundum substantiam, mutabilis secundum accidentia; *tempus* est duratio entis mutabilis tam secundum substantiam quam secundum accidentia (5).

4. Sicut suprà, n. 237, diximus immensitatem Dei non proprie consistere in hoc quod Deus sit in spatio imaginario, ita aeternitas Dei non proprie consistit in hoc quod Deus permaneat in tempore imaginario: tempus imaginarium est tempus quod concipimus ab omni re corporea separatum, illimitatum, ceteras durationes in se continens. Tempus imaginarium est ens rationis sine fundamento in re (6). — « Aeternitas non est aliud quam ipse Deus. Unde non dicitur Deus aeternus quasi sit aliquo modo *mensuratus;* sed accipitur ibi ratio mensurae secundum apprehensionem nostram tantum » (7).

Licet aeternitas, quatenus dicit *internam* durationem Dei, non sit realiter distincta a Dei vita, tamen ratione ab illa distinguitur formaliter, quatenus praeter existentiam connotat ejusdem permanentiam, adeoque concipitur aeternitas ut attributum *proprie dictum* essentiae divinae. V. suprà, n. 125. Ad rem S. Thomas: « Illud quod est vere aeternum, non solum est ens, sed vivens; et ipsum vivere se extendit quodam modo ad operationem, non autem esse. Protensio autem durationis videtur attendi secundum operationem magis quam secundum esse » (8).

246. *Deum esse aeternum est de fide,*

PROPOSITIO. **Deus est aeternus.**

Hoc est de fide. In concilio Nicaeno, an. 325, damnati sunt qui aeternitatem Filii negabant (9). In symbolo nuncupato a S. Athanasio affirmatur Dei aeternitas, quatenus haec asseritur de tribus divinis Personis: « Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus, et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus » (10). In concilio Rhemensi, an. 1148, canon 3 dicit: « Credimus solum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum

(1) *Monologium,* c. 25.
(2) *De Deo uno,* t. I, p. 385.
(3) De controversia quae exorta est de hac re cf. A. MICHEL, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol., cath.,* art. *Eternité,* col. 915.
(4) Cf. A. MICHEL, *Ibid.,* col. 918.
(5) Ita REMER, *o. c.,* p. 119 s.
(6) Ita GREDT, *o. c.,* t. I, n. 273.
(7) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I. Q. X, a. 2, ad 3; cf. *ibid.,* a. 5.
(8) *Ibid.,* a. 1, ad 2.
(9) *Enchir.,* n. 54.
(10) *Enchir.,* n. 39.

aeternum esse, nec aliquas omnino res... adesse Deo, quae sint ab aeterno, quae non sint Deus » (1). Deum esse aeternum definitur etiam in Concilio Vaticano, Sess. III, c. 1 (2).

247. demonstratur: A) ex S. Scriptura,

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura.

1. In V. T. In nomine, quod Deus ut sibi proprium manifestavit et cujus sensum explicavit, *Exod.* III, 13-15, continetur implicite, aeternitas: ens enim cujus natura est *ipsum esse,* absque ulla limitatione, existit necessariò et proinde absque initio aut fine; praeterea *necessario* est *quidquid* est: ergo nihil amittere aut acquirere potest, adeoque est immutabile in essendo. V. suprà n. 149.

In *Ps.* CI, 25-28 describitur perfecta immutabilitas Dei in essendo, per oppositionem ad alias res quae pereunt et subjiciuntur mutationi. V. suprà, n. 232. — Permanentia in essendo absque initio ac fine attribuitur Deo in *Ps.* LXXXIX, 2: « Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis: a saeculo et usque in saeculum tu es, Deus ». — Immutabilis existentia, superans durationem rerum creatarum, describitur ab Isaïa: « Quis haec operatus est et fecit? vocans generationes ab exordio; ego Dominus primus et novissimus ego sum [in hebr: ego Jahve primus et cum novissimis ego idem] » XLI, 4. Quem locum sic explicat Knabenbauer (3): « Talia is fecit qui est auctor cunctorum et moderator, qui ab initio universa creavit et universorum providentiam habet... et qui uti est omnium generationum auctor atque effector, ita tum etiam erit idem ipse, quando ultimae in temporum serie generationes existent, qui igitur sempiternus est atque immutabilis; quare his verbis ipsum nomen *Jahve, qui est,* declaratur ». Tandem in *Eccli.,* XVIII, 1, XLII, 21, asseritur Dei existentia absque limite.

2. In N. T. Divinae naturae praeexistentia et permanentia in essendo asseritur a Christo dicente: « Antequam Abraham fieret, ego sum » *Jo.* III, 58. Eadem in essendo permanentia, tamquam illimitata, exprimitur per ejus comparationem ad tempus, *Apoc.* I, 4: « Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat et qui venturus est ».

S. Paulus Deum, utpote super omne tempus existentem, vocat: « Regem saeculorum » *1 Tim.,* I, 17, sicut etiam vocatus fuerat Deus in V. T., v. gr. *Tob.,* XIII, 6, 12. Eadem idea exprimitur *Hebr.,* I, 2.

S. Petrus illimitatam et immutabilem Dei existentiam, comparatam ad temporaneam durationem, describit: « Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus » 2 *Petr.,* III, 8. Alludit hîc S. Petrus ad *Ps.* LXXXIX, 4: « Quoniam mille anni ante oculus tuos tamquam dies hesterna quae [quando] praeteriit ».

---

(1) *Enchir.,* n. 391.
(2) *Enchir.,* n. 1782.
(3) *Comment. in Isaïam,* t. II, p. 87.

B. Ex Traditione.

248. B) *ex Traditione,*

Jam Aristides, *Apol.* n. 1, divinam aeternitatem bene describit: « Quocirca ipsum Deum esse dico qui omnia procreavit atque conservat, quique sine initio est et aeternus et immortalis et nulla re indigens, omnibusque perturbationibus et defectibus sublimior, hoc est ira et oblivione et ignorantia reliquisque omnibus hujusmodi ». Aeternitas Dei asseritur etiam a S. Justino, *Dial.cum Tryph.,* n. 3; ab Athenagora, *Legatio pro christianis,* n. 4; a S. Theophilo Antioch., *Ad Autolycum,* n. 3. S. Gregorius Naz., *Orat.* 45, n. 3, P. G., t. 36, col. 625, ostendit Deum esse aeternum quia est: *Qui est.* Caeteroquin nulla fuit apud Christianos dubitatio vel controversia de aeternitate divina. Quidam Patres videntur hanc soli Patri attribuere (1), sed hoc est per *appropriationem,* de qua infrà erit sermo.

Aeternitatem Dei cognoscibilem esse sola naturali ratione habet S. Irenaeus, *Adv. Haer.,* L. II, c. 34, n. 2, P. G., t. 7, col. 835, qui illud attributum sic describit « sine initio et sine fine, vere et semper idem, et eodem modo se habens solus est Deus »; cf. L. III, c. 8, n. 3, col. 868; etiam Tertullianus, *Adv. Marc.,* L. I, c. 3, n. 28.

C. Ex ratione.

249. C) *ex ratione.*

Deus quum sit ens necessarium, a se, *primo* initium ac finem habere nequit, *deinde* omnem etiam mutationem seu successionem in essendo ac vivendo excludit (2).

Corollaria.

250. Solus Deus est aeternus,

1um. *Deus solus est aeternus.* Solus enim est ens necessarium, a se, prorsus immutabile.

Nec obstat quod quandoque *aeterna* dicantur entia creata, sicut ignis inferni, supplicium damnatorum, vita beatorum: tunc vocabulum *aeternum* non usurpatur sensu proprio et stricto, sed sensu improprio et lato, nempe ad designandam *durationem quae non habet finem,* licet initium habeat et etiam quamdam successionem.

Nec etiam obstat quod aeterna dicantur universalia, essentiae rerum abstractae, veritates. Illa sunt entia intentionalia; dicuntur autem aeterna, *negative,* quatenus ab omni duratione abstrahunt et sunt extra et supra rationem temporis. « *Universale,* inquit S. Thomas, dicitur esse ubique et semper, magis per remotionem quam per positionem. Non enim dicitur esse ubique et semper eo quod sit in omni tempore, sed quia abstrahit ab his quae determinant locum et tempus determinatum; et praeterea universalia non sunt subsistentia » (3). V. supra, n. 88. — Praeterea universalia, essentiae, veritates, considerari possunt formaliter ut termini cognitionis divinae et, qua tales, sunt *intentionaliter* in Deo ab aeterno. « Vera et necessaria,

(1) Cf. A Michel, *o. c.,* col. 917.
(2) Ita Van Noort, *o. c.,* n. 58.
(3) *Quodlibet,* XI, Q. I, a. 1, ad 2.

inquit S. Thomas, sunt aeterna, quia sunt in intellectu aeterno, qui est intellectus divinus solus; unde non sequitur, quod aliquid extra Deum sit aeternum » (1).

251. Res coexistunt aeternitati.

2um. *Res finitae seu creatae coexistunt aeternitati.*

Aeternitas est duratio immutabilis et infinita: inde quando res finitae *actu* existunt, tunc *simul* existunt ac Deus, quamdiu autem *durant* seu in suo esse permanent, tamdiu *coexistunt* durationi infinitae seu aeternitati divinae.

Sed aeternitas, quatenus est duratio prorsus immutabilis, est *nunc* stans (2) et illud « nunc aeternitatis invariatum adest omnibus partibus temporis » (3): igitur omnia quae in tempore existunt, coexistunt *toti* aeternitati; non autem *coexistunt* aeternitati quando non *actu existunt,* et proinde res temporales *non semper* coexistunt aeternitati. Et hoc intelligunt theologi quando dicunt res temporales *toti* quidem aeternitati coexistere, sed *non totaliter.*

252. Quaedam opinio dijudicatur.

Nota. Quidam theologi inter quos Alvarez, *De auxiliis gratiae,* L. II, Disp. VIII, n. 3 ss., Billuart, *De Deo,* Dissert. VI, a. 3, p. 170 ss., docent in aeternitate Dei res esse praesentes non solum objective et intentionaliter sed physice et realiter.

Imprimis caveamus a falsa interpretatione illius sententiae ac si illi auctores docuerint res, quacumque temporis differentia exstituras, in *suo esse physico* existere *ab aeterno.* Sententiam suam sic explicat Billuart, l. c. « Futura esse Deo praesentia in aeternitate dupliciter potest intelligi, objective scilicet seu intentionaliter et physice seu realiter. Objective quatenus divinae cognitioni repraesentantur ut praesentia secundum illud esse reale quod habebunt quando producentur. Physice quatenus realiter existunt in aeternitate. Aeternitas enim quamvis sit in se indivisibilis et tota simul, habet tamen quamdam extensionem virtualem, seu partes virtualiter distinctas correspondentes per analogiam ad diversas partes temporis praeteriti, praesentis et futuri; sicut esse divinum, licet sit simplicissimum, aequivalet tamen pluribus perfectionibus dispersis et distinctis in creaturis.

Quaeritur itaque utrum futura sint Deo praesentia non solum objective et intentionaliter, sed physice et realiter in aeternitate, non secundum se totam, sed prout correspondet virtualiter illi differentiae temporis in qua futura producentur et existent. *Non est ergo quaestio* utrum futura sint realiter Deo praesentia *per anticipatam illorum productionem in aeternitate,* distinctam ab illa qua producuntur in tempore; est enim haec intelligentia crassa et fidei contraria, cum sit de fide certum nihil esse ab aeterno productum, sed omnia in tempore; sed, ut dixi, utrum sint Deo realiter praesentia per coexistentiam virtualem ipsius aeternitatis ad illam differentiam temporis in qua aliquando existent. — Futura esse in Deo in aeternitate praesentia objective et intentionaliter non est dubium; cum enim Deus in se contineat omnes ideas et rationes quas res futurae habiturae sunt in tempore, eas in se cognoscit secundum illud esse reale quod habebunt dum producentur; quod est eas habere praesentes objective et intentionaliter. — *Dico:* Futura sunt in Deo in aeternitate praesentia non solum objective et intentionaliter, sed physice et realiter ».

---

(1) *Sum. theol.,* I, Q. X, a. 3, ad 3. Cf. JUNGMANN, *De Deo,* n. 154-157, qui bene notat ontologistas immerito, ex eo quod universalia apprehendimus ut aeterna, immutabilia, necessaria, argumentum petere quo demonstrari opinantur immediatam quamdam Dei visionem nobis adesse. V. suprà, n. 36 et 106.

(2) « Sicut enim causatur in nobis apprehensio temporis, eo quod apprehendimus *fluxum* ipsius *nunc,* ita causatur in nobis apprehensio aeternitatis, in quantum apprehendimus *nunc stans* ». S. THOMAS. *Sum. theol.,* I, Q. X, a. 2, ad 1.

(3) S. THOMAS, *In I Sent.* Dist. XXXVII, Q. II, a. 1, ad 4.

Illa tamen sententia non videtur admittenda, saltem quoad modum loquendi. Nam res temporales, *dum existunt,* coexistunt quidam physice et realiter aeternitati, etiam *toti* aeternitati, quia aeternitas est indivisibilis. Sed antequam existunt, res illae non sunt physice et realiter praesentes Deo, sed objectve et intentionaliter tantum. Deus quidem *ab aeterno* futura absoluta cognoscit et vult esse, ideo *cognoscit* et *vult* illa *secundum esse physicum et reale,* quod habent in rerum ordine quem Deus realizandum decrevit, et in hoc sensu cognoscit Deus omnia ut praesentia (1); attamen res ita ut praesentes cognitae a Deo, non habent esse physicum et reale, sed intentionale seu objectivum: sunt formaliter *termini* divinae cognitionis et volitionis. Quapropter dici nequit *futura* esse Deo *in aeternitate praesentia physice et realiter;* sed recte dicitur: a Deo futura cognoscuntur ab aeterno ut praesentia, et dum actu existunt, physice et realiter coexistunt toti aeternitati. V. infrà, n. 405.

ARTICULUS VI^us^. **De unicitate Dei.**

253. Unitatis et unicitatis notio.

Notio. *Unum* dicit *indivisum.* « Unum nihil aliud significat quam ens indivisum. Et ex hoc ipso apparet quod unum convertitur cum ente. Nam omne ens aut est simplex aut compositum. Quod autem est simplex, est indivisum et actu et potentia. Quod autem est compositum, non habet esse, quamdiu partes ejus sunt diversae, sed postquam constituunt et componunt ipsum compositum. Unde manifestum est quod esse cujuslibet rei consistit in indivisione. Et inde est quod unumquodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem » (2).

His verbis describitur entis unitas *intrinseca* seu *formalis* (3).

Unicum dicitur id quod excludit consortium aliorum in ea ratione qua dicitur unicum. Inde omnino unicum est illud ens cujus natura nequit numero multiplicari, neque inveniri in pluribus individuis distinctis.

Illud ens, quod nomine *Deus* designamus, esse perfecte *unum intrincese* jam demonstravimus ubi omnimodam simplicitatem ejusdem exposuimus; imo Deus est *maxime unus,* tum quia est maxime *ens,* utpote ipsum Esse subsistens, tum quia est maxime *indivisus,* utpote omnibus modis simplex, et proinde nec actu nec potentia dividitur secundum quemcumque modum divisionis (4). Nunc vero intendimus demonstrare illud ens esse necessario *unicum,* seu non nisi unum posse esse Deum.

PROPOSITIO. **Unicus est Deus.**

254. Unicum esse Deum est de fide

Hoc explicite continetur in Symbolo Nicaeno et Athanasiano, et definitur in Conc. Later. IV et Conc. Vatic (5).

---

(1) De hoc redibit sermo ubi de modo cognitionis divinae agemus. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. IV, p. 499 ss.
(2) S. THOMAS, *Sum. Theol.,* I, Q. XI, a. 1.
(3) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 205 ss.
(4) Ita S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XI, a. 4.
(5) *Enchir.,* n. 54, 39, 428, 1782.

et demonstratur:
A) ex S. Scriptura,

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura (1).

a) In V. T. Illud ipsum ens quod « in principio creavit coelum et terram » et est Deus patriarcharum Israël, declaravit se esse *Qui est* (v. suprà, n. 149). Ipse est *Dominus colendus,* nec alii sunt ut dii habendi coram ipso, *Exod.,* XX, 2-5. Ipse est unicus et solus diligendus toto amore cujus homo capax est: « Audi Israël: Dominus Deus noster, Dominus unus est [h. e. Dominus Deus noster est unicus Dominus]. Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua » *Deut.,* VI, 3-4. Hic est *solus Deus* et ipsi competit plenum jus in homines: « Videte quod ego sim solus et non sit alius Deus praeter me: ego occidam et ego vivere faciam: percutiam et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere » *Deuter.,* XXXII, 39. Hic est *universalis Deus* qui in vires naturae (in Aegypto) agit, illasque dominatur ut ostendat se esse Dominum universae terrae. *Exod.* IX, 29 ss (2).

In *Psalmis* idem describitur ut universalis et unicus Deus: etenim ipse omnes gentes regit et de tota terra disponit, *Ps.* II, 7-8. « Quis Deus praeter Dominum? [h. e. Quis est Deus nisi Jahve solus] » *Ps.* XVII, 32. Ipsius est universus mundus, quem condidit ipse: « Domini [Jahve] est terra et plenitudo ejus [h. e. omnia quae implent eam], orbis terrarum et universi qui habitant in eo: quia ipse super maria fundavit eum et super flumina praeparavit [stabilivit] eum » *Ps.* XXIII, 1-2. Hic Deus est aeternus. *Ps.* LIV, 20.

Isaïas, II, 4, docet Jahve esse dominum et judicem omnium gentium; ipsumque exhibet sic loquentem: « Ego primus et novissimus et absque me [h. e. praeter me] non est Deus » XLIV, 6.

Ad rem Knabenbauer (3): « Jahve, Deus foederis, qui ut talis rex est populi theocratici et ejus vindex ac redemptor, qualis fuit olim et erit in posterum, Dominus exercituum, cui praesto sunt agmina omnia coelestia et terrestria... cui itaque adest potentia exsequendi promissa: ipse est ab aeterno *primus* et usque in aeternum *ultimus,* ita quidem ut sua potentia omne quod existit complectatur neque quidquam sine eo existere vel permanere possit; sic revera est *primus* et *ultimus* in ordine existentium, uti omnia complectens ita omnia excedens, uti omnia ambiens et circumdans ita super omnia et extra omnia infinite se protendens. Tamquam talis simul et unicus; unde *praeter me non est Deus* ».

His textibus apparet dogma de *Deo absolute unico* esse fundamentale in doctrina religiosa populi Judaïci ab initio existentiae ejus, nec agi de Deo quodam mere *nationali* illius populi.

b) In N. T. Christus docet vitam aeternam, vel primariam conditionem hujus vitae possidendae consistere in cognitione *unici veri Dei.* Jo. XVII, 3. Hoc dogma firmum et invariatum remansit licet revelatum fuerit dogma

---

(1) Cf. Pohle, *o. c.*, p. 116 ss.; Bartmann, *o. c.*, p. 122; Mangenot, ap. Vacant-Mangenot, art. *Dieu,* col. 963 ss.

(2) Citatis textibus constat persuasionem de unicitate Dei seu *Monotheismum* non tantum *tempore Prophetarum* fuisse populo Israël invectam, sed jam a Moyse tamquam primariam doctrinam fuisse edoctam et praesuppositam legislationi impositae populo illi.

(3) *Comment. in Isaïam,* t. II, p. 150.

de tribus Personis divinis. Haec fides non impedivit Apostolos quominus praedicaverint unum esse Deum. Ita, v. gr. S. Paulus dicit: « Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus nisi unus [h. e. quia nullum est idolum in mundo et quod nullus est Deus nisi unus] » *1 Cor.* VIII, 4.

B. Ex Traditione.

255. B) *ex Traditione,*

Unicitatem Dei ut dogma doctrinae Christianae asseritur a S. Ignatio M,. ab apologetis, a S. Irenaeo, etiam a Symbolis, quae ut primariam veritatem credendam ponunt Deum unum, qui est Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

S. Ignatius, *Magn.* VIII, 2: « Unus est Deus, qui se ipsum manifestavit per Jesum Christum, Filium ejus, qui est Verbum ejus e silentio progressum. »

Aristides, *Apol.* n. 1, 4, ipsum dicit esse Deum qui omnia creavit et conservat, qui sine initio est, et aeternus et immortalis, hic est verus Deus, qui incorruptibilis est et immutabilis et invisibilis. Idem docent S. Justinus, *Dial. cum Tryphone,* n. 5; Tatianus, *Or. adv. Graecos,* n. 4-5; Athenagoras, *Legat. pro christianis,* n. 10 qui dicit: « Satis igitur demonstratum a me est atheos nos non esse, qui unum ingenitum et aeternum tenemus Deum... »; S. Theophilus Antiochenus, *Ad Autolycum,* L. I, n. 5-6.

S. Irenaeus, *Adv. Haeres.*, L. I, c. 10, n. 1: « Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terrae seminata et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem...; et in unum Jesum Christum, Filium Dei...; et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei ». S. Irenaeus, *o. c.,* L. II, c. 1, demonstrat non posse esse nisi unicum Deum.

C. Ex ratione.

256. C) *ex ratione:* 1) *idem ac unum est ens cujus existentia fuit suprà demonstrata;*

1° Hic locus est demonstrandi unum idemque esse illud ens, cujus existentiam demonstravimus (v. suprà, n. 58 ss.), sub alia et alia formalitate. Quod sic probatur.

Etenim *a*) *motor primus immobilis* est causa absolute prima omnis mutationis seu omnis transitus de potentia ad actum existentis in qualibet differentia temporis aut aevi: in ipso autem motore immobili nullus datur transitus de potentia ad actum, quapropter in ipso agere est semper in actu et agere est idem ac esse, ipse proinde est actus absolute purus, seu plenitudo essendi, seu infinitum in perfectione. *b*) *Prima causa efficiens incausata* est realiter idem ac *ens omnino necessarium,* ut ex suprà dictis constat, et proinde est ipsum Esse subsistens, et infinitum in perfectione. *c*) Etiam illud quod est *summe ens* nequit esse realiter aliud quam ipsum Esse subsistens et infinitum in perfectione. Ergo eadem est essentia quae nobis manifestata est sub ratione primi motoris immobilis, primae causae efficientis incausatae, entis omnino necessarii, summe entis: haec porro essentia nequit multiplicari seu est unica, quia *a*) est ipsum Esse subsistens, *b*) quia est ens infintum: de quo statim infrà demonstrabitur necessaria unicitas. *d*) Tandem *intellectus,* qui est causa ordinis vigentis in rebus mutabilibus, factis, contingentibus et limitatis, debet esse ejusdem entis quod est causa prima existentiae et operationum rerum in quibus viget ordo. Ergo unicum

est illud ens cujus demonstravimus existentiam per quinque diversa argumenta.

257. 2) *Dei unicitas demonstratur ex simplicitate et ex infinitate Primae causae;*

2° Demonstravimus primam causam efficientem incausatam seu Deum esse *a*) omnino *simplicem, b*) *infinitum* in perfectione. Jamvero ex utraque ratione infertur hoc ens esse necessario unicum (1). Etenim: *a*) quia Deus est omnino simplex, ideo natura seu essentia divina est ipsum Esse subsistens (v. suprà, n. 160), proinde nequit haec natura contrahi vel individuari per aliquam differentiam absolutam; secundum hoc, considerando essentiam divinam, idem est quo Deus est *Deus* et quo est *hic Deus* (2). Hoc posito dico: illud quo aliquid est *hoc aliquid* nequit multiplicari seu communicari pluribus individuis; atqui in Deo id quo est *hic Deus* est idem quo est *Deus* seu essentia divina; ergo essentia divina nequit multiplicari seu est necessario unica. Quod explicatur hoc exemplo: illud unde Socrates est *homo* multis multiplicari potest; sed id unde est *hic homo* nequit aliis communicari, et non nisi ipsi inesse potest. Si ergo Socrates per id esset *homo* per quod est *hic homo:* sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines.

b) Si essent duo (vel plures) dii oporteret eos differre, oporteret aliquam perfectionem convenire uni, quae non convenit alteri; atqui hac ratione unus aut alter, vel neuter esset infinite perfectus, nec esset Deus. Sane si in natura unius deesset aliqua perfectio absoluta quae inest alteri, ille non esset infinite perfectus. Si supponuntur omnino similes et distincti eo tantum quo constituuntur *individui* seu *singulares,* hoc ipsum singulis esset exclusive proprium, consequenter nec formaliter nec eminenter in altero contineretur, adeoque neuter esset infinite perfectus (3).

258. *confirmatur ex ordine universi.*

Confirmatur thesis ex *ordine universi.* Tertium argumentum adjungit S. Thomas duobus suprà expositis, licet, si solum sumatur, non ducat cum eodem rigore ac duo praecedentia, ad Dei unitatem absolute consideratam.

In hoc universo invenitur ordo constans et pulcherrimus, porro hujus effectus non datur ratio sufficiens nisi sit una intellectualis conceptio (objective sumpta, *un plan unique*) regens omnia entia. Una tamen ratio ordinis potest inveniri apud plures, intellectu praeditos, qui simul conveniunt de uno ordine statuendo, ideo ex ordine solo universi nequit inferri unicitas intellectus physici regentis mundum. — Si vero consideratur quod conceptio intellectualis ordinans omnia debet necessario inveniri in causa prima incausata totius mundi et quod haec prima causa est unica, ut suprà demonstratum est, tunc confirmatur assertio unicitatis Dei ex considerato ordine universi.

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XI, a. 3; Card. BILLOT, *De Deo,* thes. XII, p. 137 ss.; VAN NOORT, *De Deo,* n. 46.

(2) In praesenti abstrahimus a mysterio SS. Trinitatis. Quando dicimus idem est quo Deus est *Deus* et quo est *hic Deus,* intelligimus essentiam divinam per semetipsam esse *singularem,* nempe esse *subsistens incommunicabile* pluribus quae haberent *aliud atque aliud esse.* Deus quum ipse sit essentialiter ipsum Esse per se subsistens est omnino singularis. V. suprà, n. 177. Cf. Card. BILLOT, l. c., p. 141 s.

(3) Idem, quoad substantiam, argumentum exponunt TERTULLIANUS *Adv. Marc.*, L. I, c. 3; BOËTIUS, *De consolatione philosophiae,* L. III, prosa 10, P. L., t. 63, col. 766 s.

Scholia.

1um. *Unicitati divinae opponuntur* POLYTHEISMUS et DUALISMUS (1).

259. Polytheismi notio et falsitas,

A. *Polytheismus* est cultus plurium deorum vel doctrina tenens plures existere deos eosque esse colendos. Nomine *dii* designantur entia personalia, hominibus superiora, a quibus bonum est sperandum vel malum timendum, quae plerumque honorantur praesertim ut protectio eorum obtineatur aut arceatur persecutio. Polytheismo non obstat quominus unus Deus habeatur ut aliorum Dominus, vel etiam quin admittatur notio confusa alicujus Entis supremi; ille error substantialiter consistit in hoc *a*) quod plura entia teneantur ut convenientia in uno transcendentali ordine, et decorentur communi nomine *dii,* necnon digni censeantur culto religioso; *b*) quod veri Dei non agnoscatur absoluta et infinita diversitas ab omnibus aliis entibus, nec illi soli tribuatur cultus qui ipsi soli convenit, et proinde negetur *unicitas* Dei. Hinc polytheismus, formaliter consideratus, differt ab atheismo stricte dicto (v. suprà, n. 99), licet logice ducat ad atheismum. Sicut unicitas Dei est veritas revelata, ita polytheismus est haeresis. Saepe in V. T. condemnatur polytheismus et paganorum dii dicuntur non-dii, 4 *Reg.* XIX, 19; *Jer.* II, 11; dicuntur *nihila,* Ps. XCV, 5. — Concilium Vaticanum edidit hunc canonem 1: « Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium creatorem et Dominum negaverit, a. s. » (2).

Non semper facile est discernere apud populos incultos utrum homines, simulacra, bestias, corpora coelestia habeant ut ipsos deos et illa adorent cultu absoluto, an illas res teneant ut signa vel symbola alicujus entis superioris et tantum relativo cultu honorent (3).

Causa polytheismi duplex assignatur a S. Thoma: a) causa *dispositiva* est in ipso homine et quidem triplex: *α*) inordinatio affectus, prout scilicet homines aliquem hominem vel nimis amantes vel nimis venerantes, honorem ei divinum impenderunt; *β*) delectatio quam sumunt homines in repraesentatione sensibili rerum immaterialium;) ignorantia veri Dei; — b) causa *consummativa* est operatio daemonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa et aliqua, quae videbantur hominibus mirabilia, faciendo (4).

Origo polytheismi a multis rationalistis explicatur per *evolutionem,* quatenus sit aliquod stadium ad quod, in religione exercenda, successive pervenerunt homines antequam adhaeserint monotheismo (5). Secundum catholicam doctrinam tenendum est monotheismum fuisse religionem a Deo revelatam primis hominibus et proinde polytheismum esse sequelam errorum quibus, amissa recta Dei notione, obcaecati fuerunt homines (6).

B. *Dualismus* est doctrina quae admittit duo summa principia, alterum bonum, malum alterum, quorum unum est auctor boni, mali autem alterum. Hoc admissum fuit ut explicaretur existentia mali in hoc mundo.

260. Dualismi notio et falsitas.

(1) Cf. POHLE, *o. c.*, p. 118 ss.
(2) *Enchir.*, n. 1801.
(3) Cf. LEBRETON, *Les origines du dogme de la Trinité*, p. 2 ss.
(4) *Sum. theol.*, II-II, Q. XCIV, a. 4.
(5) De notione *religionis* et de theoria *evolutionis religionum*, cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 573 ss., t. XIX, p. 30 s.; de falsis opinionibus circa originem et naturam *religionis*, cf. MICHELET, ap. D'ALÈS, *dict. apol. de la foi cath.* art. *Religion*, col. 857-907.
(6) Cf. DE BROGLIE, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*, ch. IV; SCHMIDT-LEMONNYER, *La révélation primitive*, ch. IV, § 3.

Ulterius distinguunt eruditi duplicem dualismum, quorum unus *absolutus* statuit duo summa principia, improducta et aeterna, ab invicem independentia; alter *mitigatus* statuit unum principium summum, ut auctorem boni, alterum, nempe materiam malam, ut mali principium; vel statuit unum quidem principium absolute supremum, sed immediate sub eo duo principia secundaria, unum bonum, malum alterum (1).

S. Bonaventura, *in II Sent.*, Dist. I, P. I, a. 2, q. 1, t. II, p. 26, dualismum sub triplici forma breviter indicat et refutat: « Quaestio de pluralitate principiorum tripliciter potest intelligi... Potest enim quaeri utrum plura sint principia quorum utrumque bonum... Potest... quaeri utrum plura sint principia, ita quod unum sit summe bonum, alterum vero summe malum, ita quod ab uno sit omne bonum, ab alio omne malum... Potest etiam quaeri utrum plura sint principia, quorum unum sit principium incorruptibilium, aliud sit principium corruptibilium et visibilium...

« Caput autem et principium erroris damnat omnis philosophia, quod duo sint prima: tum quia ordo universi destruitur hoc posito, tum etiam quia divina potentia limitatur ex hoc ut non possit corporalia producere, tum etiam quia ex hoc divina essentia circumscriptibilis ponitur, ut tantum sit in regione lucis; et si haec vera sunt nec Deus est Deus, nec aliquid est bonum ».

Unicitati divinae contradicit dualismus absolutus, quatenus statuit duo summa principia ab invicem independentia; etiam mitigatus, quatenus infitiatur omnimodam totius complexus rerum dependentiam ab unico Deo. Falsum esse dualismum constat ratione: nam malum est privatio boni, est carentia alicujus perfectionis in ente in quo haec perfectio deberet esse; malum igitur non est ens, consequenter non habet causam *per se* sed *per accidens* tantum; nec dari potest principium quod sit per se, seu ratione suî, causa mali ut sic; tandem repugnat prorsus principium absolute malum.

Dualismus contradicit etiam doctrinae revelatae: Deus enim unicus est, auctor totius complexus rerum existentium, in quo complexu sunt etiam mala; jamvero mala a Deo unico dependent aliquo modo: vult enim per accidens mala physica et permittit mala moralia seu peccata; omnia mala ab ipso cognoscuntur et ordinantur, ut infrà explicabitur. In S. Scriptura exhibetur Deus ut auctor malî physici: « Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum, ego Dominus faciens omnia haec ». *Is.*, XLV, 5-7 (2). Omnia igitur et prospera et adversa a Dei nutu pendere asseritur. Etiam Pharaonis inordinatam agendi rationem Deus sibi aliquo modo attribuit: « Ego indurabo cor ejus ». *Exod.*, VII, 3. S. Paulus, *Rom.*, IX, 18, de Deo dicit: « Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat ». Deus nempe pro beneplacito suo misericordiam suam alicui exhibet aut non exhibet (3). Quod explicat S. Augustinus: « Non indurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam » *Epist.* 194, c. 3, n. 14, P. L., t. 33, vol. 14

Dualismus est error antiquus, qui apud Persas vigebat (4); etiam cuidam dualismo adhaeserunt gnostici (5), postea Manichaei, quorum assecla fuit Augustinus

(1) Cf. JUNGMANN, *De Deo*, n. 84; VAN NOORT, *De Deo*, n. 48.
(2) Cf. KNABENBAUER, *Comment. in Isaïam Prophetam*, t. II, p. 175 s.
(3) Cf. CORNELY, *Comment. in epist. ad Romanos*, p. 505 s.
(4) Cf. CARNOY, ap. HUBY, *Christus*, Paris, 1912, p. 183, 197, ss.
(5) Quos impugnabat S. Irenaeus, cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu*, col. 1036.

qui post suam conversionem illam haeresim strenue impugnavit (1). Concilium Florentinum damnavit Manichaeorum insaniam, qui duo principia posuerunt, unum visibilium, aliud invisibilium; et alium Novi Testamenti Deum, alium Veteris esse Deum dixerunt » (2).

261. Monotheismus populi israëlitici defenditur contra objectiones.

2um. *De monotheismo in Israël* (3). Suprà, n. 254, ex textibus librorum, quos habemus ut inspiratos a Deo et ab omni errore immunes, demonstravimus unicitatem Dei esse a Deo revelatam et supposuimus hanc persuasionem fuisse apud Patriarchas israëliticos, Abraham, etc., et viguisse ab initio in populo Israël (4), licet interdum pars quaedam populi temporaliter ceciderit in cultum falsorum numinum.

Sed Rationalistae contendunt Israëlitas non nisi a saeculo VIII vel VII ante Christum ad verum monotheismum pervenisse: ante Moysen, ita dicunt, non secus ac reliqui semitae, polytheismum sequebantur; a tempore Moysis, relictis paulatim aliis diis, soli Jahve adhaerere coeperunt, non ut unico Deo vero, sed ut Deo nationali, et, aliis diis non exclusis sed neglectis, illum cultu crassiori prosequebantur (*henotheismus*). Denique agentibus prophetis ad puriorem Dei notionem ascenderunt et ita Jahve ut supremum Legislatorem et exemplar moralitatis, necnon ut universi mundi Dominum et proinde ut solum verum Deum coeperunt colere: hic est *monotheismus*, proprie dictus (5).

Illa theoria defenditur tum argumentis *a priori*, nempe nixis negationi omnis supernaturalis influxus Dei et affirmationi universalis evolutionis etiam in religione; tum argumentis *a posteriori*, nempe fundatis in factis quibusdam relatis in libris Veteris Testamenti, in quibus factis contendunt Rationalistae se vestigia detegere primarum formarum religionis, v. gr. animismi, fetichismi, totemismi, etc. Illa duo argumentorum genera ex professo refutare non est hic locus (6).

Sufficiat animadvertere argumenta *a priori* niti falso supposito; argumenta *a posteriori* refutari recta interpretatione factorum, quae objiciuntur, qua interpretatione constat illa facta explicari alia ratione ac est forma quaedam falsae religionis.

262.

Quaedam in exemplum notemus.

a) Fetichismi vestigium esse contendunt in hoc quod Jacob lapidem in monumentum erexit, unxitque oleo et ut rem sacram habuit (*Gen.* XXVIII, 11 ss.).

Sed hujus facti explicatio datur quin ullum admittatur vestigium fetichismi. Etenim Jacob ut Deum adorat Jahve qui apparuit ipsi, et propter hanc specialem Dei manifestationem in hoc loco, lapidem, super quem caput in somno reposuerat, erigit in monumentum et ungit ut sit locus sacer: ratio ergo propter quam colitur hic lapis est *relatio* specialis ad verum Deum, adeoque nihil aliud hîc

(1) Cf. PORTALIÉ, ap. VACANT-MANGENOT, *o. c.*, art. *Augustin*, col. 2269 ss.
(2) *Enchir.*, n. 707.
(3) Cf. VAN NOORT, *De Deo*, n. 49.
(4) Cf. NIKEL, ap. HUBY, *Christus*, p. 596 ss.
(5) Doctrina, qua unus admittitur ut Deus, licet non excludatur alios posse esse Deos, vocatur *henotheismus;* cultus qui, in hac hypothesi, illi uni, v. gr. deo nationali, redditur, vocatur *monolatria*.
(6) Cf. NIKEL, *o. c.*, p. 596 ss.; ILLmus ac REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. IX, p. 553; *Médit. théol.* t. II, p. 209 ss.

habetur quam cultus relativus ad verum et unicum Deum. In actione Jacob non alia ratio cultus apparet quam in actione pontificis christiani consecrantis lapidem qui erigitur in altare, ut in ipso offeratur Deo verum sacrificium.

b) *Animismi* vestigium esse asserunt quidam in *igne*, quatenus illi specialis relatio cum divinitate connectitur, ita ut sit quasi deificatio quaedam: v. gr. in igne apparet Deus Moysi (*Exod.*, III, 2); igne destruitur civitas Sodomorum (*Gen.*, XIX, 24); Elias igneo curru ad coelum assumitur (4 *Reg.*, II, 11).

Nisi in perversum sensum detorqueantur illae narrationes, constat ignem esse veri Dei instrumentum quo sensibiliter apparet, quo punit peccatores, quo glorificat servum suum (1). — Etiam Spiritus Sanctus apparuit sub sensibili forma linguarum ignearum (*Act.*, II, 3) quibus Deus utebatur instrumento ut *externe* manifestaret internam operationem in animis Apostolorum et illius operationis naturam *symbolo* externo indicaret.

c) Cujusdam *polytheismi* vestigium quidam viderunt in vocabulo Elohim, quod est in forma *plurali*.

Haec autem opinio refutatur ex animadversione quod, in lingua hebraïca, dantur alia nomina in forma plurali, quae tamen non designant pluralitatem vel collectionem entium ejusdem ordinis: v. gr. vocabula quae significant coelum (Schamaïm), aquam, vitam, habent formam pluralem. Praeterea vocabulum Elohim adhibetur cum adjectivo vel verbo in forma *singulari*, quando designat illum quem ut Deum habent hebraei; cum adjectivo vel verbo in forma *plurali*, quando indicat gentilium deos.

d) *Monolatriae* vestigium censent contineri in hoc quod non raro fit sermo de Deo ut de Deo *proprio* populo israëlitico, ut de illo quem ut Dominum agnoscebant Israëlitae, licet non excluderent alios esse vere Deos apud alios populos.

V. gr. « Vos qui adhaeretis Domino Deo vestro » *Deuter.*, IV, 4. « Nec est alia natio tam grandis quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris ». *Ib.*, 7. In multiplici maledictione describenda, quae praedicitur ventura in transgredientes legem, ait Moyses: « Ducet te Dominus et regem tuum quem constitueris super te in gentem, quam ignoras tu et patres tui: et servies ibi diis alienis, ligno et lapidi: *Ib.*, XXVIII, 36.

Quod Hebraei loquuntur de Jahve tamquam de Deo *suo*, hoc explicatur quia Jahve specialem relationem instituerat cum illo populo, quam non habebat cum aliis: non enim tantum erat creator, gubernator Israëlitarum, qualis est respectu omnium hominum ac populorum, sed insuper supernaturali revelatione et miraculis populum Israël docebat, regebatque illorum societatem *civilem* (2): quapropter speciali ratione erant Israëlitae populus Dei et Jahve Deus *illorum*. Haec notio non impediebat quominus Israëlitae hunc ut Deum unicum et universalem agnoscerent, sicut constat ex textibus primo loco citatis suprà, n. 261 (3). — Quantum ad textum *Deut.*, XXVIII, 36, haec est ironica expressio infelicis status in quo versaretur populus si legem Dei transgrederetur: tunc non jam Deo reddere posset cultum debitum, sed, subjectus populo idololatrae in conditione esset ut adoraret deos alienos, nempe lapideos et ligneos, proinde falsos.

ARTICULUS VII^us. **De veritate, bonitate, pulchritudine Dei.**

263. Omne ens, in quantum ens, est unum, verum, bonum (4): inde Deus quum sit summe ens, est etiam maxime unum, verum, bonum. De unitate egimus suprà, n. 260; remanet ut exponamus quid importet veritas et bonitas. Postea loquemur de pulchritudine quae est quasi species bonitatis.

(1) Sive agatur hîc de igne reali, sive de alio phaenomeno quod metaphorice vocatur ignis.

(2) Cf. NIKEL, *o. c.*, p. 613 ss.

(3) Jam ipsi Abraham revelat se Deum tamquam Deum omnium gentium: « In te benedicentur universae cognationes terrae ». *Gen.*, XII, 3, cf. XVIII, 18, XXII, 18. « C'est ainsi qu'au particularisme qui trouve son expression dans l'élection d'Abraham s'oppose dès le début l'idée de l'universalisme: le salut devait venir à tous les peuples de la terre par l'entremise du descendant promis par Dieu à Abraham ». NIKEL, *o. c.*, p. 597.

(4) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 204 ss., 215 ss.

§ I.

De veritate divina (1).

264. Notio veritatis, ontologicae, logicae, moralis.

Notio. Veritas universim importat aliquam *intentionalem adaequationem intellectus et rei.*

Inde triplex distinguitur veritas *a*) alia *in cognoscendo,* seu *logica, b*) alia *in essendo* seu *ontologica, c*) alia *in significando* vel *loquendo,* seu *moralis,* quae potius *veracitas* seu *sinceritas* dicitur.

Veritas in cognoscendo seu *logica* est formaliter *conformitas cognitionis cum re,* nempe *judicii* (sive formaliter, sive eminenter) conformitas cum realitate, quatenus nempe subjectum cognoscens dicit esse id quod reapse est vel non esse id quod reapse non est (2).

Veritas logica est in intellectu cognoscente: haec veritas, quatenus in Deo est, spectat intellectum divinum.

Veritas in loquendo, seu *moralis,* est conformitas locutionis cum interna mente seu sententia loquentis, prout nempe a voluntate dependet illa conformitas. Quapropter haec pertinet ad ordinem moralem et datur virtus moralis, nuncupata veracitas seu sinceritas, quae inclinat seu disponit ad dicendum verum; huic opponitur *mendacium.* Veracitas divina pertinet ad voluntatem Dei.

Veritas *in essendo* seu *ontologica* est conformitas rei ad intellectum, nempe: « Veritas quae est in ipsa re nihil est aliud quam entitas intellectui adaequata vel intellectum sibi adaequans » (3).

Porro duplex distinguitur intellectus, *speculativus* et *practicus.* « *Speculativus* est quo propriae rerum formae ac naturae, quas scil. res penes se habent extra mentem, *intentionaliter repraesentantur... Practicus* vero intellectus est quo rerum naturae *idealiter praeformantur* ut in causa exemplari: *cui* si res *assimilentur,* inde *propriam* ipsae sortiuntur *formam ac speciem,* et fiunt *ontologice verae* » (4).

Essentiae autem divinae nulla est causa, *nec exemplaris,* nec alia quaelibet: proinde veritas ontologica nequit divinae essentiae convenire *eadem ratione* ac rebus factis, sed aliter: unde nonnisi analogice praedicatur veritas ontologica et de Deo et de creaturis.

---

(1) Cf. KLEUTGEN, *De Deo,* n. 658 ss.; Card. BILLOT, *De Deo.* p. 244; ILLmus L. JANSSENS, *De Deo,* t. II, p. 184 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. IV, p. 204 ss.; VAN NOORT, *De Deo,* n. 50 ss.; POHLE, *o. c.,* p. 122 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 658 ss.

(3) S. THOMAS, *De veritate,* Q. I, a. 4.

(4) DE JAEGHER, *o. c.,* n. 216. V. ibidem reliqua quibus explicatur quomodo res sint verae.

265. PROPOSITIO PRIMA. **Deus verus est veritate essentiali; imo est ipsa veritas in essendo et principium omnis veri ontologici** (1).

Deus est verus in essendo,

Demonstratio 1ae partis.

1) Veritatem in essendo competere Deo docetur, saltem implicite, in *S. Scriptura.* Nam *Jeremias,* X, 9-10, dicit: « Opus artificum universa haec [idola]; Dominus [Jahve] autem Deus verus est ». S. Paulus, *1 Thess.,* I, 9: « Conversi estis a simulacris ad Deum, servire Deo vivo et vero ». In his epitheton *verus* manifeste non ad cognitionem vel locutionem sed ad *essentiam* divinam refertur, ita ut sensus sit illum quem fideles colunt, solum esse verum Deum sive esse eum cui hic cultus supremus debeatur.

2) *Ratio* naturalis idem docet: nam essentia divina est plene conformis intellectui divino, imo est ipsum intelligere divinum. Quapropter in essentia divina plene verificatur conformitas rei cum intellectu, seu veritas ontologica, licet intellectus divinus non sit causa, imo nec principium essentiae divinae.

Demonstratio 2ae partis.

imo ipsa Veritas ontologica,

principium omnis veri ontologici.

« Deus qui vi essentiae suae, utpote ipsum esse, infinite intelligibilis existit, est *ipsa Veritas ontologica* ac suprema objectiva Veritas increata » (2). Praeterea Deus per essentiam suam est veritas *prima* in essendo, i. e. *principium omnis veri* quod est in rebus. «Sicut enim artifex speciem rei, v. gr. domus, non pro lubitu informat, sed accommodate ad naturam rei, quae non pendet ex ejus mente; sic etiam Deus rerum omnes species [scil. ideas] non arbitrarie, ut ita dicam, confingit, sed essentiam suam, exemplar omnium, quae sunt et esse possunt, intuendo concipit. Res igitur artificiales veritatem habent a speciebus, quae sunt in mente artificis, hae vero species ipsae a rerum naturis, rursus naturae rerum a speciebus, quae sunt in divino intellectu, et hae denique species ab essentia divina » (3).

266. PROPOSITIO SECUNDA. **Deus est ipsa veritas logica; inde est veritas logica prima, causa et mensura omnis veritatis logicae extra ipsum.**

Demonstratio 1ae partis.

Deus est ipsa veritas logica,

Quum Deus sit in omni perfectione infinitus, cognitio divina est infinite perfecta (4), proinde essentialiter et infinite *vera* (5).

Sed intelligere divinum, essentialiter verum, est ipsum *Esse subsistens:* ergo Deus est *ipsa veritas logica.*

---

(1) Ita fere KLEUTGEN, *o. c.,* n. 661.

(2) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, l. c., p. 204.

(3) KLEUTGEN, *o. c.,* n. 664.

(4) In divino intellectu non datur *formaliter* judicium, quale est apud nos: quia Deus non cognoscit componendo et dividendo; sed datur *eminenter:* quia Deus eminenter cognoscit id quod est et id quod non est.

(5) « Veritas est tam necessaria perfectio cognitionis, ut cognitio tantum deficiat a ratione cognitionis, quantum deficit a veritate: cum ipsa cognitio quoque existat per assimilationem intellectus ad rem ». KLEUTGEN, *o. c.,* n. 667.

Demonstratio 2ae partis.

Quemadmodum enim primum ens, quia est ipsum Esse subsistens, causa est omnium quae sunt; ita etiam *primum intelligens,* quia est ipsa intellectio subsistens, causa est omnis vis et omnis actus intelligendi (1). Quod si ita se habet, *prima* quoque *veritas* [quae est in primo intelligente (2)], causa est omnis veritatis in mente creata. Si enim divina intellectio causa est totius nostrae intellectionis, perfectio quoque nostrae intellectionis, seu veritas ejus, a perfectione divinae intellectionis derivatur: inde veritas logica in Deo est causa et mensura omnis veritatis logicae extra eum.

est veritas logica prima, causa et mensura omnis veritatis logicae extra ipsum.

PROPOSITIO TERTIA. **Deus est ipsa veritas moralis seu veracitas; ita verax est ut ne absoluta quidem potentia falsum dicere possit.** 267.

Demonstratio 1ae partis.

Veracitas (3) est perfectio simplex, et proinde formaliter inest Deo: quum omnis perfectio in Deo sit idem ac ipsum Esse subsistens, veracitas divina est ipsa veracitas subsistens.

Demonstratio 2ae partis (4).

1. *Sacra Scriptura* ita Dei veracitatem exhibet ut intelligendum sit non solum de facto nunquam mentiri Deum, sed etiam non posse mentiri. « Qui me misit verax est ». *Jo.,* VIII, 26. Dei *proprietas* hîc indicatur, qua Christus probat se verum dicere. Eodem sensu a S. Paulo, *Tit.,* I, 2, dicitur Deus: qui non mentitur: *ὁ ἀψευδὴς Θεὸς*. Tandem *Hebr.,* VI, 18, docetur Dei fidelitas in promissis et jurejurando: « quibus [h. e. pollicitationi et jurejurando] impossibile est mentiri Deum ». Impossibilitas mendacii in Deo affirmatur hîc explicite. — Haec etiam asseritur a S. Clemente R., *1a ad Cor.,* c. 27, v. 2.

Quapropter tenemus revelatum esse Deum non posse mentiri.

2. *Naturali* quoque *ratione* thesis demonstratur. « Verbum enim externum natura sua effectus et signum est verbi interni; aliud igitur verbis significare quam mente tenes, inordinatum est. Quae autem inordinata sunt, ea Deus sapientissimus et optimus agere non potest, quin nec velle potest » (5).

---

(1) Deus est causa omnis vis et omnis actus intelligendi quia creat omnem facultatem intellectivam et illam praemovet ad actus ejus.

(2) Quum veritas intellectus divini sit ipse Deus, quumque Deus sit aeternus et solus aeternus, ita veritas divina est positive *aeterna* et est *sola* positive aeterna. Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XVI, a. 7. V. suprà, n. 88.

(3) Veracitas hîc intelligitur voluntas dicendi *verum,* seu voluntas non mentiendi; fit abstractio ab exercitio hujus voluntatis, a facto revelationis seu locutionis divinae. Intendimus hîc: si Deus loquitur, non nisi verum dicere potest.

De veracitate, quae est virtus moralis annexa justitiae, agit S. Thomas, *Sum. Theol., II-II,* Q. CIX; cf. etiam LEHMKUHL, *Theol. Mor.,* t. I, n. 770.

(4) Ponitur haec secunda pars contra aliquot theologos qui censuerunt non absolute repugnare Deum dicere falsum: censebant *locutionem contra mentem* non esse intrinsece malam et proinde non absolute repugnare divinae perfectioni. Hanc opinionem expositam et refutatam invenire est apud SUAREZ, *De fide,* disp. III, sect. 5; POHLE, *o. c.,* n. 129 ss.

(5) KLEUTGEN, *o. c.,* n. 673. De intrinseca malitia mendacii cf. Mgr WAFFELAERT, *Dissertation morale sur la malice du mensonge,* Bruges, 1884, p. 7 ss.

§ II.

De bonitate divina (1).

268. Notio bonitatis: a) ontologicae

Notio. Bonum describitur: *id quod omnia appetunt* (2). Bonum est ens quatenus est quocumque modo appetibile vel aliis vel sibimetipsi: ita describitur bonitas per *effectum,* nempe appetibilitatem.

Id autem quod formaliter omnia appetunt et in quo consistit *ratio formalis* boni est *perfectio* entis: unumquodque enim appetit *perfectum conveniens sibi per modum finis. Perfectum* autem est ens quatenus actu habet id quod ipsi convenit vel debitum est. Sed « non *formaliter bona* res dicitur eo ipso quod absolute habeat perfectionem, sed formaliter ex quadam suî *aptatione ad appetentem,* quatenus scilicet *vi suae actualis perfectionis, res nata est per modum finis primo excitare et ultimo quietare appetitum.* Porro *appetenti conveniens* dicenda est non solum perfectio qua appetens subjectum caret adhuc quamque *desiderio* prosequitur; sed et perfectio possessa, quam qui possidet *diligit,* ut vel servet eam, vel in alia subjecta diffundat et aliis communicet » (3).

Haec est bonitas *ontologica* quae describitur: entis perfectio quatenus haec ut finis est appetibilis.

b) moralis, quae est duplex: una generalis, scil. sanctitas, altera specialis, scil. benignitas.

Alia est bonitas *moralis.* Haec autem duplex est: una *generalis,* quae est *perfectio* seu *rectitudo voluntatis circa ultimum finem* (4) et vocatur etiam *sanctitas;* altera est *specialis* virtus: scilicet *constans inclinatio voluntatis ad impertienda bona aliis:* haec vocatur *benignitas.*

Hîc agemus tantùm de *ontologica* bonitate Dei.

269. Dogma de ontologica bonitate Dei

Dogma catholicum. Deum esse summe bonum, imo infinite bonum, pertinet ad fidem catholicam.

Etenim *a*) in S. Scriptura duo leguntur textus ad rem nostram pertinentes: « Nemo bonus nisi solus Deus ». *Luc.,* XVIII, 19. « Omnis creatura Dei bona est ». *1 Tim.,* IV, 3. Omnis creatura, qua talis, nempe quatenus a Deo producta, est bona; ergo quod a Deo habet, id est bonum; ergo et ipse Deus est bonus.

Sed Deus est bonus *alia ratione* ac creatura: ipse enim a semetipso, et

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. VI; KLEUTGEN, *o. c.,* n. 697 ss.; Card. BILLOT, *o. c.,* thes. VII, p. 101 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Collat. Brug.,* t. IV, p. 259 ss.; ILLmus L. JANSSENS, *o. c.,* t. I, p. 272 ss.; VAN NOORT, *o. c.,* n. 51; POHLE, *o. c.,* p. 131 ss.; GARDEIL ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de theol. cath.,* art. *Bien,* col. 837 ss.; *Bonté,* col. 1031.

(2) Quoad explicationem v. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 221.

(3) DE JAEGHER, *l. c.*

(4) « Quemadmodum enim ratio veri ab intellectu derivatur in rem intellectam, ut haec quoque dicatur vera propter ordinem ad intellectum; ita vicissim ratio boni a re traducitur in voluntatem, vocaturque voluntas bona, eo quod vult bona. Sed tamen voluntas bona dicitur non ex cujusvis, sed ex illius boni appetitione, quod sibi tamquam appetitui rationali proprium est. Hoc autem est bonum morale. Solum enim bonum morale ordinat naturam rationalem ad finem ultimum, ex quo summam perfectionem consequitur et in quo ideo solo voluntas conquiescere potest ». KLEUTGEN, *o. c.,* n. 696.

plene seu complete, est bonus; ideo Deus dicitur *solus* bonus, et proinde summè bonus. V. suprà, n. 187.

b) Patres etiam docent ontologicam bonitatem Deo convenire, imo Deum esse a semetipso, natura sua, summe bonum, plenitudinem boni (1).

c) Joannes XXII, an. 1329 damnavit ut haereticam hanc assertionem: « Quod Deus non est bonus neque melior neque optimus; ita male dico, quandocumque voco Deum bonum, ac si ego album vocarem nigrum » (2).

Eugenius IV in Concilio Florentino, decreto pro Jacobitis, an. 1441, damnavit Manichaeos qui duo principia posuerunt, unum visibilium aliud invisibilium; et statuit, tamquam doctrinam credendam, inter alia, *a*) quod unus verus Deus est omnium visibilium et invisibilium creator, *b*) quod Deus bonitate sua universas tam spirituales quam corporales condidit creaturas, *c*) quod creaturae omnes sunt bonae quia a summo bono factae sunt, *d*) quod nulla est natura mala, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est, *e*) quod omnis creatura Dei bona est (3). Quibus dictis asseritur Deum esse in semetipso summum bonum, omnemque creaturam in semetipsa esse bonam, quia producta est a Deo, quatenus est bonus: affirmatur proinde ontologica bonitas Dei, tamquam principium ontologicae creaturarum bonitatis, quae est participata a Deo.

In Concilio Vaticano Deus dicitur *omni perfectione infinitus* et, *ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur,* liberrimo consilio condidisse omnem creaturam (4).

270. PROPOSITIO. **Deus, isque solus, est** 1) **summe bonus**, 2) **per essentiam infinite bonus**, 3) **ipsa bonitas**, 4) **causa efficiens prima, exemplaris, finalis cujuslibet entis boni.**

Demonstratio quoad singulas partes paucis verbis absolvi potest.

Deus est summe bonus,

1ª pars: Deus est *summe bonus: a) relative ad alia* seu formaliter quatenus appetibilis est aliis: etenim Deus est prima causa effectiva omnium, adeoque ab ipso producitur omnis forma seu perfectio quae alicui inest, et omne ens, quatenus est ens, est simile Deo (v. suprà, n. 194); ex altera parte, omne ens appetit suam perfectionem, hanc porro appetendo appetit similitudinem Dei et proinde in hac appetit ipsum Deum. — *b*) Deus est summe bonus *absolute* seu in semetipso: est enim summe perfectus, cui nihil deest actus quem habere potest, ideoque in Deo ipse plene quiescit appetitus divinus.

per essentiam infinite bonus,

2ª pars: Deus est *per essentiam infinite bonus:* etenim essentia ejus est ipsum esse per se subsistens, ergo Deus est essentiâ suâ infinite perfectus. V. suprà, n. 204. — Nulla creatura est per solam essentiam bona: quia *primo,* ejus esse non est idem ac essentia ejus, *deinde* essentia ejus perficitur per multa accidentia.

(1) Cf. GARDEIL, *o. c.*, col. 833 ss.
(2) *Enchir.*, n. 528.
(3) *Enchir.*, n. 706, 707, 713.
(4) *Enchir.*, n. 1782-1783.

ipsa bonitas,

3ª *pars:* Deus est *ipsa bonitas:* etenim perfectio seu bonitas divina est idem ac ipsum esse per se subsistens, i. e. ipsa bonitas subsistens.

causa omnis boni.

4ª *pars:* omnis entis boni omnisque bonitatis Deus est *a*) *causa prima efficiens:* quia est prima causa efficiens incausata omnium quae sunt vel esse possunt;

b) causa *exemplaris:* quia eatenus aliquid est bonum quatenus est *simile essentiae divinae* et quatenus fit *secundum ideam* divinam de limitata participatione essentiae divinae;

c) causa *finalis:* quia omnia appetendo Deum tendunt ad ipsum ut ad ultimum finem. « Si enim omne bonum creatum est quaedam participatio ejus qui solus est per essentiam bonus, necesse est ut cuncta, appetendo suum bonum proprium, tendant in assimilationem divinae bonitatis, eamque appetant in aliqua suî similitudine » (1). Quo altior est perfectio quam appetunt, eo major est similitudo divina ad quam tendunt: inde Deus est summum bonum et proinde ultimus finis ad quem omnia tendunt.

271. Omnes creaturae appetiunt Deum:

DE MODO QUO CREATURAE APPETUNT DEUM.

Duplex distinguitur appetitus: *innatus* et *elicitus.* Innatus appetitus est quasi pondus naturae, quo entia, *nulla sibi praelucente cognitione finis,* tendunt ad bonum proprium. Elicitus appetitus est inclinatio *quae sequitur ad cognitionem boni.*

Porro duplex est elicitus appetitus: appetitus *sensitivus,* qui est inclinatio entis in convenientem perfectionem quam cognoscit, non tamen cognoscendo formalem rationem finis vel medii; seu non cognoscendo formaliter cur aliquid conveniat; appetitus *intellectivus,* qui est inclinatio consequens cognitionem perfectionis, necnon et rationis propter quam conveniens est; est proinde inclinatio consequens ad apprehensionem boni sub formali ratione finis per se appetibilis seu medii conducentis ad finem (2).

aliae tantum implicite,

aliae etiam explicite.

Jamvero entia quae omni cognitione carent (scil. entia non viventia et plantae), et entia quae non nisi sensitiva cognitione donantur (scil. bruta) Deum *implicite* tantum appetunt, nempe in re, quae est appetibilis, quatenus est similitudo divinae bonitatis (3). Entia autem intellectu praedita Deum etiam *explicite* appetunt: illum enim secundum essentiam cognoscunt et prout distinctum ab omni alia re: ideo Deum cognoscunt formaliter ut summum bonum, ultimum finem, etc., et sub hac formali ratione illum amare possunt. — Tandem *snpernaturali* appetitu possunt entia intellectualia tendere in Deum, quatenus ille cognoscitur supernaturaliter: ad cognitionem supernaturalem *fidei* connaturaliter consequuntur spes et charitas; ad supernaturalem *visionem intuitivam* Dei consequitur perfecta charitas et fruitio Dei (4).

---

(1) Card. BILLOT, *De Deo,* thes. VII, p. 103. Cf. S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.,* L. III, c. 24.
(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 288.
(3) Cf. S. THOMAS, *De veritate,* Q. XXII, a. 2; v. suprà, n. 83, p. 68, 5°, ubi de *cognitione* implicita Dei.
(4) De his quaestionibus consulantur tractatus speciales.

Scholion. *Quo sensu omnia entia dicantur bona bonitate divina.*

272. *Creaturae sunt bonae bonitate divina, tamquam causà bonitatis propriae singulis.*

Sicut singula entia habent proprium esse et propriam perfectionem, ita etiam propriam bonitatem: unde singula sunt *formaliter* bona *bonitate propria* et *intrinsece* ipsis inhaerente, adeoque dantur multae *bonitates:* tot quidem quot sunt entia.

Attamen quaelibet bonitas propria, qua aliquod ens est formaliter bonum, est similitudo divinae bonitatis, similitudo quae procedit a Deo tamquam a causa efficiente et exemplari et quae est limitata communicatio ipsius divinae bonitatis; hoc sensu, omnia sunt bona bonitate divina, tamquam *causà* qua sunt bona, seu *extrinsece:* sic etiam dicitur quod *una* est *bonitas* omnium. (1).

273. *Bonum est diffusivum sui.*

Adnotatio. *Bonum est diffusivum sui.* Hoc significat: bonum, quatenus est appetibile, natum est movere in aliis appetitum suî, seu excitare desiderium suî et gaudium possessione suî. Quapropter diffusio, de qua sermo est in asserto citato, est propria causae *finalis* (2).

Ideo, ex hoc quod Deus est summe bonus, non sequitur quod Deus *necessario* communicet suam perfectionem aliis, seu necessario sit causa efficiens entium extra se. Diffusio bonitatis Dei, tamquam causae efficientis ad extra, seu creatio, a libera electione voluntatis divinae pendet, nec auget intrinsecam Dei perfectionem aut bonitatem. Quia Deus est in se infinite perfectus, ideo *potest se communicare* aliis, creando alia a se; sed *actualis communicatio* bonitatis dependet a libera voluntatis electione. Actualis voluntas communicandi bonitatem suam aliis est *benignitas,* quae proinde est in Deo attributum *relativum.* Iterum hic apparet aliam esse formalem rationem bonitatis ontologicae, et aliam benignitatis. Attamen diffusio quae est propria bono, tamquam causae finali, est radix ontologica diffusionis boni, quae fit per causam efficientem: quod exponit S. Bonaventura, in I, Dist. XLV, a. 2, q. 1, t. I, p. 804.

§ III.

De pulchritudine Dei.

Notio. *Pulchrum* est id quod visu (sive sensibili sive intellectuali) placet (3). Ita pulchrum describitur *ex effectu,* quemadmodum bonum describitur ex effectu, quando bonum dicitur id quod omnia appetunt.

274. *Pulchrum est id quod cognitum placet, differt ratione a bono,*

1) Ratio formalis pulchri differt a ratione formali boni: *bonum* enim est id cujus *possessione* quiescit appetitus; est id ad quod possidendum tendit appetitus, quod ut sibi conveniens amat et quo, ut possesso, delectatur. Inde omnis amor boni continet motum *concupiscentiae* ad illud (4).

Pulchrum vero est id quod *apprehensione* seu *cognitione* placet (5): est id cujus cognitione producitur *complacentia* in facultate cognoscitiva et ulte-

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. VI, a. 4.

(2) Cf. S. THOMAS, ibid., Q. V, a. 4, ad 2. — Ad rem dicit S. Thomas: « Finis dicitur causa causarum, quia ex causa finali omnes aliae causae recipiunt quod sunt causae, quia efficiens non agit nisi propter finem; et ex actione efficientis forma perficit materiam et materia sustinet formam » *De Veritate,* Q. XXVIII, a. 7. — « Finis non est causa, nisi secundum quod movet efficientem ad agendum; non enim est primum in esse, sed in intentione ». *De Potentia,* Q. V, a. 1.

(3) Cf. S. THOMAS, *o. c.*, I, Q. V, a. 4, ad 1; ZIGLIARA, *Summa,* t. I, p. 400; REMER, *o. c.*, t. I, p. 280 ss.; POHLE, o. c., p. 144 ss.; GREDT, *o. c.*, t. II, n. 547 ss.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 662.

(5) S. THOMAS, *Sum. Theol.* I-II, Q. XXVII, a. 1, ad 3.

rius delectatio in appetitu elicitivo seu in facultate appetitiva. Ad pulchrum, quà tale, non terminatur amor concupiscentiae, sed habetur tantum amor complacentiae.

Pulchrum est id quod *cognitum* placet, est res quae, quatenus *cognita*, excitat suî *complacentiam;* haec complacentia est in appetitu innato facultatis cognoscitivae, sed saepe praerequiruntur cognitiones variae ut aliquid cognitum, qua tale, placeat.

Ad *pulchrum*, ut sic, non tendit ens formaliter tamquam ad rem *possidendam* seu *conjungendam sibi*, sed respectu pulchri, ut sic, habetur tantum contemplatio, in qua quiescit appetitus facultatis cognoscitivae. Quapropter appetitus elicitus qui consequitur *actum contemplationis* est amor *complacentiae* seu approbationis, non autem concupiscentiae.

275. consistit essentialiter in integritate, proportione ac splendore;

2) Ut rei apprehensio producat illam complacentiam, quam descripsimus, auctores communiter statuunt *tria* requiri in objecto, scilicet, ut sit *integrum*, ut sit quoad partes *bene proportionatum* seu *rite ordinatum*, ut sit *splendens*, nempe ut ipsius proportio seu ordo menti affulgeat. Haec est igitur perfectio quae *essentiam* pulchritudinis constituit (1).

Ex his intelligitur quare solus intellectus, non autem sensus, pulchritudinis rationem formalem percipiat: solus enim intellectus est facultas quae judicare potest de rei integritate, de proportione partium seu principiorum ad finem et de ordinis splendore. Ergo ipse effectus proprius pulchri est immediate in intellectu, in quo est complacentia in re tamquam pulchra cognita; deinde in voluntate habetur amor complacentiae et delectatio de apprehensa pulchritudine (2).

« Non convenit autem inter philosophos sive theologos, utrum pulchritudo ita formaliter rebus sensibilibus alligetur, ut non nisi eminenter rebus spiritualibus, imprimis Deo tribui possit; an etiam formaliter in omni scala entium reperiatur. In priorem sententiam magis inclinatur Franzelin, *De Deo uno*, thes. XXX; in alteram Hontheim, *Institutiones theodiceae*, c. XI, Thes. XXXII » (3).

ut videtur, convenit formaliter etiam immaterialibus.

Videtur dicendum pulchritudinis rationem *formaliter* inesse tum materialibus entibus, tum immaterialibus, sed utrisque alio et alio modo, ita ut non univoce, sed *analogice* sint pulchra tum materialia, tum immaterialia.

Ad rem Kleutgen (4): « Pulchritudo quae in ipsis inanimis ex proportione et colorum suavitate inest magna et multiplex, vincitur pulchritudine viventium, plantarum, inquam, et animantium. At multo praeclarior digno rerum aestimatori apparet pulchritudo in vita animorum, in veri cognitione honestique cultu et studio, de quo memorabilis est illa Platonis sententia: *Virtutis forma si oculis cerneretur, mirabiles excitaret amores.* Quantum vero corpora coelestia perfectione et claritate superant terrena; tanto pulchritudo, quae intelligibilis dicitur, major est in Angelis et Beatis, quam in homine fragili carne induto. Per hos igitur veluti gradus ad divinam contemplandam pulchritudinem ascendere decet (5), ut, quemadmodum monet S. Isidorus (6), quia per amorem pulchritudinis creaturae (homo) a Creatoris forma se abstulit, rursum per creaturae decorem ad Creatoris revertatur pulchritudinem ».

---

(1) Cf. S. THOMAS, *o. c.*, I, Q. XXXIX, a. 8.
(2) Cf. KLEUTGEN, *o. c.*, n. 714 s.; REMER, *o. c.*, p. 282 s.
(3) L. JANSSENS, *o. c.*, p. 263.
(4) *O. c.*, n. 726.
(5) Latius de illis dixit LESSIUS, *De summo bono*, l. 2., c. 16 et *De Providentia*, l. 1, n. 32 et seqq.
(6) *De summo bono*, l. 1., c. 4.

Pulchra sunt non solum *naturalia,* ut, v. g., corpora viventia, sed etiam, *artificialia,* ut statuae; non solum substantiae sed etiam accidentia, ut operationes, praesertim complexus ordinatarum operationum, qualis ipse viget, v. gr. in universo; praeterea pulchritudo convenit non tantum ordini physico, sed etiam ordini intentionali: ita pulchritudo competere potest doctrinae (1) et perfectioni morali, objective consideratis.

PROPOSITIO. **Deus est summè pulcher, imo ipsa pulchritudo subsistens, necnon causa exemplaris et efficiens omnis pulchri.**

276. Pulchritudo Dei asseritur in S. Scriptura,

Ecclesiae Magisterium nunquam definivit Deum esse pulchrum, forsitan ideo quia non plena certitudine constat utrum eminenter tantum an formaliter pulchritudo insit Deo.

Attamen, abstractione facta a determinatione illius quaestionis, pulchritudo a S. Scriptura et a Patribus praedicatur de Deo.

S. Scriptura, Sap. XIII, 3, docet ex pulchritudine rerum posse inferri et cognosci pulchritudinem factoris et dominatoris illarum: « Quorum [i. e. ignis, coeli, solis] si specie [i. e. pulchritudine] delectati deos putaverunt, sciant quanto dominator eorum speciosior [i. e. pulchrior] est: speciei enim generator haec omnia constituit ». V. suprà, n. 45.

a Patribus,

Inter *Patres,* citandi sunt S. Hilarius, *De Trinitate,* L. I, n. 7, qui, interpretando textum *Sap. XIII,* 3 ss., explicat ex pulchritudine creaturarum posse cognosci Creatoris pulchritudinem: « Magnorum creator in maximis est et pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est »... Nonne hujus ipsius pulchritudinis [i. e. hujus universi pulchritudinis] Dominum necesse est totius pulchritudinis esse pulcherrimum intelligi? »; S. Greg. Nys., *De virginitate,* c. II, P. L. t. 46, coll. 365; S. Augustinus, *Conf.,* L. IV, c. 10, n. 15; *De Trinitate,* L. VI, c. 10, n. 11, P. L., t. 42, col. 951; S. Isidorus, *De Summo bono,* L. I, c. 4.

277. demonstratur ratione.

Ex ratione porro demonstratur propositio.

1° *Deus est summe pulcher,* imo *ipsa pulchritudo subsistens.*

Etenim notae quae pulchritudinem constituunt, Deo insunt summè: *integritas,* nam Deus est in se infinite perfectus; *plurium ordo* et *splendor:* nam licet in divina essentia non sit ulla realis distinctio aut pluralitas perfectionum, tamen adest virtualis multiplicitas in summa unitate phpsica *essentiae:* « Intrinseca ratio pulchri est *multiplicitatis* (tamquam materiae) *unitas* (tamquam pulchritudinis forma). Jamvero divina essentia summe una, in hac sua simplicitate perfecta omnes complectitur perfectionum rationes, quas nos multipliciter in infinitum distinguere possumus » (2).

Quod de ipsa essentia, hoc etiam de *operatione* divina valet: nempe de cognitione et de volitione.

Quum autem Dei essentia et operatio sit ipsum Esse per se subsistens, Deus, essendo et immanenter operando, est ipsa *pulchritudo subsistens.*

---

(1) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 504 ss., ubi sermo est de pulchritudine doctrinae christianae.
(2) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit., theol.,* in *Collat. Brug.,* t. IV, p. 237.

2° *Deus est causa exemplaris et efficiens omnis pulchri.*

Deus « comprehendit, ut *imitabilis ad extra,* eminenter omnes rationes omnium existentium et possibilium, comprehendit in essentia sua uno intuitu intellectuali, qui est ipsa eadem essentia sua, omne verum, unaque volitione substantiali omnes omnis boni rationes, ita ut vere sit summa et simplicissima unitas supereminens multiplicitatis imitationum infinitae, et merito dicatur a [pseudo] Dionysio: ipsum secundum se atque secum uniforme semper existens pulchrum, atque fontanam universi pulchri pulchritudinem in se ipso eminenter anticipans. *De divinis nominibus,* c. IV, § 7 » (1). Ita Deus est causa *exemplaris* omnis pulchri. Deinde liberrima et omnipotenti volitione, entitative unica et aeterna (v. suprà, n. 241), omnes res pulchras, ordinemque inter illas in spendido complexu facit esse: ita est *efficiens causa* omnis pulchri.

278. Ad pulchritudinem Dei perspiciendam multum juvant scientiae naturales,

Disciplinae quae vocantur *scientiae naturales,* quarum nostro tempore magnus fuit progressus, materiam considerationis amplissimam et aptissimam praebent, qua magis innotescat nobis divina *pulchritudo:* haec elucet in Dei *sapientia* quae tam varios effectus cognoscit necnon ordinat, etiam in *plenitudine essendi,* quae in summa simplicitate tam multipliciter imitabilis est ad extra. « Quaecumque enim in hac rerum universitate cum admirabilitate maxima disposita sunt, eorum omnium divina Sapientia praedicatur artifex: cujus quidem vis tam in summis, in astrorum dico multitudine et per immensa spatia ordinatis cursibus, quam in minimis, in virgultorum varietate, virtutibus elementorum, sed praecipue in cunctorum convenientia et veluti concentu cernitur. Neque solum haec constituens et conservans Deus grande opificium perfecit, sed etiam omnes rerum per saeculorum lapsum eventus et innumerabilium hominum et Angelorum actus ad finem unum dirigens amplum, ut ita dicam, spectaculum ordinat » (2) *a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter.*

et theologia supernaturalis,

Theologia *supernaturalis,* quatenus multiplicia dona supernaturalia considerat, tum in singulis illorum essentiis, tum in actibus psychologicis quos in animabus, praesertim Sanctorum, producunt, tum in ordine, quo illa dona ad invicem colliguntur et ad finem movent subjecta in quibus sunt, tum denique in effectu totali, qui est sanctitas supernaturalis in catholica Ecclesia elucens, non minorem praebet materiam contemplandi et admirandi pulchritudinem Dei: in his maxime splendent Dei sapientia, sanctitas, potentia, benignitas, in multiplicitate simul ac in unitate ordinis effectuum ad unicum finem.

Pulchritudo Dei maxime elucet in Christo: in donis quibus ornata fuit ejus humana natura et in tota ratione agendi ejus perlucent divinae perfectiones, praesertim sapientia, sanctitas, potentia, benignitas ac misericordia. Post Christum, supremum in supernaturali pulchritudine gradum obtinet ejus Mater admirabilis. — Ad pulchritudinem Christi rite cognoscendam, in ipso etiam consideranda est *regia dignitas:* de qua legatur encyclica Pii XI « Quas primas » de die 11 dec., 1925, cf. *Collat. Brug.,* t. XXVI, p. 3 ss.

---

(1) ID., *ibid.,*
(2) KLEUTGEN, *o. c.,* n. 728.

Caput IV

DE MODO QUO DEUS A NOBIS COGNOSCITUR AC NOMINATUR

279. Connexio rerum exponendarum cum praecedentibus.

« Quia in superioribus consideravimus qualiter Deus sit secundum seipsum, restat considerandum qualiter sit in cognitione nostra, i. e. quomodo cognoscatur a creaturis » (1). Haec tractatio confert ad procurandam nobis ampliorem notitiam tum de Deo ipso, tum de objectivo valore nostrae cognitionis circa Deum.

Hoc in loco S. Thomas agit praecipue de intuitiva Dei visione: hanc quaestionem, quam multi auctores in tractatu *De Novissimis* proponunt, hîc exponemus, ut omnes modos, quibus Deus a nobis est cognoscibilis, uno conspectu apprehendamus. — Propter intimam connexionem inter cognitionem ipsam et sermonem quo exprimitur, agemus etiam de modo quo Deus a nobis nominatur.

Articulus Ius. **De modo quo Deus a nobis cognoscitur.**

280. Cognitio duplex: naturalis et supernaturalis

Humanae cognitionis duplex est genus: una est cognitio *naturalis,* altera est *supernaturalis:* utraque differt ab altera tum principio subjectivo, tum objecto (2).

Supernaturalis cognitio iterum duplicis generis est: una est cognitio *fidei,* altera est *intuitiva Dei visio.*

A. *Naturalis* de Deo cognitio tamquam *principium* cognoscendi *subjectivum* habet rationem, naturali sua virtute operantem, tamquam *objectum,* omne verum quod ratio, naturaliter operando, potest detegere (v. suprà, n. 29, 93).

Suprà, n. 24 ss., 45 ss., 91 ss., 109 ss., exposuimus hominem posse naturali rationis lumine cognoscere certò Dei existentiam et naturam; praeterea multas perfectiones inesse Deo jam demonstravimus. Hoc objectum naturalis nostrae cognitionis sic indicat S. Thomas: « Quia [sensibiles res] sunt ejus [Dei] effectus a causa dependentes, ex eis in hoc perduci possumus ut cognoscamus de Deo an est, et ut cognoscamus de ipso ea quae necesse est ei convenire, secundum quod est prima omnium causa, excedens omnia sua causata » (3).

Medium quo omnis cognitio hujus generis acquiritur est ratiocinium seu *demonstratio:* imprimis demonstratio *a posteriori,* qua ex rebus factis

(1) S. Thomas, *o. c.*, I, Q. XII, prolog.

(2) De humana cognitione, quae hac in terra habetur, loquitur Concilium Vaticanum his verbis: « Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus, objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt ». Sess. III, *Const. de fide catholica,* c. 4, *Enchir.,* n. 1795.

(3) *Sum. theol.*, I, Q. XII, a. 12.

cognoscimus causam: cognita autem aliquo modo essentia Dei, potest ex una perfectione inferri alia; si illa est ratio ontologica hujus, habetur demonstratio *a priori:* v. gr. ex hoc quod Deus est ipsum Esse subsistens infertur ipsum esse infinitum, aeternum, immutabile, etc. De *modo* autem quo apprehendimus divinam perfectionem loquemur infrà, quia idem est dicendum de cognitione naturali ac de cognitione supernaturali *fidei.*

281. Supernaturalis cognitio a naturali differt tum principio subjectivo, tum objecto;

B. *Supernaturalis* cognitio tamquam *principium subjectivum* proximum, sed inadaequatum, habet entitatem *supernaturalem* (motionem transeuntem, vel habitum infusum) intellectui inditam: inde supernaturalis cognitionis principium subjectivum adaequatum est intellectus intrinsece elevatus entitate supernaturali.

Objectum autem cognitionis supernaturalis est vel complexus veritatum a Deo revelatarum et praecipue mysteriorum, vel ipsa essentia Dei immediate in semetipsa cognita.

Hîc occurrunt quaedam notanda de illa supernaturali cognitione, quae est cognitio *fidei.* Haec cognitio essentialiter consistit in actu vel habitu intellectus, quo ut vera admittimus ea quae Deus revelavit, propter auctoritatem ipsius Dei revelantis.

estque perfectior naturali cognitione.

Haec cognitio de Deo est perfectior quam naturalis cognitio, duplici ratione, uti docet S. Thomas (1): *primo,* quia naturale lumen intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti: secundum hoc supernaturalis cognitio est perfectior quantum ad principium subjectivum; *secundo,* quia plura et occultiora de Deo cognoscuntur ex revelatione: secundum hoc supernaturalis cognitio est perfectior quantum ad objectum (2).

Perfectio primo loco assignata, nempe ex parte principii subjectivi, magis explicatur a S. Thoma, *De veritate,* Q. X, a. 12, ad 6, ubi dicit: quod in fide major est firmitas *adhaesionis* ad verum, non autem major est firmitas quoad *quietationem* intellectus in vero cui adhaeret: quia non habetur intrinseca evidentia illius veri, quod fide tenetur.

282. Cognitio supernaturalis omnis, ut videtur, vel ad genus fidei pertinet, vel est visio Dei intuitiva.

Omnis cognitio entitative supernaturalis, praeter visionem intuitivam Dei, est fides vel ad fidei genus pertinet, quoad modum cognitionis: etenim habetur *a*) cognitio fidei *ordinaria,* quae omnino necessaria est, necessitate medii, ad salutem (3), quae tamen in diversis subjectis est plus vel minus perfecta, tum intensive, tum extensive (4); *b*) cognitio fidei *extraordinaria,* quae dicitur *mystica.*

Haec complectitur diversos actus et diversos gradus, sed nulla datur in

---

(1) L. c., a. 13.

(2) S. Thomas, l. c., ostendit quomodo cognitio veritatum revelatarum, sicut omnis nostra cognitio, pertineat ad genus cognitionis quae accipitur *ex rebus sensibilibus:* revelatio enim fit vel per phantasmata quae in imaginatione hominis formantur divinitus, ut in visionibus prophetarum; vel per signa externa, sicut quum Spiritus Sanctus apparuerit in forma columbae; vel per voces aut sermonem, sicut quando e coelo audita est haec vox: « Hîc est filius meus dilectus » (Matth., III, 17), sicut etiam ipse Christus sermone humano locutus est revelando nobis veritates. Cf. PÈGUES, *Comment. franç. littér.,* t. I, p. 379 ss.

(3) Praeter fidem habetur fidei *scientia,* nempe *theologia,* quae propie est de *conclusionibus* illatis ex veritatibus fide admissis et quae non est *entitative* supernaturalis. Cf. suprà, n. 3, 5. Haec scientia duas habet partes: *dogmaticam et moralem* (cf. suprà, n. 8). Moralis porro subdividitur in *moralem strîcte* et *simpliciter* dictam, *asceticam, mysticam:* de his notionibus cf. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 524.

(4) Perfectio fidei producit *spiritum fidei.* Cf. *Collat. Brug.,* t. XVI, p. 264 ss.; MAHIEU, *Probatio Charitatis*[3], p. 188 ss., 308.

homine, ut videtur, supernaturalis cognitio intermedia, quoad genus, inter *fidem* et *intuitivam Dei visionem*. Etenim omnis cognitio intellectualis in creatura (sive in homine, sive in angelo) fit *vel per speciem* quamdam, quae, in intellectu recepta, hunc determinat ad actum cognoscendi, *vel absque specie:* si primum, cognitio proportionatur intellectui (species enim se habet ut actum respectu facultatis quae se habet ut correlativam potentiam), tunc non potest haberi de Deo nisi analogica cognitio: nulla enim species aut similitudo finita sufficiens est ad repraesentandum essentiam divinam sicuti haec est in se, seu proprie (1). Igitur si cognitio Dei fit per speciem, illa cognitio est analogica; si haec cognitio est *supernaturalis*, pertinet ad genus cognitionis *fidei* (2). Si vero cognitio Dei habetur absque ulla specie, tunc est visio intuitiva Dei.

Mystica cognitio consistit essentialiter in *contemplatione:* licet haec importet affectum seu amorem, tamen est essentialiter actus cognoscitivus, qui est bene distinguendus ab actu appetitivo: hic enim ab illo realiter differt, tum numero, tum specie. « Vita contemplativa quantum ad ipsam essentiam actionis [h. e. illius operationis quae dicitur contemplatio] pertinet ad intellectum... vita contemplativa terminatur ad delectationem, quae est in affectu, ex quo etiam amor intenditur » (3).

Contemplatio est *intuitus simplex veritatis;* opponitur proinde discursui rationis, qui habetur in meditatione (4), et praerequirit, saltem ut sit valde perfecta, abnegationem sensibilium repraesentationum et delectationum (5).

283. Contemplatio est vel acquisita vel infusa

Contemplatio duplex distinguitur, scilicet *acquisita* et *infusa* (6). Utraque contemplatio est supernaturalis, etiam prima: est enim activitas ex auxilio gratiae gratum facientis, nempe habitualis et actualis. Attamen haec contemplatio dependet a nostra libera cooperatione et est praecipue activa ex parte nostra, ideo vocatur *acquisita* (7). Per hanc denominationem non excluditur *supernaturalitas* actus contemplandi, sed indicatur ipsum dependere praecipue a nostra positiva operatione (8) et etiam aliquem habitum illius posse acquiri, sicut exercitio virtutum supernaturalium, per repetitionem actuum, producitur aliquis habitus (9).

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I. Q. LVI, a. 3.

(2) Dicimus: ad *genus cognitionis fidei*, quia praedicta cognitio determinatur per species proportionatas intellectui humano et proinde est in eodem ordine in quo sunt species quibus adhaeremus veritatibus a Deo revelatis. Praeterea ipsa contemplatio supponit fidem in contemplante et, ut videtur, *motivo* fidei adhaeret firmiter contemplans veritati, quam hic et nunc simplici intuitu considerat. Contemplatio divinitatis in hac vita non est *scientia* proprie dicta sed cognitio obscura.

(3) S. THOMAS, *Sum. theol.*, II-II. Q. CLXXX. a. 1.

(4) Cf. S. THOMAS, l. c., a. 3, ad 1; S. FRANÇOIS DE SALES, *Traité de l'amour de Dieu*, L. VI, ch. III, Œuvres (édit. d'Annecy), t. IV, p. 312 ss.

(5) S. JEAN DE LA CROIX, *Montée du Carmel* (trad. Hoornaert), Bruges, 1915, p. 7 ss.

(6) Cf. PHILIPPUS A SS. TRINITATE, *Summa Theologiae mysticae*, T. II, Disc. II, a. 2, p. 45; S. ALPHONSUS DE LIGORIO, *Theologia moralis*, Mechliniae, 1852, t. IX, Praxis Confessarii, n. 127, p. 109 s.; POULAIN, *Les grâces d'oraison*, ch 3; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Prospectus generalis in theologiam mysticam*, in *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 321 ss. Haec doctissima dissertatio complectitur plures articulos in citato periodico t. XVI, XVII, XVIII, v. indices alphabeticos, v^is *mystica, contemplatio, Joannes a Cruce, Rusbrochius, dona Spiritus Sancti;* THÉODORE DE S. JOSEPH, *Essai sur l'oraison*, p. 77, p. 87, v. etiam quae scripsit ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, t. XXVI, p. 441 ss. de differentia inter contemplationem *acquisitam* et stricto sensu *infusam*.

(7) Cf. LEJEUNE, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Contemplation*, col. 1620 ss.; MAHIEU, *Over geestelijk leven*, Brugge, 1914, bl. 152 vv.

(8) Inde distinguuntur varia stadia praeparationis ad contemplationem: cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, in *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 384 ss., t. XVII, p. 156 ss.

(9) Cf. VAN DER MEERSCH, *De divina gratia*, n. 241 s.

Contemplatio, quae vocatur *infusa*, varios gradus habet et diversa phaenomena: quorum explicatio psychologica valde difficilis est (1). Praeterea in his phaenomenis explicandis, curandum est ne confundantur actus intellectus cum actibus voluntatis. Censemus porro in contemplatione *infusa* actum *cognoscitivum*, qua talem, vel pertinere ad genus cognitionis *fidei*, vel esse ipsam intuitivam Dei visionem, transeunter habitam; non autem dari cognitionem quasi intermediam, quae esset attenuata visio beatifica (2). « Juxta Mysticos non paucos, potest istud donum esse ipsum lumen gloriae, non quidem in modum habitus, sed in modum transeuntis virtutis infusum, ita ut contemplans ad claram et quidditativam visionem, indeque summam Dei fruitionem transeunter pertingat » (3). Si vero haec cognitio non datur, remanet ut contemplatio fiat per *species:* hae debent intrinsece proportionari intellectui humano, proinde non nisi analogicam de Deo cognitionem conferre possunt. Hoc etiam valeret, si diceretur species, in contemplatione infusas, esse ejusdem naturae ac species quibus intelligunt animae separatae a corpore, proinde species quibus uterentur homines independenter a phantasmatibus imaginationis sensibilis (4).

Contemplationis *infusae* nota distinctiva videtur esse *experimentalis* quaedam cognitio de Deo praesente, ac si anima perciperet ipsum Deum esse sibi physice praesentem (5). Nequit immediate percipi praesentia physica Dei, qua in omni ente est physice praesens ut causa influens esse, nec praesentia physica Dei qua in anima justi influit gratiam sanctificantem et alia dona supernaturalia; sed potest Deus sive in intellectu, sive in voluntate, sive in facultatibus sensibilibus, producere effectus extraordinarios, *actus* nempe, quos homo conscientia percipit, qui consequenter potest dijudicare (6) se subjici physico, speciali et extraordinario influxui Dei, adeoque Deum in se hîc et nunc praesentem cognoscere: et tandem ipsum Deum, sic praesentem, solum, contemplari: haec tamen cognitio est in effectu et per effectum Dei. Haec explicatio non contradicit, ut videtur, doctrinae Rusbrochii de unione *sine medio* (7).

Hisce praemissis, relinquitur nobis ut breviter agamus de *duplici modo*, quo Deus apprehendi potest a nobis.

§ I.

De cognitione Dei analogica.

284. Quid sit cognitio abstractiva,

PROPOSITIO PRIMA. **Cognitio de Deo correspondens stadio viae, nempe** *statui vitae hac in terra,* **est abstractiva, mediata, analogica.**

Explicatio. Loquimur de cognitione quae *per se* convenit *homini hac in*

(1) Compendium aliquod de his quaestionibus videre est apud BITTREMIEUX, *De cognitione Dei mystica necnon de ascetica cognitione divinae Praesentiae*, Lovanii, 1914, p. 9 ss.; v. praesertim BAINVEL, *Introduction à la 10e édition des grâces d'oraison du R. P. Poulain.*

(2) Circa actum intellectivum qui contemplationem infusam constituit videsis JORET, O. P., *La contemplation mystique*, p. 225 ss.

(3) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 494; S. THOMAS, *Sum. theol.*, II-II, Q. CLXXV, a. 3, admittit S. Paulum in raptu vidisse Deum in essentia sua, nempe fruitum esse intuitiva visione. Multi tamen theologi negant visionem Dei intuitivam, licet transeunter, unquam concedi hac in terra: cf. SYLVIUS, *Comment. in Sum. theol.*, I, Q. XII, a. 11, II-II, Q. CLXXV, a. 3.

(4) De modo cognoscendi in anima separata a corpore cf. LEPICIER, *Dell' anima umana separata dal corpo*, Roma, 1901, p. 123 ss.

(5) LEJEUNE, *o. c.*, col. 1625 ss., JORET, O. P., *La contemplation mystique*, p. 108 ss.

(6) Quanta prudentia requiratur ad discernendum utrum illi effectus sint a Deo inculcant auctores ascetici et mystici.

(7) De qua cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 429 ss.

terra degenti: abstrahimus ab hoc utrum puro homini (1) unquam concedatur visio beatifica, licet transeunter, hac in terra (2).

mediata, analogica, explicatur;

Porro cognitio intellectualis dicitur *abstractiva,* quatenus producitur per *species abstractas:* abstractas, *primo,* quia a phantasmatibus obtinentur per intellectum agentem: sunt nempe similitudines intentionales *immateriales,* desumptae a similitudinibus intentionalibus materialibus; *secundo,* quia, consequenter ad modum quo efficiuntur, illae species repraesentant proprie essentiam rei materialis abstractam a conditionibus materialibus. Cognitioni intellectuali abstractivae opponitur cognitio *intuitiva:* haec habetur quando ens, in se immateriale, fit, absque specie repraesentativa suî, objectum cognitionis.

Cognitio intellectualis est *mediata,* quando obtinetur per aliquem medium terminum, in ratione objecti cogniti: v. g., id quod exprimit conclusio alicujus syllogismi cognoscitur *mediate;* e contrario cognitio *immediata* habetur de primis principiis quae sunt *per se nota quoad nos,* quorum evidentia est immediata.

Cognitio intellectualis est *propria,* quando res cognita cognoscitur *prouti est in se* secundum propriam formam (3). Cognitioni propriae opponitur cognitio *analogica:* haec est cognitio alicujus rei per similitudinem seu proportionem cum re alterius naturae. Ita v. gr. analogica est cognitio quae acquiritur de angelo per comparationem ad animam humanam.

Demonstratio.

285. hac cognitione nos Deum cognoscere demonstratur: A. ex S. Scriptura,

A. Ex S. Scriptura (4).

De cognitione *naturali* dicitur: « Invisibilia enim ipsius [sc. Dei] per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur ». *Rom.,* I, 20. Ubi ipsam existentiam Dei, divinarumque perfectionum ex creaturis discimus, omnis nostra cognitio necessario est *mediata* et, prae ingenti distantia inter creaturas et creatorem, etiam *analogica.* Praeterea omnis nostra naturalis cognitio intellectualis, hac in terra, est *abstractiva* (5).

Quoad cognitionem *supernaturalem:* « Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum ». *1 Cor.,* XIII, 12. Apostolus invicem opponit cognitionem Dei quam exspectamus in coelo, et altissimam quam modo habemus, nempe per charisma scientiae et prophetiae, quae sunt complementa fidei. Illa quidem erit *immediata:* « facie ad faciem » et *absque obscuritate:* « sicut et cognitus sum ». Haec vero est « per speculum » δι

(1) Christus, in humanitate sua, ab initio Incarnationis habuit visionem beatificam: cf. S. Thomas, *Sum. theol.,* III, Q. X, a. 1; *Collat. Brug.,* t. XI, p. 245 ss., 449 ss.

(2) Adeoque in propositione enunciata non diximus: in hac vita *omnis nostra cognitio* de Deo est abstractiva, etc.

(3) Cognitio *propria* potest esse abstractiva et mediata: dummodo species, seu similitudines intentionales, quibus fit, sint in eodem gradu immaterialitatis cum re cognoscenda: ita homo habet cognitionem *propriam* de essentiis abstractis rerum materialium.

(4) Ex Van Noort, *De Deo,* n. 14.

(5) Cf. De Jaegher, o. c., n. 422 ss.

ἐσόπτρου: i. e. *mediata:* per aliquid (nempe per creaturas) in quo imago Dei detegitur, est igitur per aliud in ratione objecti cogniti se habens. Est deinde « in aenigmate » ἐν αἰνίγματι: aenigma est propositio, quae veritatem exhibet sub signorum involucris, ita ut indicetur potius quam exprimatur. Porro nomen aenigmaticae cognitionis apprime *analogae* convenit, non vero cognitioni propriae. Tandem dicitur ἐκ μέρους: i. e. imperfecte, fragmentarie, quod iterum soli cognitioni analogicae convenit.

286.
B) ex Traditione,

B. Ex Traditione (1).

1. Imprimis docent Patres valde imperfectam et deficientem esse nostram de Deo cognitionem: illorum doctrina circa hoc potest compendio exprimi his verbis Novatiani, in opere scripto circa an. 250, *De Trinitate,* c. II, P. L., t. III, col. 889: « De hoc [Deo] ergo, ac de iis quae sunt ipsius et in eo sunt, nec mens hominum quae sint, quanta sint et qualia sint, digne concipere potest ».

Occasio, qua Patres magis explicite et fuse hoc assertum propugnaverunt, fuit haeresis Aëtii et Eunomii, qui contenderunt Deum posse a nobis perfecte cognosci, imo et comprehendi: unicam nempe notionem de Deo admittebant, scilicet *innascibilitatem,* hanc plene a nobis intelligi, hanc solam et nihil aliud significari variis nominibus, quae de Deo adhibentur, illa porro nomina esse synonyma, asserebant. V. suprà, n. 134.

Contra hunc errorem scripserunt praecipue S. Basilius, *Adversus Eunomium,* an. 363-365; S. Gregorius Nys., *Contra Eunomium,* an. 381; S. Joannes Chrysostomus, *Homiliae de incomprehensibili* [Deo], an. 386 s.

Illi Patres et alii docebant nos cognoscere de Deo *quod est seu existit,* non autem *quid sit,* aut *quantus sit* aut *quomodo sit.* Hoc tamen non ita intelligi potest ac si nudum factum existentiae Dei et nihil de ejusdem natura cognoscere valeamus; sed Patres tenebant existentiam Dei, tamquam Creatoris, facile cognosci ex rebus hujus mundi (v. suprà, n. 48 ss.), non autem acquiri posse cognitionem perfectam, plenam, de eo quod Deus est in semetipso, adeoque Deum esse *incomprehensibilem.* Hoc prae oculis habendum est quod Patres *incomprehensibilitatem* Dei contra Eunomianos defendebant, ut exacte perspiciatur sensus assertionum illorum.

2. Licet nostra de natura et de perfectione Dei cognitio sit valde imperfecta, non est tamen nulla: hoc jam constat ex thesibus suprà a nobis demonstratis, ubi indicavimus testimonia Patrum quibus profitentur Deum esse *Creatorem* et *Dominum supremum, ipsum Esse, spiritum, infinitum, immensum, aeternum,* etc.; postea etiam ex doctrina Patrum addiscemus Deum esse *omniscientem, omnipotentem,* etc. Secundum Patres proinde Deus cognosci potest in attributis suis tum relativis, tum absolutis, tum positivis tum negativis.

(1) Cf. Pohle, *o. c.,* p. 34 ss.; praesertim Le Bachelet, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.,* art. *Dieu,* qui eruditissimam dissertationem *de natura Dei secundum Patres* concludit tradendo quid docuerint Patres de nostra cognitione circa Deum: « *Notre connaissance de la nature de Dieu d'après les Pères,* col. 1134 ss.

3. Quapropter nostra cognitio de natura Dei est valida et objectiva, necnon positiva: scimus enim *id quod* Deus est aut non est, licet *modum quo* Deus est id quod est, seu ipsam essentiam Dei, prouti haec est in semetipsa, capere non valeamus (1).

Ad rem S. Joannes Chrysostomus, *De incomprehensibili*, Hom. I, n. 3, P. G., t. 48, col. 704, interpretando S. Pauli verba « *in aenigmate* » *1 Cor.*, XIII, 12, dicit: « Namque parvulus multa quidem videt, audit et loquitur, nihil tamen dilucide vel videt, vel audit vel loquitur: et percipit quidem (φρονεῖ), sed nihil integre. Ita et ego scio quidem multa, sed eorum non novi modum. Deum enim ubique esse novi, totum item ubique esse novi, quomodo autem nescio; sine principio, non genitum, sempiternum novi, quomodo autem nescio. Neque humana ratio capere valet quomodo possit esse substantia, quae nec a seipsa nec ab alio quopiam esse acceperit. Scio ipsum genuisse Filium, quomodo autem ignoro, novi Spiritum ex ipso esse, quomodo autem ex ipso sit nescio ».

S. Gregorius Nys., *Orat. catechetica*, c. 1, P. G., t. 45, col. 13, docet ea. quae de Deo affirmamus, intelligenda quidem esse ad similitudinem eorum quae in nostra natura sunt, sed tamen in Deo esse cogitanda *modo perfectiori* quam in nobis sunt: « Virtus quaedam et vita et sapientia in homine cernuntur, sed nemo ex nominum identitate similem apud Deum vitam vel virtutem vel sapientiam esse intelliget; sed secundum modum [scil. mensuram] naturae nostrae sensus similium nominum deprimuntur. Quia enim corruptibilis et imbecilla est natura nostra, brevis est vita, infirma virtus, inconstans sermo. In suprema autem natura quidquid de ipsa dicitur simul cum magnitudine spectati [h e. Dei considerati] extollitur » (2).

4. Illa cognitio de natura Dei, quam describunt Patres, est eadem ac cognitio quam dicimus *analogicam:* etenim illa cognitio *non* est *propria,* quia de natura Dei non habemus intentionalem similitudinem *adaequatam* rei cognitae, seu similitudinem repraesentantem rem *prouti haec est in semetipsa;* sed est *analogica,* quia naturam Dei cognoscimus per similitudines rerum alienarum, inferiorum rei cognoscendae. — Facile etiam constat in doctrina Patrum nostram de Deo cognitionem esse *mediatam,* nempe haberi ex cognitis rebus creatis.

C. Ex Ratione.

287.
C) *ex ratione.*

Omnis nostra cognitio intellectualis hac in terra (seclusa visione intuitiva Dei) fit per species, illae porro species sunt proportionatae intellectui finito in quo recipiuntur, sunt nempe (quoad entitatem physicam et quoad vim intentionalem repraesentandi rem) proportionatae gradui immaterialitatis

---

(1) « Les Pères distinguent les deux questions de l'existence et de l'essence, en concluant que nous ne savons pas ce qu'est Dieu, mais seulement qu'il est et ce qu'il n'est pas... Rien de plus vrai... si l'on reste dans la pensée des Pères. Nous avons dû faire remarquer souvent qu'en opposant les deux questions, ils prenaient strictement le mot d'essence, ou les termes *quis sit,* τίς ἐστιν. Aussi tout ce qui n'est pas conception ou expression de la nature divine telle qu'elle est en elle-même, rentre, pour eux, dans l'autre membre, *quia est,* ὅτι ἐστιν. Et ceci explique que dans les passages mêmes où ils réduisent notre connaissance au *quia est,* les Pères font souvent des énumérations d'attributs et de noms qui dépassent de beaucoup le simple fait de l'existence ». Le Bachelet, *o. c.*, col. 1141.

(2) Optima est haec animadversio, qua bene possimus *analogiae* notionem intelligere: etenim sermo est de perfectionibus simpliciter simplicibus (v. suprà, n. 190), scilicet de virtute, vita, sapientia. Illae homini insunt *eo modo* qui correspondet naturae hominis, adeoque quando intelliguntur *prout in homine sunt, deprimitur* perfectio intellecta et significata per nomina: nam, tunc designatur perfectio ut limitata seu coarctata. Quando vero intelliguntur perfectiones quales Deo conveniunt, *extollitur* significata perfectio: quia tunc designatur eadem perfectio absque limite et diminutione.

intellectus finiti in quo recipiuntur; ergo talis cognitio *non* potest esse *propria* de ente infinito.

Sed res creatae, utpote effectus, sunt similes enti infinito, utpote causae: quapropter ex cognitis earum natura et perfectionibus « perduci possumus ut cognoscamus de Deo an est; et ut cognoscamus de ipso ea quae necesse est ei convenire, secundum quod est prima omnium causa, excedens omnia sua causata » (1).

Ergo cognitio de Deo correspondens stadio viae est abstractiva, mediata et analogica.

288. Cognitio de Deo nobis acquiritur triplici via: affirmationis, negationis, eminentiae.

PROPOSITIO SECUNDA. **Cognitio, qua in hac vita Deum cognoscimus, acquiritur per viam affirmationis, negationis et eminentiae.**

Explicatio.

Omnis cognitio, quae non est *propria,* est *analogica.*

Analogia, stricte dicta, inest *conceptibus* et *nominibus*. Nam cognitio nostra efficitur tribus operationibus, scilicet simplici *apprehensione, judicio, ratiocinio* (2): apprehensione exprimitur in mente aliqua rei apprehensae similitudo seu imago. Haec intentionalis imago objecti in intellectu expressa vocatur objecti *conceptus*. Conceptus autem oraliter exprimuntur *nominibus*.

Jamvero rem attente consideranti manifestum fit analogiam non esse proprie in ipso ratiocinio seu in discursu, nec in ipsa affirmatione identitatis objectivae praedicati cum subjecto, sed esse in conceptibus.

Conceptus enim est aut *univocus* aut *analogus:* analogus est qui *diversa ratione* inest diversis inferioribus de quibus praedicatur. Quum autem, ut ex suprà dictis sufficienter constat, omnis perfectio, quae praedicatur et de creatura et de Deo, alio modo insit Deo et alio modo creaturae, ideo *analogi* sunt omnes nostri conceptus de Deo.

Jamvero illi conceptus in nobis formantur *triplici via:*

1° Via *affirmationis*. Considerando creaturas cognoscimus, per discursum et demonstrationem, causam illarum esse Deum; ulterius, quum necesse sit totam realitatem effectus in causa ejus praecontineri, perfectionis creaturam *affirmamus* inesse Deo, utpote *causae* illarum: haec est via *affirmationis* seu *causalitatis*. — Haec via est prima in ordine logico, absque illa nihil prorsus de Deo sciremus. Sed jam notemus quod, quando aliquam acquisivimus de Deo cognitionem, nominatim de *infinitate* ejus, multa nobis cogitata occurrunt, quae *neganda* sunt de Deo.

2° Via *negationis* consistit in hoc quod ratiocinando concludimus multa non convenire Deo seu removenda esse a Deo: *a*) imprimis notiones quae repraesentant *privationem perfectionis* in subjecto sunt omnino negandae de Deo: v. g., Deus non est ignorans, peccans vel peccati capax; *b*) notiones

(1) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XII, a. 12.
(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 7 ss.

quae repraesentant perfectiones *mixtas* sunt etiam negandae de Deo: v. g., Deus non est corpus, non est ratiocinans. Quoad illa duo, non habetur analogia conceptuum: ibi enim habetur mera negatio rationum: analogia non habetur nisi quando aliqua ratio est communis pluribus et proinde affirmatur de pluribus.

c) Notiones quae repraesentant perfectiones *simplices* possunt et debent simpliciter affirmari de Deo, sed possunt negari secundum quid, nempe *quoad modum* quo sunt in creaturis: v. gr. Deus non est sapiens *eo modo quo* sapiens est homo aut angelus. Ita explicite concipitur *analogia* conceptuum (1). Inde efformantur conceptus qui sunt positivi quantum ad *id quod* repraesentant, negativi quantum ad *modum quo* repraesentant perfectionem: v. gr. simplex, immutabilis, infinitus.

3° Via *eminentiae* tandem sequitur ad duas praecedentes: affirmando perfectiones simplices de Deo, negando omnem limitationem illis admixtam in creaturis, inferimus Deo inesse omnes perfectiones modo *eminentiori:* v. gr. Deus est suprasapiens, est infinite sapiens, est ipsa sapientia.

Post datam explicationem, non requiritur *demonstratio* propositionis: usus triplicis viae apparet cuicumque reflectenti supra modum quo cognitio de Deo acquiritur et perficitur in nobis. Fundamentaliter indicatur ille processus in *S. Scriptura, Eccli.,* XLIII, 29-33: ibi auctor sacer docet Dei majestatem non posse digne celebrari quia omnem laudem superat: tria secundum textum graecum notanda sunt: *τό πᾶν ἐστὶν αὐτὸς* = ipse [Deus] est omnia, scil. omnes perfectiones Deus in se habet; *αὐτὸς ὁ μέγας παρὰ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ* = ipse est magnus super omnia opera sua, scilicet omnium operum perfectiones eminentiori modo sunt in Deo: exaltate Deum quantum potestis, *ὑπερέξει καὶ ἔτι* = supervalebit adhuc; nempe quia Dei perfectio non est talis qualis a nobis concipitur. 289.

Patres etiam magis aut minus explicite illam triplicem viam indicarunt.

S. Gregorius Nys., *Contra Eunomium,* L. XII, P. G., t. 45, col. 956, ait: « Humanus intellectus, sollicite investigans, quibus potest ratiociniis, expetit et attingit inaccessibilem et excelsam naturam; nec tam acute cernens ut clare videat invisibile, nec omnino remotus ab appropiquantione ut nullam possit quaesiti capere similitudinem... Non tamen potuit videre qualis sit ea de qua haec ratiocinatur, sed ex scientia eorum quae insunt et eorum quae non insunt, vidit quod solum videri posibile est... Ex negatione eorum quae non insunt, et ex affirmatione eorum quae de eo [Deo] pie intelliguntur, id quod est apprehenditur ».

Ps. Dionysius, *De divinis nominibus,* c. 7, n. 3: « Praeterea quaerendum est quomodo Deum cognoscamus, qui neque sensu percipitur nec intellectu, et nihil omnino est ex iis quae sunt. An non potius vere dicatur quod Deum non cognoscimus ex natura ejus (id enim quod natura ejus est, incognitum est et omnem rationem et mentem superat), sed ex ordine omnium rerum, tamquam ab ipso proposito et imagines quasdam et similitudines exemplarium ejus divinorum in se

(1) Haec explicita cognitio de analogia requiritur ad distinctam et excultam notionem de Deo; sed non requiritur ut vera sint judicia nostra de Deo: v. gr. Deus est intelligens. Hoc verum est etiamsi non cogitetur explicite: Deus est *intelligens alio modo ac homo.* Nam conceptus *intelligens* exprimit perfectionem simplicem et, per se, abstrahit a diversis modis quibus haec perfectio in diversis entibus inesse potest. Cf. suprà, n. 93.

habente, ad cognoscendum illud summum bonum et omnium bonorum finem, via et ordine pro viribus ascendimus, in ablatione et superlatione omnium et in omnium causa » (1).

S. Joannes Damascenus, *De fide orthodoxa,* L. I, c. 4: « De Deo impossibile quidnam essentiâ suâ sit enuntiare, aptiusque est ex omnium remotione sermonem de eo facere. Neque enim aliquid est eorum quae sunt, non ut nullatenus sit, sed quia super omnia quae sunt atque etiam supra ipsummet esse ipse sit ».

Scholastici eamdem doctrinam evolverunt: cf. S. Thomas, *in I Sent.,* Dist. III, Q. I, a. 3; *in Boëtium de Trinitate,* Q. I, a. 4.

Illam cognitionem imperfectam et analogicam, *non* esse *falsam,* sed veram, notabat S. Cyrillus Alex., *Thesaurus de sancta et consubstantiali Trinitate,* assert. 31. Objectionem expositam et solutam v. suprà, n. 93.

290. Ulterior explicatio.

Adnotatio. Illa triplex via requiritur ut nobis acquiratur cognitio de Deo et ut, quantum fieri potest, magis ac magis distincta habeatur. Ut patet, acquirimus nobis de Deo cognitionem quae efficitur multis conceptibus, judiciis, ratiociniis: in quibuscumque judiciis, conceptus quivis, singillatim spectati, quibus constituuntur judicia, remanent similitudo intentionalis alicujus formae vel quasi formae; ex complexu autem multorum judiciorum efformatur in nobis conceptus quasi *totalis* sive de ipsa essentia Dei, sive de singulis perfectionibus: v. gr. inquirendo de *scientia* Dei, per diversa judicia triplicis viae indicatae, gignitur in nobis aliqua totalis notio de scientia divina. De illis conceptibus totalibus certò intelligi potest hoc quod dicitur, nempe: conceptus analogici de Deo formantur in nobis per triplicem viam. Sed praeterea idem dici debet de illis conceptibus qui sunt positivi quoad *id quod* repraesentatur, et negativi quoad *modum quo* hoc a nobis repraesentatur; tales sunt, v. gr., simplex, infinitus, aeternus, etc. V. gr. notio aeternitatis divinae nobis acquiritur sequenti modo: per viam *affirmationis* Deus asseritur permanens in existendo; per viam *negationis* removetur a Dei permanentia in existendo omne initium, omnis finis, omnis successio; per viam *eminentiae* asseritur Dei permanentia in existendo esse supra omnem permanentiam, esse multo perfectior, imo intrinsece infinita in perfectione: ita integra notio formatur de permanentia in existendo quae soli Deo convenit.

291. Perfectiones simplices tum Deo tum creaturis conveniunt secundum analogiam proportionalitatis propriae; perfectiones mixtae secundum analogiam proportionalitatis metaphoricae.

PROPOSITIO TERTIA. **Perfectiones simplices Deo et creaturis conveniunt secundum analogiam proportionalitatis propriae, perfectiones mixtae non nisi metaphorice dici possunt de Deo.**

Auctores non unicam adhibent terminologiam, qua distinguunt diversas species analogiae (2); ad rem autem quod attinet, non putamus esse difficultatem vel controversiam circa id quod in propositione statuitur.

Etenim 1° perfectiones simplices *proprie* et *formaliter* insunt Deo, uti suprà, n. 190 s., demonstravimus, et etiam creaturis; sed *inaequaliter* in Deo et in creaturis: in Deo enim perfecte, h. e. illimitate, in creaturis imperfecte, h. e. limitate: quapropter illae perfectiones sunt communes Deo et creaturis secundum analogiam *proportionalitatis propriae.*

Perfectiones simplices considerari possunt in Deo, non solum ut *perfecte* insitae sed etiam *per prius;* in creaturis vero non solum imperfecte, sed etiam *per posterius*

(1) Ulteriorem explicationem de doctrina illius scriptoris circa nostram de Deo cognitionem videsis ap. LE BACHELET, *o. c.,* col. 1119 ss.; praesertim col 1122 s., ubi exponitur illum non adhaesisse cuidam agnosticismo.

(2) Cf. REMER, *o. c.,* t. I, p. 19 s., 217 s.; DE JAEGHER, *o. c.,* n. 17; BITTREMIEUX, *De analogica nostra cognitione,* p. 7 ss.; HUGON, *Logica,* Parisiis, 1903, p. 45 ss.

seu *derivate:* tunc communes sunt illae perfectiones etiam secundum analogiam quam vocant *attributionis intrinsecae,* vel cum forma intrinseca.

Praeterea si consideratur ratio entis, (idem dicendum de notione bonitatis, etc...) haec convenit Deo tamquam ei qui per essentiam est ens, seu quod concrete est esse, proinde *esse ipsum;* inde creaturae dici possunt *ens,* seu notio entis ipsis *attribui* potest, formaliter quatenus sunt effectus illius esse, formaliter propter relationem quam habent ad Deum tamquam ad causam exemplarem et efficientem: haec est analogia attributionis *extrinsecae,* sicut quando color dicitur sanus, quia est effectus et signum sanitatis. Haec analogia est secundum *nomina* tantum.

Perfectiones autem mixtae non nisi *metaphorice* dici possunt de Deo, quia *non formaliter* insunt Deo, sed tantum eminenter. V. suprà, n. 190.

§ II.

De cognitione Dei intuitiva et propria.

292. In coelo dari cognitionem Dei intuitivam, immediatam et propriam explicatur,

PROPOSITIO PRIMA. **Justi, post hanc vitam, essentiam Dei cognoscent cognitione intuitiva, immediata et propria.**

Explicatio.

1. Hîc agitur de asserendo *facto* intuitivae cognitionis Dei, nempe quod homines, qui in statu justitiae supernaturalis moriuntur, hanc Dei visionem obtinebunt. In hoc facto, certificato per divinam revelationem, continetur *possibilitas* praedictae cognitionis. Haec possibilitas nequit naturali rationis lumine *positive* demonstrari: sed tantum potest naturalis ratio solvere objectiones quae quae opponuntur praedictae possibilitati, adeoque ostendere non dari in ipsa evidentem contradictionem aut repugnantiam (1).

2. Haec cognitio plerumque dicitur metaphorice *visio,* ut indicetur illam esse intuitivam et claram; sed non potest esse nisi *intellectualis:* quia essentia divina nullatenus oculis corporeis aut aliquo sensu apprehendi potest: siquidem Deus est omnino incorporeus (2).

3. Haec cognitio dicitur a) *intuitiva:* quia est omnino directa et clara, uti explicatur in definitione Benedicti XII, quae infrà dabitur. Praeterea dicitur etiam intuitiva, sensu philosophico, quia, uti demonstrabitur, haec cognitio nequit fieri per aliquam speciem abstractam a rebus materialibus, imo nequit fieri per ullam speciem *impressam,* actuantem et informantem intellectum; b) dicitur *immediata* seu facialis, quia in illa, nulla creatura se ut intermediam habet in ratione objecti cogniti, sed ipsa essentia divina immediate et nude est objectum intelligibile quod apprehenditur ab intellectu creato; c) dicitur *propria,* quia est cognitio qua essentia divina cognoscitur *sicuti est in se,* clare et aperte.

Haec cognitio dicitur etiam *beatifica,* ex effectu, quia creatura per hanc obtinet essentialem et, de facto, plenam beatitudinem: sed de hac re nobis non est hîc agendum (3).

---

(1) Cf. CARD. BILLOT, *De Deo,* Thes. XIII, § 2, p. 150 ss.
(2) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XII, a. 3.
(3) Videsis *Collat. Brug.,* t. III, p. 363, 427, t. VI, p. 658; GARDEIL, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Béatitude,* col. 506 ss.

293. esse de fide ostenditur,

4. Propositio suprà enuntiata est de fide.

Continetur enim in constitutione « Benedictus Deus », data a Benedicto XII, 29 Jan. 1336, in qua definitur quod justi in coelo « vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animae qui jam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam » (1).

In documento cujus titulus *Libellus de erroribus ad Armenos transmissus* (2) (transmissus an. 1341 a Benedicto XII) indicabatur ut error etiam opinio eorum qui tenebant animas justorum, post judicium, non visuras ipsam essentiam divinam, sed visuras claritatem Dei, quae ab ejus essentia emanat, sicut lux solis emanat a sole et tamen non est sol.

Definitio facta a Benedicto XII fuit renovata in Concilio Florentino, an. 1439, in decreto pro Graecis (3).

294. demonstratur: A) ex S. Scriptura,

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura.

1. « Sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur; ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est (τὸ τέλειον), evacuabitur quod ex parte est... Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum ». 1 Cor. XIII, 8-12.

Hoc in loco Apostolus laudes charitatis affert, et nominatim hanc laudem, quod in aeternum duratura sit charitas, quum charismata sint peritura. Loquitur de charismatibus supernaturalibus quae ad *cognitionem* pertinent: jamvero omnis nostra de Deo et de rebus divinis cognitio, quae habetur *nunc,* h. e. *hac in terra,* est *mediata:* per speculum; *obnubilata* seu *analogica:* in aenigmate; *fragmentaria:* ex parte.

E contrario, nostra cognitio, *tunc, in coelo* erit *completa* seu *perfecta:* τὸ τέλειον (non ex parte: ἐκ μέρους); erit *immediata:* facie ad faciem (non per speculum); erit omnino *clara* et proinde *propria.* cognoscam πεγνώσομα sicut et cognitus sum, scil. a Deo.

2. S. Joannes, *1 epist.,* III, 2, dicit: « Carissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit [hoc quod erimus], similes ei [Deo] erimus, quoniam videbimus eum sicuti est ». Etiam hoc in loco fit oppositio inter conditionem in qua justi versantur *nunc,* hac in vita, et conditionem in qua erunt postea, in altera vita: jam nunc, justi sunt filii Dei; sed postea perficietur et complebitur haec conditio: fient similes Deo, quia eum videbunt *sicuti est,* h. e. cognoscent eum cognitione *clara* et *propria,* nullo modo obnubilata aut analogica.

---

(1) *Enchir.,* n. 530.

(2) De occasione qua confectum fuit hoc documentum et de materia ejusdem, cf. Le Bachelet, *Dict. de théol. cath.,* art. *Benoît XII,* col. 696 ss.

(3) *Enchir.,* n. 693.

N. B. Licet S. Paulus, 1 *Cor.* XIII, 8-12, non explicite dicat objectum visionis facialis, quam describit, esse ipsum Deum, hoc tamen implicite continetur in exposita doctrina; S. Joannes vero, 1 *epist.*, III, 2, explicite docet objectum cognitionis facialis, quae in altera vita habebitur, esse ipsum Deum. Igitur ex duobus textibus simul sumptis omnino completa est demonstratio theseos propositae.

Factum existentiae visionis intuitivae confirmatur ex hoc quod dicit Christus: « Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt ». *Matth.*, V, 8; « Angeli eorum [infantium] in coelis semper vident faciem Patris mei qui in coelis est ». *Matth.*, XVIII, 10: Dei cognitio *facialis* est propria eorum qui in coelis sunt.

B. Ex Traditione (1).

295.
B) *ex Traditione*

1. Ante haeresim Eunomii (v. suprà, n. 134) Patres docuerunt intuitivam Dei visionem hominibus justis reservari in coelo: ita S. Irenaeus, *Adv. Haeres.*, L. IV, c. 20, n. 5, P. G., t. 7, col. 1035; S. Cyrillus Hieros., *Cateches.* VI, c. 6.

2. Post exortam haeresim Eunomii, Patres, qui contra illum propugnant incomprehensibilitatem Dei, quosdam adhibent loquendi modos, qui primo aspectu videntur contradicere dogmati de intuitiva Dei visione concessa angelis et hominibus in coelo. Attamen, re bene perpensa, constat illos non intuitivam Dei visionem negare, sed adaequatam de Deo cognitionem; eo sensu quo Deus *comprehenderetur*, seu cognosceretur quantum in se cognoscibilis est (2). Praeterea in scriptis in quibus non polemice agunt contra Eunomium, visionem Dei intuitivam affirmant.

S. Basilius, *epist.* 8, n. 7. P. G., t. 32, col. 257, cognitioni Dei ex rebus factis acquisitae, quae huic terrestri vitae est propria, opponit contemplationem nudae divinitatis in altera vita.

S. Joannes Chrysost., *Ad Theodoretum lapsum*, L, I, n. 11, dicit: « Audi quid dicat beatus Petrus: *Bonum est nos hîc esse.* Quodsi ille, obscura quadam conspecta futurorum imagine, omnia statim rejecit ab animo, ob inditam a tali visione voluptatem: quid dicetur quando ipsa rerum veritas aderit, quando apertis regiis aedibus, ipsum regem conspicere licebit non ultra in aenigmate neque per speculum, sed facie ad faciem, non ultra per fidem, sed per speciem ».

S. Augustinus, *epist.* 148, c. 2, n. 6 ss. P. L., t. 33. col. 624 ss., dicta aliorum Patrum interpretatur, qui docent Deum non posse oculis corporeis videri, posse tamen cognosci facie ad faciem.

3. S. Augustinus doctrinam de intuitiva Dei visione exponit in opere *De Civitate Dei*, L. XI, c. 29, L. XXII, c. 29, P. L., t. 41, col. 343, 796; *De Trinitate*, L. XIV, c. 17-19, P. L., t. 42, col. 1054 ss. *De videndo Deo* seu *epist.* CXLVII, P. L., t. 33, col. 596 ss.

Tandem S. Gregorius I, *Moralia* (opus scriptum infrà an. 578-595), L. X, c. 28, sic praeclare loquitur: « Sciendum est quod fuere nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in *claritate* quidem sua conspici, sed in *natura* minime videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici et incommutabili essentiae aliud est claritas et aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est ».

---

(1) Cf. Petavius, *De Deo*, Q. VII, c. 7, Franzelin, *De Deo uno*, thes. XIX.
(2) Cf. Kleutgen, *De ipso Deo*, n. 416; Pohle, *o. c.*, p. 52 ss.

296. In Deo intuitive cognito cognoscuntur quaedam aliae res.

DE OBJECTO VISIONIS INTUITIVAE DEI.

Immediatum objectum praedictae cognitionis est ipsa essentia divina sicuti est in se: ergo unitas divinae essentiae simul ac Trinitas Personarum plane perspicitur. *In* hac autem *essentia cognita,* et *simul* ac ipsa cognoscitur (1) quatenus est causa exemplaris et efficiens aliarum rerum, cognoscuntur etiam res distinctae a Deo, non tamen omnes res possibiles, ut infrà dicetur; nec etiam tot cognoscuntur ab uno cognoscente quot ab alio, qua de re sermo erit infrà.

297. Intuitivam Dei visionem esse simpliciter supernaturalem explicatur,

PROPOSITIO SECUNDA. **Intuitiva Dei visio est simpliciter supernaturalis.**

Simpliciter supernaturalis hîc intelligitur: positive indebita cuilibet naturae finitae. Simpliciter supernaturale est aliquid ad quod nulla natura finita habet de se positivam dispositionem aut exigentiam, ad quod naturali virtute attingere nequit (2).

In Concilio Viennensi, an. 1311-1312, damnati sunt errores Beguardorum, notatim damnata est haec propositio: « Quod anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum (3) ».

Inter propositiones Baii damnatas, an. 1567, est haec 5ª: « Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt » (4).

Haec assertio, intellecta secundum doctrinam Baii, excludit necessitatem gratiae, nempe doni supernaturalis, elevantis intrinsece hominem, ad consequendam aeternam beatitudinem, proinde intuitivam Dei visionem exhibet ut mercedem connaturaliter debitam ad ipsa opera bona (5).

Consideratis his declarationibus et S. Scripturae doctrina, quam infrà exponemus, tenent theologi *de fide* esse intuitivam Dei visionem esse supernaturalem respectu omnis intellectus de facto creati, sive hominis, sive angeli. Sed quidam fuerunt theologi, qui contenderunt posse creari a Deo aliquem intellectum cui naturalis esset intuitiva Dei visio (6). Haec sententia non fuit explicite damnata: attamen communiter habetur ut certo erronea et contradictoria ejusdem ut theologice certa.

298. demonstratur: A) ex S. Scriptura,

Demonstratio.

A. EX S. SCRIPTURA.

Intuitiva Dei visio nobis in S. Scriptura exhibetur *a*) ut *complementum* status justificationis quae habetur hac in terra: ita S. Joannes, 1ª *epist.*, III, 2, quoad substantiam hoc dicit: nunc jam filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.., quando hoc apparuerit, tunc videbimus Deum sicuti

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XII, a. 8-10.
(2) De notione entis *supernaturalis* cf. VAN DER MEERSCH, *Le divina gratia,* n. 5 ss.; *Collat. Brug.*, t. II, p. 114 s., t. III, p. 511 s.; TERRIEN, *La grâce et la gloire,* t. II, L. XI, p. 319 ss.
(3) *Enchir.*, n. 475.
(4) *Enchir.*, n. 1004.
(5) Cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, art. *Baius*, col. 76 s.
(6) Ita DE RIPALDA. *De ente supernaturali,* T. I, Disp. XXIII, p. 203 ss., et t. II, disp. ultima, sect. XL, p. 784 ss. Substantia, quae esset natura sua positive ordinata ad intuitivam Dei visionem, dicitur a Ripalda: substantia intrinsece supernaturalis.

est: ergo haec Dei visio est complementum status adoptionis filiorum, quae jam habetur hac in terra; *b*) ut *sequela fidei,* nempe ut cognitio reservata illis qui hac in terra *credunt* et cognoscunt Deum per charismata: haec est doctrina S. Pauli, *1 Cor.,* XIII, 8-12, v. suprà, n. 293; *c*) ut cognitio *propria* illorum qui in *coelo* admittuntur, *Matth.,* XVIII, 10; *1 Cor.,* XIII, 8-12; *1 Joan.,* III, 2; *Apoc.,* XXII, 4, qui ibi fruuntur beatitudine, quae est merces operum salutarium, quae hac in terra egerunt: *Matth.,* XXV, 34 ss.; *2 Tim.,* IV, 8; atqui status justificationis, fides, opera salutaria, sunt simpliciter supernaturalia (quae omnia demonstrantur in tractatu de gratia), ergo intuitiva Dei visio quae est in eodem ordine ac illa, imo quae est fastigium ad quod illa omnia sunt ordinata, est etiam simpliciter supernaturalis.

Quae conclusio demonstrari potest ex sola consideratione *adoptionis* creaturae rationalis in filium Dei. Etenim omnis creatura rationalis est essentialiter in conditione servi respectu Dei, et creaturae est positive indebita conditio filii adoptivi a Deo, quippe quae importat ut adoptatus fiat haeres bonorum quae sunt propria Dei: ergo omnis adoptio creaturae in filium Dei est supernaturalis; ergo et intuitiva Dei visio, quae est complementum et fastigium hujus adoptionis.

B. Ex Ratione.

299.
B) ex ratione.

In quolibet intellectu creato, omnis cognitio *naturalis* de aliquo ente a se distincto fit per hoc quod in intellectu recipitur species, seu similitudo repraesentativa rei cognoscendae; atqui impossibile est ut per hunc cognitionis modum habeatur cognitio *propria* de Deo; ergo cognitio propria de Deo seu visio Dei intuitiva nequit esse *naturalis* ulli intellectui creato.

Major declaratur. Creatura non est suum intelligere, sed intelligere, in creatura, est accidens, realiter distinctum a substantia, ad quod intellectus creatus est in potentia. Proinde oportet intelligentem actuari per rem intellectam in esse intellecto, proportionaliter sicut imaginans actuatur per rem imaginatam in esse imaginato. Ex alia autem parte, nulla potentia *naturaliter* actuatur nisi per actum qui recipiatur in ea, eique commensuretur. Omnis igitur *naturalis* cognitio creaturae determinatur a specie impressa seu recepta in eo, sicut accidente in subjecto: quae quidem species se habet ut id quo cognitum, secundum esse repraesentativum in actu secundo, unitum est cognoscenti.

Minor declaratur. Ratione transcendentalis ordinis actus ad potentiam, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur necesse est. Ideo species impressa seu intentionalis similitudo, in intellectu recepta, non repraesentat objectum nisi secundum modum intellectus cognoscentis; quo fit ut, si modus essendi rei cognitae transcendat cognoscentem, impossibile sit objectum cognosci *ut in se est,* h. e. secundum proprium modum nobilitatis seu immaterialitatis ejus. Sed omnis creatura, quantumvis perfecta et a rerum materialium conditione cogitetur elongata, semper tamen in infinitum distat a divina immaterialitate: semper enim est composita seu habens esse; solus

autem Deus est suum esse et actus purissimus. Igitur omnis species impressa, in intellectu creaturae existens, repraesentabit Deum per modum alicujus habentis esse, non autem per modum Esse subsistentis, qui est modus proprius Dei. Impossibile est ergo ut intellectus creatus, *naturali modo operans,* nempe determinatus ad cognoscendum per speciem ipsi inhaerentem, cognoscat Deum ut est in se; consequenter visio divinae essentiae intuitiva transcendit naturales vires cujuscumque intellectus creati vel creabilis (1).

Adnotatio. Hoc argumentum demonstrat non posse haberi ab intellectu creato, *naturaliter operante,* intuitivam Dei visionem: non sequitur hanc visionem esse impossibilem omni creaturae. Deus enim influxu *supernaturali* potest in creatura producere effectum et operationem quae transcendunt naturales vires creaturae. — *Immaterialitas* facultatis intellectivae requiritur ut in hac possit supernaturaliter fieri intuitio essentiae Dei: secus enim divina essentia non posset ullo modo esse objectum intelligibile respectu illius facultatis.

300. Exponitur notio appetitus

Scholia.

1um. *Utrum in humana natura possit esse naturaliter tendentia seu appetitus ad visionem Dei intuitivam.*

In aliqua natura, tendentia seu appetitus est *positiva ordinatio* ad aliquam perfectionem, est aliqua *exigentia* ad aliquam formam vel quasi-formam, quae se habet ut actus ad potentiam correspondentem: ita ut si deficiat ille actus, seu illa perfectio, natura sit carens aliqua perfectione ipsi debita.

innati,

Porro distinguitur appetitus *innatus* et appetitus *elicitus* (2). *Innatus* appetitus nihil aliud est quam ipsa *entitativa proportio* seu ordinatio naturae ad suum *proprium* bonum, est ordo transcendentalis potentiae ad actum. Ita omnis substantia appetit *esse;* omnis facultas operativa appetit propriam operationem et ejusdem objectum. « Unaquaeque potentia, ait S. Thomas, appetit suum objectum appetitu naturali » (3).

Inde distinguitur appetitus innatus a *potentia obedientiali:* distinguitur non realiter, sed formaliter, quatenus ratio formaliter significata per terminum « appetitus innatus » est diversa a ratione significata per terminum « potentia obedientialis »: haec enim nihil aliud dicit quam meram in subjecto capacitatem formae vel quasi-formae accipiendae a Deo, quatenus est omnipotens et proinde quatenus efficere potest omne quod non intrinsece pugnat: ita v. gr. homo aegrotus est in potentia obedientiali ad recipiendam miraculose sanitatem; iterum intellectus humanus est in potentia obedientiali ad recipiendam scientiam infusam; etiam ad recipiendum infusum habitum fidei. Igitur potentia obedientialis non dicit *proportionem* subjecti ad proprium bonum, h. e. ad bonum ipsi debitum, sive ut *simpliciter* sit, sive ut *bene* sit.

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XII, a. 4; card. BILLOT, *De Deo,* thes. XIII, p. 145; *De virtutibus infusis, Prolegomenon,* III, § 1; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.,* t. XVI, p. 89 ss., 174; MATTIUSSI, *Il veleno Kanziano,* p. 128 ss.; PÈGUES, *Comment. franç. littér.,* t. I, p. 323 ss.

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 288; MATTIUSSI, *Il veleno Kanziano,* p. 149.

(3) *De Veritate,* Q. XXII, a. 3 ad 5. Cf. *Sum. theol.,* I, Q. LXXX, a. 1.

elicitl,

Elicitus appetitus est *operatio,* elicita ab aliqua facultate operativa et *consequens ad apprehensionem boni:* inde in subjecto potest esse appetitus elicitus ad omne id quod ut bonum apprehenditur ab eodem subjecto (1).

Elicitus appetitus est operatio quae procedit a facultate *appetitiva* (quae etiam vocatur appetitus) quae realiter distinguitur a facultate *cognoscitiva.* Porro in homine datur duplex genus facultatis cognoscendi, nempe cognoscendi *sensibiliter* et cognoscendi *intellectualiter;* inde duplex genus virtutis *appetitivae,* nempe *sensibilis* et *rationalis* (2).

qui est efficax vel inefficax.

Ulterius in appetitu rationali seu in voluntate distinguitur duplex desiderium: *efficax* et *inefficax. Efficax* dicitur quando correspondet alicui verae indigentiae subjecti volentis, ita ut si non obtinetur objectum talis desiderii, subjectum volens manet imperfectum, carens aliqua perfectione debita. Et efficax dicitur tum quatenus est proportionatum objecto, ita ut vere moveat subjectum ad prosecutionem illius boni, tum etiam quatenus, si non obtinet objectum, producit veram tristitiam in subjecto. *Inefficax* dicitur quando ejus objectum, quod quidem ut bonum apprehenditur, non tamen cognoscitur ut bonum proportionatum subjecto, sed cognoscitur ut bonum quod est extra ordinem perfectionis proportionatae subjecto, vel est superiori naturae proprium. V. gr. inefficax est desiderium quo homo vellet habere alas ad volandum: quia talis modus se movendi localiter non est proportionatum homini; inefficax etiam est desiderium quo homo vellet intelligere eadem perfectione qua angeli intelligunt: de absentia utriusque boni nunquam rationabiliter poterit homo tristari (3).

301. Ad visionem Dei intuitivam, humana natura non habet appetitum innatum,

Ex dictis facile intelligentur asserta sequentia quibus propositae quaestioni respondetur:

a) *In humana natura nequit esse appetitus* INNATUS *ad visionem Dei intuitivam:* etenim haec cognitio est simpliciter supernaturalis, et proinde positive indebita omni substantiae finitae; ergo non datur, in substantia finita, positiva proportio vel vera exigentia ad illam. Hoc patet ex *definitione* entis supernaturalis. — Quodsi quis contenderet bona illa quae nunc, in Ecclesia catholica, ut supernaturalia habentur, esse positive proportionata humanae naturae et innato ejusdem appetitui vel energiae correspondentia, hic propugnaret haeresim (vel saltem errorem) olim damnatam in Baio (4).

---

(1) S. Thomas differentiam inter appetitum *innatum* et *elicitum* bene exponit his verbis, in quibus tamen loquitur de appetitu elicito *sensitivo,* quem vocat appetitum *animalem:* « Appetitus naturalis est inclinatio cujuslibet rei in aliquid ex natura sua. Unde *naturali* appetitu [his verbis designatur appetitus *innatus*] quaelibet potentia desiderat sibi conveniens. Sed appetitus *animalis* [h. e. elicitus] consequitur formam *apprehensam:* et ad hujusmodi appetitum requiritur specialis animae potentia, et non sufficit sola apprehensio. Res enim appetitur, prout est in sua natura. Non est autem secundum suam naturam in virtute apprehensiva, sed secundum suam similitudinem. Unde patet quod visus appetit naturaliter [h. e. appetitu *innato*] visibile solum ad suum actum, scilicet ad videndum. Animal autem appetit *rem* visam per vim appetitivam [ex qua elicitur *actio* appetendi seu appetitus elicitus] non solum ad videndum sed ad alios usus. Si autem non indigeret anima rebus perceptis a sensu nisi propter actiones sensuum, scilicet ut eas sentiret, non oporteret appetitum ponere speciale genus inter potentias animae, quia sufficeret appetitus naturalis [h. e. innatus] potentiarum ». *Sum. theol.,* I. Q. LXXVIII, a. 1, ad 3.

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 380, 444.

(3) Ita MATTIUSSI, *o. c.,* p. 156. Cf. PÈGUES, *Commentaire littéral de la Somme théologique de S. Thomas,* t. IV. *Traité des Anges,* Toulouse, 1908, p. 522.

(4) Cf. *Enchir.,* n. 1021, 1024; MAUPRÉAUX, in *Revue Augustinienne,* t. XIV, p. 106.

nec elicitum qui sit efficax,

b) *In humana natura non potest esse appetitus* ELICITUS (*seu desiderium*) EFFICAX *ad ordinem supernaturalem.* Et sane, homo nequit efficiter desiderare aliquod bonum ad quod cognoscit se non esse proportionatum seu ordinatum ex natura sua: sicut homo nequit efficaciter desiderare habere alas ad volandum, ita nec habere visionem Dei intuitivam.

sed habere potest elicitum qui sit inefficax,

c) *In humana natura, saltem supposita revelatione, potest naturaliter oriri appetitus elicitus* INEFFICAX *ad ordinem supernaturalem vel ad aliquod bonum supernaturale* (1). Etenim homo potest desiderare, saltem ineffaciter, omne quod ut bonum apprehendit.

Supponamus hominem, non adhaerentem fidei catholicae, sed naturali rationis lumine persuasum habentem quod Deus existit et quod in Ejusdem possessione per intellectum consistit vera hominis felicitas. Si talis homo cognoscit catholicos credere humanam beatitudinem, in praesenti Providentiae ordine, consistere in possessione Dei per *intuitivam visionem essentiae Dei,* poterit ille homo *naturaliter* desiderare ut gaudeat aliquando illa perfectissima Dei cognitione: poterit nempe sibi dicere: optimum mihi esset intuitive videre Deum et vellem ut ita foret; sed in ipso ordine rationis remanens, deberet logice dicere sibi: talis cognitio non est proportionata intellectui humano et proinde naturale desiderium meum possidendi Deum quiescet in possessione Dei minus perfecta, in aliqua cognitione quae plene *correspondet ipsi indoli intellectus humani* (2). Inefficax igitur est ille appetitus naturalis elicitus ad visionem beatificam, eo vel magis quod homo *solo rationis lumine* nunquam poterit certo cognoscere ad hunc finem, sc. ad visionem beatificam, de facto a Deo ordinari homines, nec poterit ejusdem possibilitatem *positive* demonstrare.

Patet etiam illum appetitum nihil aliud esse quam *actionem* VOLUNTATIS *consequentem ad apprehensionem intellectivam* boni: non existit in homine aliqua facultas operativa, a voluntate distincta, qua ad ipsum Deum homo immediate tendat, vel ad res religiosas: ad bonum omne immateriale, sive sit perfectio physica, ut scientia, sive proprie *moralis,* ut religio subjective spectata, tendit homo per *voluntatis* appetitum (3).

301bis. Ulterior explicatio circa formalem rationem **supernaturalitatis.**

Adnotatio. Quum in theologia summi sit momenti ut notio *supernaturalitatis* dilucide proponatur et praesertim ut rite exponatur supernaturalitas *intuitivae Dei visionis,* (quippe quae est summum donum supernaturale), tria hic asserta breviter propugnamus (4): 1°) in nulla natura creata habetur appetitus innatus ad intuitivam Dei visionem; 2°) possibilitas illius visionis nequit positive demonstrari solo naturali rationis lumine; 3°) in philosophia proprie dicta, ut haec scientia proprium suum attingat finem, non requiritur ut proponatur doctrina de intuitiva Dei visione.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 437 in nota, ubi habetur textus S. THOMAE, (*De virtutibus in communi*, a. 10) cum commentario ILLmi AC REVmi WAFFELAERT.

(2) Cf. PÈGUES, *o. c.*, t. I, p. 319.

(3) Conclusionem, quae ex illis assertis infertur circa *apologeticae* methodum, videsis in *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 678 ss.

(4) Illa asserta opponimus opinioni expositae a P. G. DE BROGLIE, ap. *Recherches de science religieuse*, t. XIV, 1924, p. 193, 481, t. XV, 1925, p. 5; et a P. MARÉCHAL, *Le point de départ de la métaphysique*, cahier V, Louvain, 1926, p. 349 ss.

Et sane, 1°: nullus intellectus creatus, *essentia sua,* positive disponitur seu ordinatur ad intuitivam Dei visionem, quum omnis intellectus creatus, cognoscendo ens a se distinctum, determinari debet ad cognitionem per speciem impressam, proportionatam gradui immaterialitatis intellectus cognoscentis, ut suprà, n. 299, demonstravimus. Quapropter in nullo creato intellectu potest esse innatus appetitus ad visionem Dei intuitivam. — Hoc bene notemus quod si intellectus creatus ita constitueretur ut non posset plene *quiescere* et proinde propriam sibi perfectionem attingere, nisi in ipsa intuitiva Dei visione, tunc haec visio esset *debita* illi intellectui, esset *proportionata* illi, et consequenter *simpliciter naturalis.* Nec dicas: intellectus creatus natura sua intrinsece appetit intuitivam Dei visionem, sed hanc nequit habere viribus *naturalibus,* adeoque visio Dei intuitiva est *supernaturalis:* talis assertio absurditatem continet: etenim si actio quaedam est *debita* intellectui creato omne medium *necessarium* ad illam actionem est et ipsum *debitum* illi naturae et proinde *naturale* (1).

2° *Possibilitas intuitivae Dei visionis nequit positive demonstrari naturali rationis lumine.* Etenim si essentia intellectus creati consideratur et modus operandi ad quem naturà suà ordinatur, logice concludimus intuitivam Dei visionem non competere illi sed esse cognitionem quae a facultate creata, quantumvis perfecta, elici nequit naturali virtute, proinde in ipsa creatura nulla detegitur ratio capacitatis relate ad intuitivam visionem Dei (2).

Sed objicies forsan: Naturalis appetitus ad aliquod objectum est signum possibilitatis illius objecti; atqui homini inest naturalis appetitus ad intuitivam Dei visionem; ergo ex illo appetitu constat possibilitas intuitivae Dei visionis.

Respondeo:

naturalis appetitus ad aliquid est signum possibilitatis illius:
dist. *Maj:* si est appetitus *innatus,* conc.

si est appetitus *elicitus,* subd. { si est *efficax,* conc. / si est *inefficax,* nego

contrad. *min.:* homini inest naturalis appetitus... *innatus, nego*

elicitus subd. { *efficax* nego / *inefficax,* conc.

Sub datis distinctionibus nego consequens et consequentiam.

Suprà, sub 1°, exposuimus quomodo appetitus *innatus* sit vero exigentia naturalis ad objectum ad quod tendit et consequenter signum possibilitatis illius objecti. Sed simul ostendimus non inesse homini *innatum* appetitum ad intuitivam Dei visionem.

Homo autem, intellectu praeditus, naturaliter *elicere* potest desiderium ad omne quod ut sibi bonum apprehendit, imo homo necessario tendit appetitu elicito ad id quod ut bonum apprehendit, sed homo potest naturaliter apprehendere ut

---

(1) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicae,* in *Collat. Brug.,* t. VI, p. 437, in nota ubi A., interpretando S. Thomae scriptum de *virtutibus in communi,* a. 10, ostendit qualis sit relatio ordinem naturae inter et ordinem gratiae seu naturalia inter et supernaturalia: videlicet, haec duo, quamvis sint distincta, non tamen sunt opposita aut imo disparata, sed ita supernaturalia naturam perficiunt ac quasi complent ut novus ordo perfectus exsurgat. *Novus* est ille ordo, quia positive indebitus naturae.

In naturali desiderio cognoscendi Deum quantum est cognoscibilis, desiderat homo *implicite* videre intuitive Deum si hoc sit possibile; cognita porro ex revelatione possibilitatem intuitivae Dei visionis, hanc etiam explicite desiderat homo tamquam id quod est ultima *perfectio* ipsius et in quo *perfecte* omnino quiescit appetitus. — Etiam memores simus doctrinae alibi expositae, scilicet: omnis substantia creata essentialiter ordinatur ad *operandum:* operationem tamen naturalem elicere nequit substantia, nisi *physice moveatur a Deo:* illam praemotionem non habet nec habere potest *a se* substantia creata, sed quia illa praemotio est omnino necessaria ad hoc ut substantia *propriam* eliciat operationem, ideo illa praemotio est *simpliciter naturalis.* Cf. VAN DER MEERSCH, *De gratia,* n. 267.

(2) Ad rem dicit EMmus BILLOT: « Igitur revelatione seposita, per quam solam tum existentia tum possibilitas ejusmodi visionis nobis innotescit, nihil aliud in potestate rationis est nisi ut determinet per exclusionem quae sit visionis intuitivae ratio, declaretque principia ex quibus pendet solutio argumentorum in contrarium, quantum scilicet satis est ad removendam *evidentem* contradictionem sive repugnantiam ». *De Deo uno et trino,* thes. XIII, § 2, p. 150-151. Cf. etiam VAN CROMBRUGGHE, in *Collat. Gandav.,* t. XIII, p. 163, ubi agit auctor de *non-impossibilitate beatificae visionis.*

bonum et proinde naturaliter desiderare aliquid quod illi non proportionatur, quod non attingi potest viribus suis, imo quod est impossibile. Ita potest homo naturaliter elicere desiderium volandi seu movendi se in aëra, cognoscendi tanta perfectione quanta cognoscunt angeli, etc. Tale desiderium est *inefficax*, quia non habet nec exigit humana natura id quo tali desiderio fiat satis; tale desiderium vocatur *velleitas*, quia exprimitur vocabulo *vellem* hoc, nempe si esset possibile. Potest igitur homo habere naturale desiderium elicitum ad aliquid quod illi est impossibile consequi: igitur naturale desiderium *elicitum* non est ex sese signum possibilitatis objecti ad quod tendit.

Quoad intuitivam Dei visionem, certo, homo, si apprehenderit illam de Deo cognitionem, hanc naturaliter desiderabit. Sed imprimis hoc notemus quod homo, si remanet in ambitu cognitionis sibi naturalis ne cogitabit quidem de intuitiva Dei visione (1): hic enim modus cognoscendi est omnino suprà omnem cognoscendi rationem de qua homo naturaliter acquirit notionem. Quodsi homo non habet naturaliter notitiam de intuitiva Dei visione, nec habebit naturaliter desiderium elicitum de illa.

Sed omissa illa consideratione, concedimus quod homo si quocumque tandem modo pervenerit ad notionem intuitivae visionis, hanc naturaliter desiderabit, sed ille appetitus est *inefficax:* quia homo, si perspexerit quid sit intuitiva Dei visio intelligit se esse naturaliter imparem, incapacem ad illam habendam et proinde illi esse renunciandum tamquam bono quod illi non competit: sicut homo renunciat bono quod consistit in volando, in cognoscendo ea perfectione qua cognoscunt angeli. Patet quod tale desiderium elicitum et inefficax non est signum quo aliquis inferre queat possibilitatem visionis intuitivae.

3° Ex quo tandem sequitur *in philosophia* non esse habendam rationem de possibilitate vel de existentia intuitivae Dei visionis. Etenim philosophia est « scientia quae rationis lumine investigat rerum omnium ordinem ad altissima sua principia et supremas suas causas ». Inde philosophia, tum in logica, tum in psychologia investigat, *naturali rationis lumine*, ea quae pertinent ad essentiam intellectus humani, ad ejus operationes, ad objectum cognoscibile ab eo, ad modum cognoscendi, etc: illa investigatio limitatur ad illa quae intellectui humano *naturalia* sunt, quippe quae vel intellectum constituunt, vel ab ejus essentia exiguntur, vel ad illam consequuntur vel pertinent ad illum ordinem rerum quae illi intellectui connaturaliter *proportionantur*. Non pertinet ad scientificam vel philosophicam investigationem modus *supernaturalis* cognoscendi, si ille contingat existere. Jamvero intuitiva Dei visio est essentialiter supernaturalis et ejus supernaturalitas consistit formaliter in *modo cognoscendi:* consistit nempe in hoc quod essentia divina ipsa *immediate*, absque ulla specie finita impressa, fiat objectum intelligibile intellectui creato qui proinde *intuetur* essentiam divinam. Hic cognoscendi modus nequit adduci in philosophia vel ad definiendum objectum intellectus humani, vel ad stabiliendum ejus valorem objectivum, vel ad determinandum finem ad quem tendit.

Etiam bene notemus quod innatus appetitus quo intellectus tendit ad cognoscendum *ens omne* et omnis entis causam vel rationem, limitatur *intrinsece* ad modum cognoscendi qui intellectus viribus *proportionatur* et proinde *naturalis* est.

302. S. Thomas docet visionem Dei intuitivam esse simpliciter supernaturalem,

2um **Scholion.** *De mente S. Thomae.* Difficile videtur illud quod habet S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. XII, a. 1, ubi *possibilitatem* visionis Dei intuitivae probat ex *naturali desiderio* hominis ad cognoscendam causam, quando effectus cognoscit. Ex hoc argumento videtur visionem Dei intuitivam esse, secundum mentem S. Thomae, *naturalem*, quippe quae compleat naturale desiderium.

Ad hoc respondetur:

A) Non est dubium quin S. Thomas teneat intuitivam Dei visionem esse simpliciter supernaturalem (2): nam *a*) in art. 4 citatae quaestionis demonstrat ex professo

(1) Hoc asserit etiam S. Thomas loquendo de ultimo fine: « Aliud est bonum naturae humanae proportionem excedens, quia ad ipsum obtinendum vires naturales non sufficiunt, nec ad *cogitandum vel desiderandum;* sed ex sola liberalitate divina repromittitur. — et hoc est vita aeterna ». *De veritate*, Q. XIV, a. 2.

(2) Cf. MATTIUSSI, *Il veleno kanziano*, p. 151 ss.

quod *nullus intellectus creatus* potest *per sua naturalia* videre essentiam Dei: hoc argumentum suprà exposuimus; et in art. 5, docet requiri in intellectu creato, ad visionem intuitivam essentiae Dei, *supernaturalem* dispositionem, perfectionem supernaturalem quae confortat et elevat intellectum, quae vocatur lumen gloriae; *b*) in eadem parte *Summae*, Q. LXII, a. 2, docet quod angelus non potest habere, nisi per *gratiam*, motum voluntatis ordinatum ad visionem intuitivam Dei, quia beatitudo illa est « supra naturam cujuslibet intellectus creati »; *c*) in *Quaest. disp. De Malo*, Q. V, a. 3, docet quod infantes, mortui absque baptismo, privantur visione beatifica, sed de hac privatione non tristantur, quia hanc ignorant et quiescunt in *naturali beatitudine;* igitur S. Thomas censet *naturae* humanae, etiam in statu termini, intuitivam Dei visionem non esse *positive debitam*. *d*) Praeterea explicite docet Angelicus beatitudinem, ad quam de facto destinatum est humanum genus, non esse debitam naturae humanae, et excedere proportionem ac desiderium creatae naturae: « Ab ipsa prima institutione natura humana est ordinata in finem beatitudinis, *non quasi in finem debitum homini secundum naturam ejus*, sed ex sola liberalitate divina; et ideo non oportet quod principia naturae sufficiant ad finem illum consequendum; nisi fuerint adjuta donis superadditis ex divina liberalitate ». *De veritate*, Q. XIV, a. 10, ad 2. « Vita aeterna est quoddam bonum *excedens proportionem naturae creatae*, quia etiam *excedit cognitionem et desiderium ejus* ». *Sum. theol.*, I-II, Q. CXIV, a. 2.

diversimode intelligitur ejus assertum de naturali desiderio cognoscendi Deum.

B) Quoad interpretationem textus qui objicitur, quidam censent desiderium illud naturale, de quo loquitur S. Thomas, oriri ex cognita per divinam revelationem visione Dei intuitiva, tamquam fine ad quem *de facto* destinatus est homo (1): si hoc admittitur, illud desiderium non est omnino naturale, sed jam aliquo modo pertinet ad ordinem supernaturalem.

Quidam censent S. Thomam, supposito jam cognitum esse ex Revelatione quod homo *de facto* destinatur ad visionem intuitivam Dei, exponere hîc aliquam *probabilem* tantum rationem possibilitatis praedictae visionis, quatenus in desiderio naturali, de quo hîc sermo est, videt signum *meræ capacitatis* seu *potentiae mere obedientialis* intellectus humani ad intuendam essentiam Dei (2).

P. Pègues (3) aliter mentem S. Thomae interpretatur: secundum illum, agitur hîc de desiderio simpliciter naturali, quo homo desiderat cognoscere causam, cognito effectu; S. Thomas autem non intendit probare *factum* visionis intuitivae, sed meram *possibilitatem* ejus: nempe si Deus, qua causa prima, non posset in se intuitive cognosci, illud naturale hominis desiderium esset prorsus inexplebile, nec ipse Deus posset unquam efficere ut illud compleretur: haec autem impossibilitas admitti nequit, quia, hoc admisso, tenderet creatura ad aliquid quod non potest Deus dare, et sic omnipotentia Dei non jam servaretur. Non requiritur ut illud desiderium de *facto* expleatur: quia homo potest cognoscere illam visionem esse ipsi positive indebitam; sed nequit admitti quod illud desiderium absolute non possit compleri: inde concluditur possibilitas visionis intuitivae.

Illa interpretatio non videtur accurata et praeterea non solvit difficultatem quae est in hoc quod videtur, in quibusdam textibus S. Thomae, negari supernaturalitas intuitivae Dei visionis: etenim si conceditur quod S. Thomas intendit demonstrare *positive* possibilitatem visionis Dei intuitivae ex *desiderio humanae naturae indito*, concedi etiam debet quod, in sententia S. Thomae, intuitiva Dei visio est *debita* humanae naturae, et proinde *naturalis*.

Rite, ut videtur, mentem S. Thomae interpretatur P. MULARD, O. P., in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, t. XIV, 1925, p. 5 ss.: ibi exponitur quod S. Thomas scribit contra adversarios negantes cognoscibilitatem Dei et quod, supposita aliunde divina revelatione de intuitiva Dei visione, ostendit quod haec non potest haberi ut impossibilis, quia, consequenter ad appetitum naturalem omnia sciendi, exsurgit naturaliter in homine, si notionem habuerit de intuitiva Dei visione, desiderium elicitum de illa visione: haec est mens S. Thomae in *Summa Contra Gentiles*. *In Summa Theologiae* vero, S. Thomas, supposita revelatione,

(1) Ita CAJETANUS, in h. l.
(2) Ita MATTIUSSI, *o. c.*, p. 155 s., cf. etiam Card. BILLOT, *De Deo*, p. 150, nota (3).
(3) *O. c.*, p. 318 s.

ostendit non fore omnino perfectam hominis beatitudinem si non obtineret intuitivam Dei visionem.

303. Necessarium est lumen gloriae ad intuitivam Dei visionem.

Corollarium. *Anima indiget lumine gloriae ad intuitivam Dei visionem.*

Haec propositio, abstractione facta ab ulteriori explicatione circa naturam luminis gloriae, est de fide: quum in Concilio Viennensi tamquam haeretica damnata fuerit haec propositio: « Anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum ». Ergo requiritur omnino *aliquod auxilium elevans* animam.

Etenim visio intuitiva Dei est operatio simpliciter supernaturalis intellectui creato: jamvero nulla res potest elicere operationem, quae transcendit vires suas, nisi addatur ipsi nova virtus operandi, nisi elevetur ipsius virtus operativa supra id quod naturaliter valet. Ergo ad visionem Dei intuitivam requiritur auxilium elevans intellectum creatum, nempe supernaturale augmentum virtutis intellectivae: quod vocatur lumen (1).

Hoc confirmatur sequenti consideratione: hac in terra, fundamentum et radix omnis justificationis est fides (2), nempe supernaturalis cognitio de Deo; fidem consequitur charitas. Fides et charitas habentur per habitus infusos, simpliciter supernaturales. In altera vita, fides evacuatur, charitas vero remanet (*1 Cor.*, XIII, 8-10): cognitio autem, quae, in altera vita, habebitur loco fidei et hanc multo transcendit, requirit etiam habitum infusum ac supernaturalem, sicut, hac in terra, requiritur habitus infusus ac supernaturalis ad hoc ut intellectus fiat intrinsece proportionatus ad actum fidei eliciendum (3).

304. Lumen gloriae est habitus supernaturalis.

Adnotatio. 1. Diversae exortae sunt inter theologos controversiae circa essentiam illius auxilii supernaturalis quod vocatur lumen gloriae (4): communis sententia tenet esse *habitum* supernaturalem, *intrinsece* intellectui infusum et *inhaerentem, conjungentem* intellectum cum ipsa essentia divina, ita ut haec intentionaliter attingatur ab intellectu et sit, modo eminenti et supernaturali, quasi *species* determinans ad suî intuitionem.

In visione intuitiva Dei, non datur species impressa aut expressa, subjectata in intellectu creato.

2. In visione intuitiva, nequit haberi *species impressa,* nempe similitudo finita et creata, physice inhaerens intellectui, illumque informans, et determinans ad actum cognoscitivum: cum tali specie non potest haberi cognitio *propria* de Deo, ut suprà, n. 299, demonstravimus

Consequenter nequit, in visione Dei intuitiva, haberi proprie dicta *species expressa,* h. e. similitudo, producta ab intellectu, ipsique inhaerens, in qua et secundum quam intellectus cognoscit objectum (5). Haec species, quum sit accidens receptum in intellectu creato, proportionatur intrinsece modo essendi intellectus creati, qui est finitus et se habet ut actus in potentia: quapropter cum specie expressa creata nequit haberi cognitio *propria* de Deo (6).

---

(1) Ita S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XII, a. 5.
(2) *Conc. Trid.*, Sess. VI, c. 8. *Enchir.*, n. 801.
(3) Ita POHLE, *o. c.*, p. 56.
(4) Cf. HURTER, *Theologiae dogm. comp.*, t. III, n. 681; POHLE, *o c.*, p. 56 ss.
(5) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 428.
(6) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XII, a. 2; CAPREOLUS, *in IV Sent.*, Dist., XLVII, Q. V, a. 3, *ad primum Aureoli*, t. VII, p. 228; SYLVIUS, *In Sum. theol* I, Q. II, a. 2, p. 69 ss.; card. BILLOT, *o. c.*, p. 145. Contradictoriam opinionem propugnavit SUAREZ, *De Deo,* Tract. I, L. II, c. 11, p. 82 ss. Hujus quaestionis ulteriorem disputationem habet ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 172 ss.

Ideo communiter docent theologi ipsam essentiam divinam supplere speciem expressam in visione intuitiva Dei; communiter etiam tenent ad ipsam divinam *essentiam* formaliter *terminari* actum intellectus creati, ita ut aeque terminetur ad essentiam et ad singulas Personas divinas. Illmus ac Revmus Waffelaert, in *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 163 ss., proponit opinionem secundum quam intuitiva visio terminaretur specialiter et formaliter ad *Verbum* Dei et in hoc Verbo manifestarentur Pater et Spiritus Sanctus et essentia divina (1).

PROPOSITIO TERTIA. **In intuitiva Dei visione, subjective spectata, dantur diversi gradus perfectionis.**

305. In visione Dei intuitiva, subjective spectata, dantur varii gradus.

Haec propositio definita est in Concilio Florentino statuente: « Animas... in coelo mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, *pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius* » (2).

Demonstratio.

EX S. SCRIPTURA.

Si dantur varii gradus in hominis beatitudine subjectiva simpliciter dicta, dantur varii gradus in ipsa visione intuitiva Dei, atqui dantur varii gradus in hominis beatitudine subjectiva simpliciter dicta; ergo dantur varii gradus in visione intuitiva Dei (3).

Antecedens declaratur, nempe connexio inter conditionem et conditionatum: licet in S. Scriptura, intuitiva Dei visio non explicite dicatur beatitudo hominis, tamen illa ita exhibetur ut formaliter implicite doceatur illam ad beatitudinem pertinere, imo esse praecipuum elementum ejus: illa enim exhibetur ut propria cognitio illorum qui in coelo sunt, quod est locus beatitudinis seu felicitatis aeternae: *Matth.*, XVIII, 10; *1 Joan.*, III, 2; *1 Cor.*, XIII, 8-12; — *Matth.*, XXV, 34; praeterea S. Paulus, l. c., illam cognitionem tradit ut perfectissimam, ut bonum quo nihil melius optari potest; S. Joannes, l. c., illam exhibet ut sequelam adoptionis hominum in filios Dei, qua evadunt homines perfecte *similes* Deo: constat igitur visionem Dei intuitivam esse praecipuum elementum coelestis beatitudinis subjective spectatae. Si igitur dantur varii gradus in coelesti beatitudine, simpliciter dicta, dantur etiam diversi gradus in visione intuitiva Dei.

---

(1) P. PÈGUES, *o. c.*, T. II, *Traité de la Trinité*, p. 31 ss., licet non admittat in intuitiva Dei visione dari verbum mentis *creatum*, seu speciem expressam *creatam* productam ab intellectu et ipsi inhaerentem, tamquam actum potentiae; tamen censet in visione beatifica dari aliquod *verbum*, seu aliquam expressam similitudinem Dei quam dicit intellectus creatus sed quae est realiter Dei Verbum supplens speciem expressam in eadem visione. Haec sententia nobis non probatur; videtur hoc tenendum: sicut in intuitiva Dei visione non datur, in intellectu creato, species impressa, ita nec species expressa; sicut in eadem visione, essentia divina supplet speciem impressam, ita essentia divina supplet speciem expressam; in intellectu creato nihil aliud habetur quam ipsa supernaturalis operatio cognoscitiva, quae intentionaliter apprehendit essentiam divinam, summe intelligibilem, et terminatur immediate ad ipsam. — Quoad assertum S. Thomae, *Sum. theol.*, I, Q. XXVII, a. 1: « Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum quod est conceptio rei intellectae ex vi intellectiva procedens », dicimus cum *Sylvio*, l. c.: « Hoc asserit [S. Thomas] de intelligente *connaturaliter* operante; ideoque non oportet ut verificetur in intelligente qui intelligit... modo prorsus extraordinario et praeter omnem suae naturae conditionem ». Cf. RICHARD, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.*, art. *Fils de Dieu* col. 2468.

(2) *Enchir.*, n. 693.

(3) Illa argumentatio proponit ipsam doctrinam, quae tota in S. Scriptura continetur.

Minor declaratur. Beatitudo coelestis subjectiva, simpliciter dicta, nobis in S. Scriptura exhibetur ut *merces* bonorum operum, et quidem ut merces quae *proportionatur* uniuscujusque meritis. Etenim *a*) in ultimo judicio sententia Christi erit talis: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi *enim,* et dedistis mihi manducare... » *Matth.,* XXV, 34; *b*) Christus universale principium statuit de recompensatione operum: « Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis et tunc reddet unicuique secundum opera ejus ». *Matth.,* XVI, 17; *c*) beatitudinem justorum proportionari operibus eorum docetur in parabola, in qua homo, qui decem mnas lucratus est, accipit decem civitates, ille vero, qui quinque tantum mnas lucratus est, accipit quinque civitates. *Luc.,* XIX, 16 ss.; *d*) tandem Christus *magnam* futuram esse promittit mercedem hominibus qui *multum* passi erunt ratione ipsius hac in terra: « Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint... Gaudete et exsultate: quoniam merces vestra copiosa est in coelis » *Matth.,* V, 11-12.

306. Haec diversitas: a) provenit immediate ex lumine gloriae;

Scholia.

1um. *Haec diversitas provenit immediate et, ut videtur, unice a diversitate luminis gloriae.*

Diversos gradus perfectionis in ipsa intuitiva Dei cognitione provenire immediate et saltem principaliter a lumine gloriae docent omnes theologi; quidam tamen fuerunt qui docuerint naturalem intellectus diversitatem etiam influere in diversitatem praedictae visionis (1), ita ut cum eodem gradu luminis gloriae, unus intellectus perfectius alio intueretur Deum.

Haec sententia non videtur nobis probabilis.

Intuitiva Dei visio est simpliciter supernaturalis: ad hanc, in quolibet creato intellectu, nequit esse naturaliter ulla exigentia aut ulla positiva dispositio: ergo omnis intellectus creatus (et etiam creabilis) est *de se* aeque incapax talis visionis. Eatenus praedictae cognitionis fit capax, quatenus donatur lumine gloriae, quatenus per hoc intrinsece elevatur et conjungitur intentionaliter cum essentia divina: ergo a gradu luminis gloriae dependet *immediate* gradus visionis intuitivae.

Sed quum in ipsa natura intellectus nulla sit positiva convenientia cum illa visione, quumque *omnis capacitas* illius proveniat a solo lumine gloriae, sequitur a gradu luminis gloriae *unice* dependere gradum ipsius visionis Dei intuitivae (2).

Nota. Gradus luminis gloriae proportionatur gradui gratiae sanctificantis, quo praeditus est homo in momento mortis. Convenit autem, imo exigi videtur, ut gradus beatitudinis essentialis *stricte proportionetur* gradui sanctitatis *supernaturalis* ad quem pervenit homo hac in terra, consequenter ut *unice* a gradu luminis gloriae dependeat gradus visionis Dei intuitivae. Sic confirmatur conclusio suprà probata.

(1) Hos auctores citatos videsis ap. PÈGUES, *o. c.*, t. I, 1e P., p. 349.
(2) Cf. card. BILLOT, *o. c.*, Thes. XIV; PÈGUES, l. c.

2um. *Diversitas in perfectione visionis intuitivae Dei, consistit* ESSENTIALITER *in diversa* INTENSITATE *illius cognitionis,* CONSEQUENTER *in diversa* EXTENSIONE *ad objecta secundaria.*

307. b) consistit essentialiter in intensitate cognitionis, consequenter in extensione quoad objecta secundaria;

Nam principium subjectivum intuitivae cognitionis Dei est intellectus intrinsece elevatus lumine gloriae: quo majus est in subjecto lumen illud, eo magis intime conjungitur intentionaliter intellectus cum ipsa essentia divina, eoque magis penitus eam introspicit: quum autem Deus sit omnino simplex, *totus* Deus est objectum immediatum et primarium visionis intuitivae; ergo diversitas perfectionis in praedicta cognitione consistit *essentialiter* in diversa *intensitate* qua intellectus creatus introspicit totum Deum.

Sed quum Deus sit essentialiter causa exemplaris omnium possibilium, et causa exemplaris et efficiens omnium existentium, intellectus intuitive cognoscens essentiam divinam, hanc cognoscere potest ut causam, et, in hac cognita, *distincte* cognoscere effectus ejus et res possibiles. Quo autem magis penitus divinam essentiam introspicit, eo *plures* imitationes ejusdem ad extra intelligit: ergo diversitas perfectionis praedictae cognitionis consistit *consequenter* in diversa *extensione* ad objecta secundaria.

3um. *Illa diversitas non impedit quominus singuli, intuitive videntes Deum, sint perfecte beati.*

308. c) non impedit quominus singuli sint perfecte beati.

Beatitudo perfecta, subjective spectata, est perfecta possessio boni quod totaliter quietat appetitum.

Jamvero singuli, intuitive Deum videntes, Summum Bonum possident perfecte, h. e. secundum totam mensuram qua singuli capaces sunt illius possessionis: etenim *a) intellectus* ipsorum intuetur totum Esse per se subsistens seu totam Veritatem ipsam subsistentem, et quidem cum omni intensitate qua capax est: ergo singulorum intellectus tantum intelligit, quantum potest: inde singulorum vi intellectivae plene satisfit, nec possibilis est ulterior inquisitio veritatis, adeoque obtinetur perfecta quies. *b) Voluntas* illius, qui intuetur essentiam divinam, Deum amat per supernaturalem charitatem, cujus intensitas proportionatur gradui gratiae sanctificantis, cui etiam proportionatur lumen gloriae: quapropter voluntas, quae sequitur apprehensionem intellectus, Deum amat amore perfecte correspondente cognitioni, adeoque Deum amat, eoque fruitur tanta intensitate, quanta amandi et fruendi capacitate est praedita: ideoque etiam haec voluntas perfecte quiescit.

Nec objici potest quod tristitia vel invidia oriatur in beatis, ex eo quod unus sciat alios majori felicitate frui.

Etenim beati hanc diversitatem cognoscunt in contemplanda essentia divina, adeoque hanc diversitatem intelligunt ut ordinatissimam, in eaque Dei sapientiam, benignitatem, potentiam splendide elucentem perspiciunt, et de ea laudant Deum; praeterea concivibus coelestibus, quos perfecto amore amant, congratulantur de majori felicitate qua gaudent, illosque admirantur propter promptam ac generosam cooperationem auxiliis divinis, vi cujus merita acquisiverunt plura.

Ad rem cl. P. VERMEERSCH, S. J., *Méditations sur la S. Vierge,* t. II, p. 260: « Le bonheur de Marie, au ciel, n'excite aucune *jalousie* chez les anges. Car *a*) ils aiment Dieu et dans l'ordre purement créé, la gloire de Marie est la plus belle manifestation de la bonté divine. *b*) Une intime charité fait rejaillir sur tous le bonheur de chacun. *c*) Le bien dont ils jouissent n'est en rien diminué parce qu'il est plus abondamment distribué à Marie. *d*) Le bien qui fait leur félicité est un bien absolu qui s'apprécie pour lui-même ».

§ III.

De incomprehensibilitate Dei.

309. Quaedam incomprehensibilitas Dei tenenda est de fide,

STATUS QUAESTIONIS. In Concilio Lateranensi IV et in Concilio Vaticano definitur Deum esse *incomprehensibilem* (1); agitur de *cognitione* circa Deum; proinde de fide est Deum aliquo sensu non posse plene seu perfecte cognosci, saltem non posse plene et perfecte cognosci ab hominibus hac in terra degentibus, sive naturali rationis lumine sive supernaturali fide Deum attingentibus.

Non certo constat quisnam modus vel quisnam gradus cognitionis excludatur praedicta definitione, nec utrum incomprehensibilis dicatur Deus absolute, nempe quoad omnem intellectum creatum ac etiam creabilem.

Probabile tamen est ibi sermonem esse de absoluta incomprehensibilitate divina, quatenus ita perfecta est divina essentia ut a nullo finito intellectu possit plene cognosci. Et sane incomprehensibilitas enumeratur inter attributa divina absoluta, nempe aeternitatem, immensitatem, immutabilitatem, omnipotentiam: quibus elevatur Deus supra omne ens finitum, creatum vel creabile. Ad rem Suarez (2): « Ego vero existimo dogma fidei esse aliquem modum incomprehensibilitatis convenire Deo in ordine ad omnem intellectum creatum, quantumcumque elevatum per gratiam ad cognoscendum Deum, et in ordine ad omnem actum intelligendi creatum quantumcumque perfectum. Non assero hanc meam censuram esse de fide, de hoc enim aliis judicium relinquo; sed explico modum quo intelligo dogma fidei ».

310. continetur in S. Scriptura,

In *S. Scriptura* Deus talis exhibetur ut non possit plene cognosci: licet illi textus possint intelligi de homine tantum, probabilius tamen est ab aliis affirmari incomprehensibilitatem absolutam Dei, eo vel magis quod illius incomprehensibilitatis ratio, quae assignatur, non est fragilitas aut tarditas ingenii humani, sed altitudo divinae perfectionis. En quosdam textus:

« Forsitan vestigia [vias] Dei comprehendes [h. e. invenies] et usque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior (3) coelo est et quid facies? profundior inferno et unde cognosces? Longior terra mensura ejus et latior mari ». *Job*, XI, 7-9.

In libro *Eccli.*, XLIII, 29-33, docetur Deum tam esse elevatum et magnum ut non possit laudari ita ut laus aequivaleat dignitati ejus. Dei sublimitas est ratio cur non possit tantum laudari quantum est dignus laude: deficientia autem laudis provenit a deficientia cognitionis.

« Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis [h. e. non est investigatio] ». *Ps.* CXLIV, 3: tanta est Dei magnitudo aut perfectio ut sit inscrutabilis, ut non possit penitus cognosci (4).

311. docetur a Patribus.

Patres praesertim egerunt de incomprehensibilitate divina quando refutarunt errores Eunomii (5); S. Basilius, S. Gregorius Naz. et S. Gregorius Nys., praecipue agunt de humana cognitione, qualis haec habetur hac in terra, et directe contra asserta Eunomii statuunt Deum a nobis non posse plene cognosci; attamen etiam

---

(1) *Enchir.*, n. 428, 1782.

(2) *De Deo, Tract.* I, L. II, c. 5, n. 6, p. 60.

(3) Videtur subintelligenda hîc: *sapientia* vel *omniscientia* Dei, ita ut sensus sit: sapientia (vel) omniscientia Dei est coelo excelsior...

(4) V, suprà, n. 187, ubi eumdem textum adhibuimus ad probandum quod Deus est in se absolute perfectus, cui nihil deest in ratione perfectionis quae illi positive convenit: hoc porro assertum continetur in illo textu: etenim quando de aliquo dicitur quod ita est magnus ut ejus magnitudo sit inscrutabilis, sane affirmatur illi nihil deesse in ratione magnitudinis aut perfectionis quae ipsi inesse debet secundum naturam ejus.

(5) V. suprà, n. 134, 295.

perfectionem Dei assignant ut rationem incomprehensibilitatis (1): S. Gregorius Nys., *Contra Eunomium*, L. XII, P. G., t. 45, col. 933, infinitatem divinam assignat ut rationem incomprehensibilitatis divinae.

S. Joannes Chrysostomus docet Deum in natura sua esse incomprehensibilem, et quidem omni creaturae: « Vocemus itaque ipsum ineffabilem, inintelligibilem Deum, invisibilem, incomprehensibilem, humanae linguae vim superantem, mortalis mentis comprehensionem excedentem, angelis non vestigabilem, seraphinis invisibilem, cherubinis inintelligibilem, inaspectabilem principatibus, potestatibus, virtutibus ac simpliciter omni creaturae, a solo autem Filio et a Spiritu Sancto cognitum ». *De Incomprehensibili*, hom. III, n. 1, P. G., t. 48, col. 720.

Eamdem doctrinam exprimit S. Gregorius M.: Excelsior [Deus] itaque coelo, quia ipsi quoque electi spiritus visionem tantae celsitudinis perfecte non penetrant ». *Moralia*, L. X, c. 7.

PROPOSITIO. **Deus est absolute incomprehensibilis, seu a nullo intellectu finito potest Deus tantum cognosci quantum in se cognoscibilis est.** 312.

Haec propositio est saltem theologice certa: si non continetur in Revelatione divina, saltem certo infertur ex dogmate de infinitate Dei.

Demonstratio.

Nullus intellectus finitus potest comprehendere ens essentialiter et absolute infinitum; atqui Deus est essentialiter et absolute infinitus; ergo nullus intellectus finitus potest comprehendere Deum (2)

Major declaratur. Comprehendere aliquid est hoc cognoscere tantum quantum est in se cognoscibile, aliis verbis est actu cognoscitivo exhaurire totam cognoscibilitatem alicujus.

Res autem quaelibet eatenus est cognoscibilis quatenus est actu; porro ens essentialiter et absolute infinitum est actu infinitum, proinde ejus cognoscibilitas est simpliciter infinita, consequenter comprehensio ejus est *actus* cognoscitivus *intrinsece infinitus*. Jamvero actus cognoscitivus intrinsece infinitus nequit unquam inesse *finitae* facultati cognoscitivae: ergo nullus intellectus finitus potest unquam *comprehendere* ens infinitum, nempe Deum.

Minor. Demonstrata est suprà, n. 202 ss.

Objectio. Si Deus est in se omnino simplex et si immediate in se cognoscitur, tunc tantum cognoscitur quantum est cognoscibilis seu comprehenditur; atqui in visione beatifica Deus immediate in se cognoscitur; ergo, saltem in visione beatifica, comprehenditur. 313. *Objectio ex simplicitate divina.*

R. *Nego antecedens*. Licet Deus sit in se omnino simplex, licet etiam haec simplicissima essentia immediate et intuitive perspiciatur a Beatis, tamen Deus non comprehenditur ab illis: nam, in visione beatifica, *totus* quidem Deus cognoscitur, sed *non totaliter*, quia virtus cognoscitiva, nempe intellectus finitus elevatus per lumen gloriae, quod etiam est qualitas finita, non potest exhaurire intelligibilitatem divinam, quae est infinita: actio

(1) Cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu*, col. 1088 ss.
(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.*, L. III, c. 53; *Compendium theologiae*, c. 216, quo in loco demonstratur Deum non comprehendi ab anima Christi.

cognoscitiva visionis beatificae est intrinsece finita et capacitas ejus cognoscitiva est diversa in diversis individuis secundum diversum gradum luminis gloriae, quo singuli Beati donantur. V. suprà, n. 305.

Adnotatio.

314. In Dei essentia intuitive cognoscitur omnis perfectio divina,

1. Ad explicandum ulterius quomodo cognoscibilitas divina non exhauriatur a Beatis, nequit dici: in essentia Dei intuitive visa, alia attributa cognoscuntur, alia vero non (1): haec sententia nequit componi cum perfecta simplicitate divina, quippe quae importat quod, si essentia Dei intuitive apprehenditur, haec perspicitur *tota* et proinde omnis perfectio quae realiter identificatur cum ipsa et quae ipsi inest *formaliter*. « Quaecumque enim ibi [in essentia Dei] perfectio videretur, quin simul videretur tamquam plenitudo omnis perfectionis absolutae, jam non cognosceretur intuitive, ut est in se ipsa » (2). Inde etiam omnis perfectio (non dico: effectus a Deo distinctus, sive actu existens, sive possibilis), quae Deo inest *eminenter* tantum, in essentia divina cognita cognoscitur plus vel minus secundum quod ipsa essentia plus vel minus intime introspicitur.

non omnia possibilia

Ratio intrinsecae limitationis in cognitione intuitiva Dei provenit proxime a limitatione vis cognoscitivae, inde consequitur *primario* seu immediate limitatio in *intensitate* cognitionis, *consequenter* limitatio in objectis, quae *mediante* essentia Dei cognita, perspiciuntur. « Quanto autem aliqua causa plenius cognoscitur, tanto in ipsa plures ejus effectus perspici possunt. Non enim magis cognoscitur causa, nisi virtus ejus plenius cognoscatur, cujus virtutis cognitio sine cognitione effectuum esse non potest: nam quantitas virtutis secundum effectus mensurari solet. Et inde est quod eorum qui essentiam Dei vident, aliqui plures effectus vel rationes divinorum operum in Deo inspiciunt, quam alii qui minus clare vident » (3). Praeterea cognitio virtutis operativae importat etiam cognitionem quorumdam quae haec virtus operari potest: iterum quo intensius perspicitur haec virtus eo plura possibilia introspiciuntur, sed quando haec virtus est infinita, nequit comprehendi ab ullo finito intellectu, adeoque *nullus* Beatus potest in divina essentia cognoscere *omnia possibilia*.

Quoad extensionem visionis beatificae ad effectus distinctos a Deo et ad possibilia, dicit Jungmann (4): « Communis theologorum sententia est, beatis respectu creaturarum et eventuum omnia patefieri, quae ad ipsos spectant et quorum cognitione eorum beatitudo promoveri potest. Beatitudo videlicet satiare debet omne desiderium justum et honestum beatorum; sed beati juste et honeste desiderant scire quae ad illos specialiter spectant; haec ergo illis in visione beatifica manifestantur. Bene ad rem Concilium Parisiense anni 1528 in decretis fidei c. 13 dicit: *Beatis pervium esse omniforme illud divinitatis speculum, in quo quidquid illorum interest illucescat* ». Bene tamen notemus illos effectus cognosci in cognita essentia divina, consequenter eo *plures* eorum *distincte* cognosci et majori claritate, quo magis intense perspicitur ipsa essentia Dei.

Beati etiam in hac essentia visa cognoscunt veritates hac in terra revelatas, quae spectant res diversas a Deo, v. gr. incarnationem Verbi, redemptionem generis humani, Ecclesiam, etc. (5).

---

(1) Hoc docuerunt TOLETUS, *Comment. in Sum. theol.*, I, Q. XII, a. 7; THOMASSINUS, *De Deo* L. VI. c. 19 s., quos citat et refutat FRANZELIN, *De Deo uno*, thes. XVII, p. 208 ss.

(2) FRANZELIN, *o. c.*, p. 210.

(3) S. THOMAS, *Compend. theol.*, c. 216.

(4) *De Novissimis*, n. 149.

(5) Cf. FRANZELIN, *o. c.*, p. 213.

2. Qui intuitiva Dei visione fruuntur vocantur *comprehensores:* hoc nomen non significat quod *comprehendunt* essentiam divinam eo sensu quod illam cognoscunt quantum illa est in se cognoscibilis, sed significat quod Deum, tamquam ultimum finem et praemium supremum possident, in oppositione ad *viatores* qui adhuc ad finem tendunt.

315. Quo sensu Beati dicantur comprehensores.

S. Paulus, *1 Cor.* IX, 24, hoc vocabulo utitur ad designandam possessionem praemii coelestis: Sic currite ut *comprehendatis.*

Etiam Dei cognitio,quia *intuitiva,* dici potest *comprehensio* per comparationem ad cognitionem quae, hac in terra, habetur de Deo: « Visio Dei per essentiam potest dici comprehensio in comparatione ad visionem viae, quae ad essentiam non pertingit; non est tamen comprehensio simpliciter » (1).

ARTICULUS IIus. **De modo quo Deus nominatur a nobis.**

« Consideratis his quae ad divinam cognitionem pertinent, procedendum est ad considerationem divinorum nominum: unumquodque enim nominatur a nobis, secundum quod ipsum cognoscimus » (2).

316. Connexio rerum.

Cognitio autem nostra exprimitur tum terminis oralibus seu nominibus; tum propositionibus quae constituuntur terminis: de utroque nunc est dicendum; deinde declarandum erit quo sensu Deus dicatur ineffabilis.

§ I.

De nominibus quae de Deo dicuntur.

PROPOSITIO. **Nomina quae significant perfectiones simplices dicuntur de Deo proprie; ita tamen ut proprie dicantur** *quoad id quod significant,* **non vero** *quoad modum quo id significant.*

317. Nomina significantia perfectiones simplices dicuntur de Deo proprie quoad id quod significatur,

Demonstratio.

Quoad 1am partem. Uti suprà, n. 190, exposuimus, *simplices* dicuntur eae perfectiones quae in suo conceptu seu in sua ratione nullam includunt imperfectionem, nullum limitem in ipsa perfectione; porro illae perfectiones *formaliter* insunt Deo (v. suprà, n. 192); ergo nomina, quae illas significant, dicuntur *proprie* de Deo, h. e. secundum rationem quam proprie significant attirbuuntur Deo: ita Deus dicitur *proprie* vivens, sapiens, bonus; etiam: vita, sapientia, bonitas.

Quoad 2am partem. Attamen in illis nominibus distinguendum est *id quod* significant et *modum quo* significant.

non quoad modum quo id significatur.

Id quod significant est ipsa perfectio quam exprimunt.

Modus quo significant est modus quo exprimunt illam perfectionem; jamvero ille modus dependet a modo nostrae cognitionis: cognitum enim in cognoscente recipitur et etiam exprimitur ad modum cognoscentis; nostra autem cognitio, hac in terra, est cognitio entis compositi et illa conditio

(1) S. THOMAS, *De veritate,* Q. VIII, a. 2, ad 5.
(2) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIII, prolog.

determinat modum quo exprimitur cognitio et quo significant nomina quibus utimur. Inde duo genera nominum adhibemus, *concreta* et *abstracta*. Nomen *concretum* « exhibet subjectum certa quadam forma vel quasi-forma indutum, ex. gr. *homo, sapiens*... Nomen *abstractum* exhibet formam aliquam (aut quasi-formam) ut per se stantem et praecisam a subjecto cui inhaereat: ut si dicas *humanitatem, sapientiam* » (1).

Jamvero neutrum nomen Deo convenit *proprie quoad modum* quo significat: *a*) etenim nomen concretum exhibet subjectum ut habens formam, proinde ut *compositum:* v. gr., homo: est subjectum habens humanitatem, subjectum non est idem ac id quo est homo. Quapropter nomina concreta Deo non conveniunt proprie quoad modum quo significant: ita, v. gr., nomen Deus, quia in Deo idem est subjectum ac deitas, nec ulla datur compositio. *b*) Nomen abstractum exhibet formam vel quasi-formam ut separatam a subjecto et concipitur a nobis ut aliquid quod postulat inesse subjecto, non concipitur ut perfectio per se seu ratione suimetipsius subsistens: v. gr., humanitas concipitur ut id quo aliquod subjectum est homo, sapientia concipitur ut id quo aliquod subjectum est sapiens. Quapropter nomina abstracta Deo non conveniunt proprie quoad modum quo significant: quia in Deo nihil est ut forma vel quasi-forma inhaerens, sed Deus est substantialiter omnis perfectio, quae ipsi convenit: est ipsa sapientia, seu subsistens sapientia, imo est ipsum Esse per se subsistens.

Igitur nomina, quibus utimur, de Deo non dicuntur *proprie quoad modum* quo significant, licet nomina significantia perfectiones simplices dicantur de Deo proprie quoad *id quod* significant.

Ad rem S. Thomas: « Quantum vero ad modum significandi, omne nomen [adhibitum de Deo] cum defectu est: nam nomine res exprimimus eo modo quo intellectu concipimus. Intellectus autem noster ex sensibilibus cognoscendi initium sumens, illum modum non transcendit, qui in rebus sensibilibus invenitur, in quibus aliud est forma et habens formam propter formae et materiae compositionem: forma vero in his rebus invenitur quidem simplex, sed imperfecta utpote non subsistens, habens vero formam invenitur quidem subsistens, sed non simplex, imo concretionem habens: unde intellectus noster quidquid significat ut subsistens, significat in concretione; quod vero ut simplex significat non ut quod est sed ut quo est: et sic in omni nomine a nobis dicto, quantum ad modum significandi, imperfectio invenitur, quae Deo non competit: quamvis res significata aliquo modo eminenti Deo conveniat, ut patet in nomine bonitatis et boni » (2).

318. Nomina, quae de Deo dicuntur proprie, non sunt synonyma,

Corollaria.

1um. *Nomina, quae de Deo dicuntur proprie, non sunt synonyma.*

Loquimur de nominibus quae, quoad id quod significant, dicuntur proprie de Deo; patet synonyma non esse nomina quae tantum metaphorice dicuntur.

Quum nomina, quae de Deo dicuntur proprie, significent ipsam essentiam seu substantiam divinam, perfectionem quae Deus substantialiter

(1) De Jaegher, *o. c.*, n. 15.
(2) *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 30; cf. *Sum. theol.*, I, Q. XIII, a. 1, ad 2 et a. 3.

est (1), quumque haec essentia sit omnino simplex, dubium exsurgere potest utrum omnia illa nomina sint synonyma.

Non autem sic est. Nam ratio quam significat nomen, est conceptio intellectus de re significata per nomen. Jamvero illorum nominum rationes sunt formaliter diversae: alia enim est formalis ratio scientiae, alia sanctitatis, alia potentiae, etc. Porro illa nomina dicuntur de Deo proprie quoad id quod significant, consequenter, etiam quando de Deo dicuntur, significant perfectiones formaliter diversas, proinde non sunt synonyma.

2um. *Nomina, quae de Deo dicuntur proprie, dicuntur non univoce, sed analogice tum de Deo tum de creaturis.* 319. *non univoce dicuntur de Deo et de creaturis.*

Etenim ratio quae per illa nomina significatur, aliter inest Deo et aliter creaturis (2). V. suprà, n. 93, 284.

3um. *Nomen* QUI EST *est maxime proprium nomen Dei, quoad id quod significat* (3). 320. *Nomen* **qui est** *est maxime proprium Dei*

Etenim ratio per hoc nomen significata exhibet metaphysicam essentiam Dei: v. suprà, n. 160.

Praeterea perfectio, quam illud nomen exhibet, soli Deo convenit: nam *a*) ipsum esse, tamquam *essentialis* perfectio, convenit soli Deo; *b*) ipsum esse comprehendit absolutam perfectionem absque ulla determinatione aut limitatione: haec autem perfectio soli Deo convenit; *c*) ipsum esse connotat esse *in praesenti,* absque mutatione: inde sub hoc respectu, esse soli Deo convenit, quia Deus solus immutabiliter est (4).

4um. *Nomina, quae significant perfectiones mixtas, non nisi metaphorice dicuntur de Deo.* V. suprà, n. 291. 321. *Nomina significantia perfectiones mixtas non nisi metaphorice dicuntur de Deo.*

Etenim ratio, formaliter significata per illa nomina, nec est, nec potest esse, *in Deo.* Dantur autem *effectus* Dei ad extra qui sunt similes effectibus qui, in creaturis, dependent a forma, vel quasi-forma, significata per illa nomina: inde metaphora. V. gr. homo iratus propter offensam ipsi illatam vult offensori malum inferri in compensationem; Deus etiam vult malum poenae inferri peccatori: propter similitudinem effectus utriusque, Deus dicitur metaphorice *irasci* in peccatores. — S. Thomas exemplum aliud dat, secundum quod Deus dicitur *leo:* « Sic nomen *leonis* dictum de Deo nihil aliud significat quam quod Deus similiter se habet ut fortiter operetur in suis operibus sicut leo in suis » (5).

In doctrina S. Thomae de modo quo Deus a nobis nominatur, praeter illa quae exposuimus, tria notatu digna habentur: 322. *Nomina, quae de Deo dicuntur absolute et affirmative, dicuntur*

1. Nomina, quae *absolute* et *affirmative* dicuntur de Deo, etiam dicuntur *substantialiter* vel *essentialiter,* quia ipsam substantiam seu essentiam Dei significant, h. e. perfectionem quae formaliter et necessario essentiae divinae inest: v. gr. sapientia. Per hoc rejicit S. Thomas sententiam eorum qui dicerent illa nomina non

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIII, a. 2.
(2) Cf. S. THOMAS, *ibid.,* a. 5.
(3) Cf. ID., *ibid.,* a. 11.
(4) Cf. S. AUGUSTINUS, *De Trinitate,* L. V, c. 2, P. L., t. 42, col. 912.
(5) L. c., a. 6.

etiam substantialiter;

nisi *causaliter* dici de Deo, quatenus Deus esset solummodo causa sapientiae in creaturis: secundum hoc non ipse esset formaliter sapiens, sed virtualiter tantum.

Nomina quae *relative* ad creaturas vel *negative* de Deo dicuntur, non dicuntur substantialiter. Ita sunt nomina, quae significant *relationem* Dei ad creaturas: quae relatio est rationis tantum in Deo et non necessario Deo convenit: quia creaturae non sunt necessario. Nomina quae negative dicuntur non proprie significant substantiam divinam, sed removent aliquid ab ipsa.

nomina quae important relationem ad creaturas dicuntur ex tempore;

2. Nomina, quae important relationem Dei ad creaturas, dicuntur de Deo *ex tempore*. Quod significat: haec nomina attribuuntur Deo tamquam ipsi convenientia ex tempore, non ab aeterno: quia perfectio per illa nomina significata, includit relationem quae non nisi ex tempore habetur; creaturae enim non nisi ex tempore existunt, proinde non nisi ex tempore referuntur ad Deum, consequenter non nisi ex tempore, convenit Deo relatio rationis, correlativa ad relationem realem in creaturis. Hoc valet de nominibus relativis omnibus: tum de illis quae *directe relationem* exprimunt et indirecte subjectum, ut est v. gr. nomen *Dominus*, tum de illis quae *directe subjectum* exprimunt et indirecte relationem, ut est nomen *Creator* (1).

nomina quae de Deo dicuntur absolute, dicuntur prius de Deo quam de creaturis.

3. Nomina absoluta, quae de Deo dicuntur proprie, dicuntur de Deo *prius quam de creaturis*, quoad id quod significant: quia perfectiones per illa nomina significatae in Deo prius et eminentius insunt quam in creaturis: in Deo enim sunt illimitatae et ab aeterno, in creaturis participatae et ex tempore.

Nomina vero, quae non nisi metaphorice dicuntur de Deo, dicuntur de creaturis prius quam de Deo: quia illa nomina dicta de Deo nihil aliud significant quam similitudines ad tales creaturas (2).

Quaedam nomina incommunicabilia.

4. Licet nullum nomen perfectionem Dei exprimat eo modo quo illa inest Deo, tamen possumus et debemus nos intelligere perfectiones divinas aliter Deo et aliter creaturis inesse; possumus etiam intelligere modum perfectionis aliquem convenire soli Deo et hoc vocabulo exprimere: v. gr. scimus a solo Deo cognosci omnia cognoscibilia, hoc exprimimus dicendo Deum esse *omniscientem;* cognoscimus solum Deum ita existere ut sit absque initio ac fine et absque ulla successione seu mutatione in duratione: hoc exprimimus dicendo: est *aeternus*. Quapropter illa vocabula quae exprimunt perfectionem eo modo quo inest soli Deo non possunt communicari creaturis. Ad rem S. Thomas: « Illa quae a Deo in creaturis recipiuntur, non possunt esse in creaturis eo modo quo in Deo sunt; et ideo inter nomina quae de Deo dicuntur talis apparet differentia; quod illa quae absolute aliquam perfectionem exprimunt, creaturis sunt communicabilia; illa vero quae exprimunt cum perfectione modum quo inveniuntur in Deo, creaturae communicari non possunt; ut omnipotentia, summa sapientia, summa bonitas et hujusmodi (3) ».

§ II.

De propositionibus quae de Deo formantur.

323. Possunt formari de Deo propositiones negativae,

Propositiones *negativas* posse formari de Deo facile intelligitur: in his enim removetur a Deo id quod significatur in praedicato: si, id quod praedicatum significat, non convenit Deo, hoc exprimitur in propositione negativa; v. gr., Deus non est corpus: jam nulla occurrit difficultas in expressione illius negationis, qua simpliciter removetur a Deo id quod ipsi non convenit.

---

(1) Cf. S. THOMAS, l. c., a. 7; PÈGUES, *Comment. franç. littér.*, t. I, 2e P., p. 40 ss., ubi indigitat momentum responsionis S. Thomae quoad doctrinam de relatione *reali*.

(2) S. THOMAS, l. c. a. 6.

(3) *De Veritate*, Q. V, a. 8, ad 3.

Sed propositiones affirmativae locum dant alicui difficultati: quapropter ex professo agitur de propositionibus affirmativis.

PROPOSITIO. **Propositiones affirmativae possunt vere formari de Deo** (1). **Demonstratio.** *et affirmativae.*

A. S. SCRIPTURA.

Multae ibi occurrunt propositiones affirmativae de Deo: v. gr. « Creavit Deus coelum et terram ». *Gen.*, I, 1. « Ego [sum] Deus omnipotens ». *Gen.*, XXXV, 11; XIX, 2; « Ego sum qui sum » *Deuter.*, III, 14: « Ego sanctus sum, Dominus Deus vester ». *Levit.*, XIX, 2, « Spiritus est Deus » Jo., IV, 24.

B. EX RATIONE.

Propositio affirmativa asserit objectivam identitatem inter subjectum et praedicatum, seu asserit id quod significatur praedicato esse realiter idem ac id quod significatur subjecto: v. gr. Deus est omnipotens. Quum autem diversas perfectiones cognoscimus inesse Deo, ideo necessario efformamus multas propositiones affirmativas de Deo.

Nec obstat quod Deus sit omnino simplex et quod propositio affirmativa importet pluralitatem subjecti et praedicati: nam haec pluralitas non importat esse in Deo diversitatem realem, sed importat tantum diversitatem rationum, sub quibus nos necessario cognoscimus Deum; v. suprà n. 120. « Deus in se consideratus est omnino unus et simplex, sed tamen intellectus noster secundum diversas conceptiones ipsum cognoscit: eo quod non potest ipsum, ut in seipso est, videre. Quamvis autem intelligat ipsum sub diversis conceptionibus, cognoscit tamen quod omnibus suis conceptionibus respondet una et eadem res simpliciter. Hanc ergo pluralitatem, quae est secundum rationem, repraesentat per pluralitatem praedicati et subjecti, unitatem vero repraesentat intellectus per compositionem [per conjunctionem subjecti et praedicati mediante copula: *est*] » (2).

Nec rectitudini propositionis affirmativae de Deo formatae obstat quod nomina non conveniunt Deo *quoad modum quo significant* (v. suprà, n. 316): nam affirmatio exprimit identitatem objectivam ejus *quod* significat subjectum cum eo *quod* significat praedicatum: v. gr. Deus est sapiens, importat: subjectum *Deus* — subjectum *habens sapientiam*, seu subjectum *cui inest sapientia;* non dicitur sapientiam esse formam distinctam a subjecto cui inest, nec aliquid dicitur de modo quo sapientia inest Deo.

Quapropter propositiones affirmativae de Deo formatae sunt *simpliciter verae*, quia affirmant esse id quod est (3), sed imperfectae sunt quoad expressionem veritatis, quia termini propositionum non significant perfectionem Dei *eo modo* quo inest Deo. Illa imperfectio non habetur in propositione *negativa*, qua removetur aliquid a Deo: quando id quod per nomen

(1) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XIII, a. 12.
(2) S. THOMAS, I. c.,
(3) Non admittimus modum loquendi adhibitum a KLEUTGEN, *De ipso Deo*, n. 307, qui dicit propositiones de Deo *affirmativas*, non esse nisi aliquo modo veras.

significatur negatur inesse Deo, non est ratio habenda modi quo significatur id quod nomen significat.

324. Objectio. **Objectio.** Omnis intellectus intelligens rem aliter quam sit est falsus; sed intellectus noster, formans propositionem de Deo, intelligit Deum cum compositione quadam; ergo intellectus noster, formans propositionem de Deo, est falsus.

R. *Dist. Maj.* Omnis intellectus intelligens rem *aliter esse* quam sit, est falsus, *conc.*, omnis intellectus intelligens rem modo diverso a modo quo res est in semetipsa, est falsus, *nego.*

Contrad. min. Intellectus noster... intelligit Deum *cum compositione quadam:* quoad *id quod* intelligitur, *nego,* quoad *modum quo* intelligitur, *conc.*

Explico. Veritas in cognoscendo est formaliter conformitas judicii cum re seu realitate, aliis verbis: verum est judicium quando dicit esse id quod est vel non esse id quod non est. Consequenter omne judicium est necessario verum aut falsum (1). Sed judicium potest esse verum, licet modus quo res concipitur non sit idem ac modus quo res est in seipsa.

Quando agitur de Deo, intellectus noster formans propositiones affirmativas de Deo non dicit eum esse compositum, sed simplicem. Intellectus autem utitur conceptibus, desumptis a rebus compositis, adeoque cognoscit Deum eo modo quo res compositas, inde nostra de Deo cognitio est imperfecta et impropria. « Manifestum est, ait S. Thomas, l. c., quod intellectus noster res materiales infra se existentes intelligit immaterialiter, non quod intelligat eas esse immateriales, sed habet modum immaterialem in intelligendo. Et similiter cum intelligit simplicia quae sunt supra se, intelligit ea secundum modum suum, scilicet compositè; non tamen ita quod intelligat ea esse composita. Et sic intellectus noster non est falsus formans compositionem [h. e. propositionem affirmativam, in qua attributum componitur subjecto] de Deo ».

324bis. **Nota.** Quia in Deo omnes perfectiones absolutae sunt realiter idem, ideo una de alia dici potest in sensu *identico;* quia autem sunt formaliter diversae, ideo nequit una de alia dici in sensu *formali.*

V. gr. Omnipotentia Dei est ejus sanctitas: haec propositio est vera in sensu *identico;* est falsa in sensu *formali.*

§ III.

De ineffabilitate Dei.

325. Status quaestionis. In Concilio Lateranensi IV, ubi diversa attributa definiuntur de Deo, Deus dicitur etiam *ineffabilis.* Deus igitur, quodam vero sensu est ineffabilis, sed quemadmodum non fuit explicatum quousque sese extendat incomprehensibilitas (v. suprà n. 309) ita nec definitum quousque sese extendat ineffabilitas.

Hoc attributum non invenitur sub hoc termino expressum in S. Scriptura, sed sumitur ex doctrina Patrum qui saepe dicunt Deum non posse a nobis nominari (2).

S. Gregorius Nys., *Contra Eunomium,* L. I, P. G., t. 45, col. 461, dicit: « At nec est nec oriatur in Ecclesia Dei talis doctrina, quae simplicem et incompositum non solum multiformem et varium praedicat, sed etiam ex contrariis constantem. Simplicitas enim doctrinae veritatis ponit Deum sicuti est: nec nomine nec cogitatione nec ulla alia mentis apprehensione comprehensibilem; non solum humana sed etiam angelica et omni suprahumana apprehensione altiorem manentem, ineffabilem et inenarrabilem et omni vocum significatione excelsiorem ».

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 347, t. XIII, p: 660.

(2) Ita SUAREZ, *De Deo,* Tract. I, L. II, c. 31, n. 2, p. 182. V. quoad Patres, HURTER, *Theol. dogm. comp.*, t. II, n. 22 ss.

L. III, col. 601: « Si quis postulat divinae substantiae interpretationem aliquam et descriptionem et enarrationem, ignaros nos esse talis scientiae non negabimus, hoc solum profitentes quod infinitum secundum naturam concepto aliquo vocum comprehendi nequit ».

S. Joannes Chrysost., *De Incomprehensibili*, hom. III, 3: « Vocemus itaque ipsum ineffabilem, inintelligibilem Deum, invisibilem, incomprehensibilem, humanae linguae vim superantem, mortalis mentis comprehensionem excedentem, angelis non vestigabilem... a solo autem Filio et Spiritu Sancto cognitum ».

S. Joannes Damascenus, *De fide orthodoxa*, L. I, c. 1: « Ineffabilis [est] ergo divinitas et incomprehensibilis ».

326. Absolute ineffabilis est Deus quatenus est absolute incomprehensibilis,

Ex dictis et ex natura rei patet ineffabilitatem Dei dependere tum ab infinita Dei perfectione, tum a limitato modo nostro cognoscendi; quum autem nomina sint signa nostrorum conceptuum, ineffabilitas divina explicanda est et mensuranda secundum imperfectionem nostrae cognitionis circa Deum. Unde statui possunt sequentia asserta (1):

1um. *Quemadmodum Deus est absolute incomprehensibilis omni intellectui finito, sic etiam nullo nomine aut asserto potest adaequate exprimi; ita ut perfecte definiatur tum quoad id quod est, tum quoad modum quo hoc est.*

Hoc constat ex antea dictis.

praeterea ineffabilis quatenus nullum nomen ei convenit proprie quoad modum significandi.

2um. *Homo nullo nomine, nulloque sermone potest exprimere Deum eo modo quo est, sed tamen potest exprimere id quod est Deus, sive in essentia sive in attributis.*

Prima pars asserti jam fuit declarata suprà, n. 316; secunda pars constat ex iis quae antea demonstravimus de ipsa essentia Dei et de perfectionibus ipsius, nominatim de metaphysica Dei essentia et de attributis stricte dictis; v. suprà, n. 121 ss.

Scholion practicum.

327. De divinis perfectionibus considerandis ad acquirendam perfectionem moralem.

Licet Deus incomprehensibilis sit atque ineffabilis, non ideo abstinendum a fovendo desiderio ac studio cognoscendi magis ac magis Summum Esse.

1. Deus enim quum sit entitative infinitus in perfectione, est etiam infinite cognoscibilis; quapropter in dies augere potest homo suam de Deo cognitionem tum naturalem, tum supernaturalem; hac porro crescente cognitione, fit homo, secundum nobilissimam suam facultatem, nempe intellectum, magis ac magis similis Deo; tandem perfectam habebit cum Deo similitudinem, quando eum intuitive videbit: « Similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est ». *1 Joan.*, III, 2.

Cum augmento cognitionis supernaturalis Dei, obtinetur quasi connaturaliter, nisi interveniat obstaculum ex mala voluntate, augmentum charitatis supernaturalis, quae est essentia perfectionis moralis et forma aliarum virtutum, imperans harum exercitium (2): inde deducitur utilitas ac necessitas meditationis et praesertim contemplationis (3), ad sanctitatem supernaturalem augendam. Nobilissimum porro objectum meditationis et contemplatio-

(1) Cf. SUAREZ, l. c.

(2) C. S. THOMAS, *Sum. theol.*, II-II, Q. XXII, a. 7 et 8; BOUQUILLON, *De virtutibus theologicis*, Brugis, 1890, n. 128, 440; VAN DER MEERSCH, *De divina gratia*, n. 375.

(3) V. suprà, n. 283.

nis est ipse Deus, consideratus in sua essentia et perfectionibus: quod valet de iis quae hucusque exposuimus: in his enim amplissima praebetur materia considerationis qua in nobis excitetur adoratio, admiratio ac laus, praesertim amor erga illum cujus est nomen *Qui est,* cujus entitas est Esse ipsum seu plenitudo absoluta Essendi, cujus bonitas ontologica est infinita, sicut infinita est pulchritudo (1).

Ex dictis apparet intima connexio inter cognitionem de Deo et perfectionem moralem in homine (2).

328. Patres Ecclesiae aliique Sancti, licet humiliter faterentur debiles esse vires humani intellectus, enixe tamen conabantur profundam ac amplam de Deo cognitionem acquirere.

Illud desiderium exprimit S. Hilarius, *De Trinitate,* L. I, n. 3: « Festinabat autem animus [h. e. meus], non haec tantummodo agere, quae non egisse, et criminum esset plenum, et dolorum: sed hunc tanti muneris Deum parentemque cognoscere, cui se totum ipse deberet, cui famulans nobilitandum se existimabat, ad quem omnem spei suae opinionem referret, in cujus bonitate inter tantas praesentium negotiorum calamitates, tamquam tutissimo sibi portu familiarique requiesceret. Ad hunc igitur vel intelligendum, vel cognoscendum, studio flagrantissimo animus accendebatur ».

S. Augustinus intellectus sui activitatem totam dirigit ad cognoscendum Deum (3): licet impar sit cogitatio ad perfecte cognoscendum Deum, tamen de eo « semper cogitare debemus de quo digne cogitare non possumus, cui laudando reddenda est omni tempore benedictio ». *De Trinitate,* L. V, c. 1, n. 1, P. L., t. 42, col. 911.

S. Cyrillus Alex., *Contra Julianum,* L. III, P. G., t. 76, col. 628 s., demonstrat hominis felicitatem, hac in terra, consistere in contemplatione divinorum, docetque convenienter latam fuisse primis hominibus legem non comedendi de fructu arboris, sitae in medio paradisi, ut per hanc legem continuo recordarentur et considerarent majestatem et pulchritudinem Dei Legislatoris.

S. Bernardus in scripto *De consideratione,* monet Summum Pontificem, Eugenium III, de necessitate considerationis mentis, licet ille sit distractus variis occupationibus: in lib. V, exponit quod praecipuum objectum considerationis est ipse Deus, et aliquas divinas perfectiones proponit contemplandas.

S. Bonaventura, *Commentarius in Libros Sententiarum,* prooemium, q. II, *Opera,* t. I, p. 10, loquitur de methodo sequenda in theologia, cujus subjectum est Deus, et nominatim dicit hanc methodum esse debere *perscrutatoriam* sive *ratiocinativam:* quia hic modus procedendi aptus est quo promoveatur fides:

« Modus enim ratiocinativus sive inquisitivus valet ad fidei promotionem, et hoc tripliciter secundum tria genera hominum. Quidam enim sunt fidei *alversarii,* quidam sunt in fide *infirmi,* quidam vero *perfecti.*

Modus inquisitivus valet *primo ad confundendum adversarios.* Unde Augustinus primo de Trinitate: Adversus garrulos ratiocinatores, elatiores quam capaciores, rationibus catholicis et similitudinibus congruis ad defensionem et assertionem fidei est utendum. *Secundo* valet *ad fovendum infirmos.* Sicut enim Deus caritatem infirmorum fovet per beneficia temporalia, sic fidem infirmorum fovet per argumenta probabilia. Si enim infirmi viderent rationes ad fidei probabilitatem deficere et ad oppositum abundare, nullus persisteret. *Tertio* valet *ad delectandum perfectos.*

---

(1) V. suprà, n. 149 ss., 268, 274.

(2) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. I, p. 59. Cf. suprà, n. 19 ss. — Intimam connexionem inter cognitionem veritatum revelatarum, praesertim spectantium Deum ipsum, cum exercitio cultus divini, enunciat S. CYRILLUS HIEROS., *Cateches.* IV, n. 1: « Ratio divini cultus ex his duobus constat, piis dogmatibus et actionibus bonis, neque doctrina sine operibus bonis accepta [est] Deo; neque opera recipit Deus a religiosis dogmatibus sejuncta... Pretiosa igitur possessio est dogmatum notitia ».

(3) Cf. WEINAND, *Die Gottesidee, der Grundzug der Weltanschauung des hl., Augustins,* p. *126 ss.*

Miro enim modo anima delectatur in intelligendo quod perfecta fide credit. Unde Bernardus: « Nihil libentius intelligimus quam quod fide jam credimus ».

Objicientibus autem quosdam S. Scripturae textus, respondet: « Omnes illae auctoritates intelliguntur de perscrutatione *curiosa*, non de perscrutatione *studiosa* ».

S. Franciscus Salesius, in opere praeclaro (an. 1616) *Traité de l'amour de Dieu*, L. VI, ch. IV, asserit cognitionem Dei praerequiri ad ejusdem amorem, et, nisi obstaculum sit in voluntate, crescente cognitione augeri etiam amorem, licet amor quodammodo ultra cognitionem progredi valeat.

Lessius in egregio scripto *De Perfectionibus Moribusque divinis* (an. 1620), in praefatione optime exponit cur theologia speculativa homini non solum maximam consolationem afferat, sed etiam summam perfectionem et sanctitatem possit conciliare, quod nihil mentem adeo a rerum fluxarum et caducarum amore avocet et ad coelestium ac aeternarum desiderium inflammet, quam divinarum perfectionum et operationum meditatio (1). Singulos libros agentes de singulis perfectionibus Dei clausit Lessius *recollectione precatoria*, quae est piissimum colloquium cum Deo, medullam doctrinae cujusque libri compendiose recolligens (2).

2. Non solum sacerdotibus necessaria ac perutilis est consideratio de divi- 329.
nis perfectionibus, sed etiam laïcis, uti opportune notat Hurter (3): « Summae autem utilitatis est populo christiano, etiam pro vita practica, ut ipse quam sublimissima de Deo singulisque ejusdem perfectionibus imbuatur idea: quo vividiori enim quis imbutus est sensu majestatis Dei, eo profundiores excitabuntur affectus reverentiae, admirationis, amoris, etc... alacrius studium Deo placendi, fugiendi peccatum, etc (4). Quare ejusmodi conciones impense sunt commendandae » (5). Ex dictis concludes quantum malum agunt illi qui *agnosticismum* diffundunt, auferentes Deum a mente hominum, tollentes Deum tamquam objectum cognitionis et amoris, proinde destruentes fidem et charitatem.

---

(1) Textus habetur citatus in *Collat. Brug.*, t. I, p. 59.

(2) Illae recollectiones fuerunt seorsim typis editae in parvo libro: *Recollectiones precatoriae... Leonardi Lessii*, Friburgi Br., 1892.

(3) *Theol. dogm. comp.*, t. II, n. 229.

(4) V. gr. *immutabilitatis* divinae consideratio aptissima est qua veram humilitatem exerceat homo perspiciendo nihilum suî esse: homo enim continuae mutationi obnoxius est, tum in corpore tum in anima: paulatim et successive acquirit evolutionem vitae vegetativae, per aliquod tempus plenitudine virium fruitur, deinde successivae virium diminutioni subjicitur; interdum saepe a statu sanitatis transit ad aegritudinem et vice versa; passionibus animalibus et rationalibus valde diversis, sibi invicem succedentibus, subest, et, nisi virtute dominium in semetipso acquisiverit, fit servus passionum, necnon hominum et eventuum fit ludibrium; etiam in acquirenda scientia et in utendo cognitione jam acquisita, quandoque nitide veritatem intelligit, quandoque obnubilatur mens et quasi tenebris involvitur, quod hodie ut certum, cras ut dubium habet: tandem, quod summum est in mutabilitate, ab Infinito Bono, ut fine ultimo amato, quandoque peccando avertit se et convertit se ad bonum finitum, quo transitorie fruitur, postea iterum a creatura sese ad Deum convertit. E contrario Deus ab aeterno est ipsum esse, plenum, infinitum, est immobilis in cognoscendo et volendo, omnibus dominatur et est prorsus independens ab omnibus, in infinito amore suî summe beatus est et liberrimo consilio beneficus. « Rerum Deus tenax vigor, *immotus in te permanens*... ».

(5) Summus Pontifex, Pius X, ILLmum AC REVmum WAFFELAERT laudavit quod curavit ut *Meditationes Theologicae*, ab ipso latine conscriptae, verterentur lingua vernacula. Siquidem « labor, quum Clero plurimum profecerit, ita proficiet etiam eruditioribus e populo: quibus quidem expedit christiana dogmata eorumque nexum altius nosse, quo catholicam fidem et constantius retineant, et cum vitae sanctimonia felicius conjungant, et ab impugnationibus validius defendant ». Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 5.

Eumdem in scopum, scilicet ut per clerum excitentur animae piae ad convertendam intellectus activitatem in contemplationem Dei et dirigantur ad unionem in dies intimiorem cum Deo, conscriptus est a praelaudato auctore, praeter alia de re ascetica et mystica: *Prospectus generalis in theologiam mysticam*. Cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 321, 377.

PARS SECUNDA

De iis quae pertinent ad operationem Dei.

330. *Ordo dicendorum.*

Praenotandum: DE ORDINE DICENDORUM.

Post considerationem eorum quae ad divinam substantiam pertinent, restat considerandum de his quae pertinent ad *operationem* ipsius. Duplex porro est operatio: quaedam est quae manet in operante, scil. operatio *immanens,* quaedam vero quae procedit in exteriorem effectum, scil. operatio *transiens.* Immanens autem operatio est *vitalis,* quae in spirituali substantia non est nisi duplex, *intelligere* scilicet et *velle.* Sed Deus etiam *ad extra* operatur: hujus operationis, quae est *virtualiter transiens,* principium est *potentia* divina. Tandem in perfectissima operatione immanente consistit *beatitudo.*

Quae quum ita sint, libri primi partem secundam dividimus in sex capita, quorum *primum* est de VITA Dei generice considerata; *secundum,* de COGNITIONE divina; *tertium,* de VOLITIONE; *quartum,* de PROVIDENTIA, quippe quae respicit simul intellectum et voluntatem, quaeque continet *praedestinationem* et *reprobationem* hominum, specialiter in ordine ad aeternam salutem; *quintum,* de POTENTIA Dei; *sextum,* de ejus BEATITUDINE.

CAPUT I

DE VITA DEI (1).

331. *Deum vivere est de fide,*

PROPOSITIO PRIMA. **Deus est vere et proprie vivens.**

Haec propositio est de fide. Concilium Vaticanum proclamavit: « Sancta catholica apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum... » (2).

demonstratur :

Demonstratio.

332. A) *ex S. Scriptura,*

A. EX S. SCRIPTURA.

1. In V. T., in *Genesi,* I, Deus uti vivens inducitur, creando universum per virtutem verbi sui, deinde in omnibus libris continuo exhibetur Deus ut vere et proprie vivens, quippe qui cogitat et vult, qui suas cogitationes manifestat et mandata imponit, poenamque minatur delinquentibus, qui Israël eligit in suum populum illumque gubernat, necnon potentiam suam exercet in alios populos (3).

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XVIII; KLEUTGEN, *De ipso Deo,* n. 426 ss.; ILLmus L. JANSSENS, *De Deo uno,* t. II, p. 217 ss.

(2) *Enchir.,* n. 1782.

(3) Cf. MANGENOT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.,* art. *Dieu,* col. 965 ss.

David dicit Jahve esse Deum *viventem. 1 Reg.*, XVII, 26, 36.

Daniel deos qui nec vident nec audiunt, opponit Deo, Dominatori coeli, qui in manu sua tenet vitam regis; postquam autem Daniel miraculose fuerit a Deo protectus ab ore leonum, Darius rex Deum Danielis agnoscit ut Deum *viventem* et aeternum. *Dan.*, V, 22-VI, 26.

Judaeos persuasum habuisse Deum esse viventem apparet ex hoc quod hoc nomine Deum verum designant: Princeps sacerdotum Jesu dicebat: « Adjuro te per Deum *vivum* (κατὰ τοὺ θεοῦ τοῦ ζῶντος = door den levenden God) ». *Matth.*, XXVI, 63.

2. In N. T., Jesus de Deo dicit : « Sicut misit me vivens Pater » *Jo.*, VI, 58; Petrus ut *veri* Dei filium agnoscens Christum exclamat: « Tu es Christus, filius Dei *vivi* ». *Matth.*, XVI, 16.

In epist. ad *Hebr.*, IX, 14, dicuntur Christi fideles servire Deo *viventi;* in *Apoc.*, Deus dicuntur *vivens* in saecula saeculorum, IV, 10, X, 6.

333.
B) *ex Traditione,*

B. *Ex traditione.* Non requiritur ut textus multi afferantur: satis notum est Christianos semper ut viventem cognovisse unicum Deum, qui est unicus et qui est Pater, Filius, Spiritus Sanctus: qua SS. Trinitate asserta, asseritur et vita Dei: quum Pater genuerit Filium, et Spiritus Sanctus vivens procedat ex Patre et Filio. Ecclesiae precibus Deus ut vivens nobis exhibetur in conclusione orationum: « Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum ».

S. Augustinus, *Confess.*, L. I, c. 6, sic alloquitur Deum: « Tu autem Domine, qui et semper vivis et nihil moritur in te: quoniam ante primordia saeculorum et ante omne quod vel ante dici potest, tu es, et Deus es, Dominusque omnium quae creasti: et apud te rerum omnium instabilium stant causae... et omnium irrationabilium et temporalium sempiternae vivunt rationes.... Tu facis nos Domine: cui esse et vivere non aliud atque aliud est, quia summe esse et summe vivere id ipsum es ».

334.
C) *ex ratione.*

C. Ex Ratione.

In Deo est formaliter omnis perfectio simplex, cf. suprà n. 189, 192; atqui vivere est perfectio simplex; ergo Deus est *formaliter* vivens. — Consequenter vivere dicitur *proprie* de Deo, cf. suprà, n. 196. In sequentibus iterum demonstrabitur vivere Deus, quatenus probabitur illum intelligere et velle.

335. Objectio ex notione vitae solvitur, et sic ostenditur vitam perfectissime convenire Deo.

Objectio. Vivere est se movere; atqui Deus non potest movere se, utpote omnino immobilis seu immutabilis; ergo Deus non potest vivere.

R. Dist. *Maj.* Vivere est *se movere,* h. e. *operari immanenter,* sive cum transitu de potentia ad actum, sive absque illo transitu, *conc.; se movere,* h. e. operari immanenter quod necessario importat transitum de potentia ad actum, *nego.*

Contrad. *min.* Deus non potest se movere, h. e. operari immanenter cum ullo transitu de potentia ad actum, *conc.;* non potest se movere absque ullo transitu de potentia ad actum, *nego.*

Explico. Definitio, qua vivere dicuntur, quae movent se ipsa, a creatis, in quibus primo vitam observamus, scilicet ab animalibus, desumpta est: quae ut de vita generatim conveniat, vocabulum movere largiori sensu accipiendum est. Nempe vivere proprie consistit in *operari immanenter,* in operatione quae procedit a subjecto et in eodem subjecto remanet tota, et proinde est *perfectio* ipsius operantis: ita sentire, intelligere, velle sunt operationes vitales. In creatis autem illae operationes fiunt cum motu proprie dicto seu mutatione, seu cum transitu de potentia ad actum: ita, in creatis, sentire, intelligere et velle fiunt cum mutatione proprie dicta; sed ipsum intelligere, ipsum velle non essentialiter in mutatione consistit, sed in ipsa perfectione quae est intentionaliter apprehendere id quod est aut appetere bonum. Vivere in Deo importat hanc solam perfectionem, solum operari immanenter, absque ulla mutatione proprie dicta. Quapropter in Deo est proprie *vivere,* licet in ipso non sit proprie *movere se,* seu transire a potentia ad actum (1).

Inde in Deo vivere habetur perfectissimo modo, quia in ipso operatio est perfectissimo modo *immanens* et *perfectio* operantis. Omnes creaturae viventes, licet vere immanenter operentur, tamen, quoad ipsam vitalem operationem, dependent, alio et alio modo, ab extrinseco: sive a fine qui ipsis praestitutus est a natura; sive a forma seu natura, secundum quam operantur, et quam habent ab alio; sive a motione qua indigent ut effundant ipsam operationem vitalem; sed Deus est prorsus independens: ipse est sibimetipsi finis non ad alium ordinatus et operari est ipsum esse ejus (2).

336. Deus est

PROPOSITIO SECUNDA. **Deus, isque solus, est sua vita, est ipsa vita subsistens, est causa efficiens, exemplaris ac finalis omnis viventis.**

Demonstratio.

sua vita,

1. Deus enim est suum esse, aliis verbis, actus existendi est ipsa essentia Dei (cf. suprà, n. 151, 158); sed Deus est omnino simplex (cf. suprà, n. 176), quapropter operari divinum est ipsum esse divinum, ergo et vivere seu vita Dei est ipse Deus.

ipsa vita subsistens,

2. Quum vita Dei sit ipsum esse Dei, quum hoc sit ipsum Esse per se subsistens, sequitur Deum esse ipsam Vitam per se subsistentem. — Inde Deus est etiam Vita *immutabilis, aeterna,* cf. suprà, n. 234, 249.

causa vitae omnis.

3. Deus, quum sit ipsum Esse per se subsistens, est unica causa incausata omnis entis a Deo distincti: omne enim quod existit, praeter ipsum Esse, est quaedam limitata participatio ipsius Esse et ab hoc physice dependet in existendo.

---

(1) « Illa proprie sunt viventia, quae seipsa secundum aliquam speciem motus movent, sive accipiatur motus proprie, sicut motus dicitur *actus imperfecti,* i. e., existentis in potentia, sive motus accipiatur communiter prout motus dicitur etiam *actus perfecti,* prout intelligere et velle dicitur moveri ». S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XVIII, a. 1.

(2) S. THOMAS, *ibid.,* a. 3, pulcherrime exponit comparationem inter varios gradus vitae, ostenditque rationem vitae plenissime verificari in intelligendo, et ipsum intelligere perfectissime inveniri in Deo.

Sed praeterea omne vivens, formaliter qua tale, est *a)* in sua natura, imitatio ipsius Vitae per se subsistentis, et ab illa tenet vivere quod est esse; *b)* in ipsa vitali operatione dependet a motione Viventis per se subsistentis; *c)* in vitali operatione tendit ad Vitam, sicut ad suum bonum seu finem, sive innato appetitu, sive elicito, quemadmodum omnia appetunt Summum Bonum, uti suprà, n. 271, exposuimus.

Inde perspicitur quomodo *in Deo vivamus,* uti dicit Apostolus, *Act.,* XVII, 28.

Scholia.

337. *Deus est vita omnium, quatenus est causa vitae omnis;*

1um. Deus dici potest *vita* omnium viventium, quatenus est *causa efficiens, exemplaris, finalis* omnium viventium; *non* autem ac si esset causa *formalis* vitae omnis, ac si omnia physice viverent eadem vita qua ipse Deus vivit vel ac si Deus esset unica *anima* mundi. Haec ultima assertio continet *pantheismum,* de quo cf. suprà, n. 100.

Singuli viventes habent suam propriam vitam, ipsis intrinsecam: et quot sunt viventes, tot sunt vitae; sed unica est Vita, quae est causa omnis vitae a se distinctae. Idem diximus suprà, n. 272, de bonitate divina.

338. *omnia, quatenus cognita a Deo, sunt vita in ipso.*

2um. *Omnia* sunt *vita in Deo,* quatenus sunt *termini intentionales* intellectus divini.

« Vivere Dei est ejus intelligere. In Deo autem est idem intellectus, et quod intelligitur, et ipsum intelligere ejus. Unde quidquid est in Deo ut intellectum, est ipsum vivere vel vita ejus (1). Unde cum omnia quae facta sunt a Deo, sint in ipso ut intellecta, sequitur quod omnia in ipso sunt ipsa vita divina » (2).

Inde docetur *a)* res eatenus esse vitam in Deo, quatenus in Deo, ut in *exemplari,* sunt intentionaliter praesentes; *b)* res non solum *vivere* in Deo, sensu quo in omni artificis mente vivit forma rei faciendae, sed *esse ipsam vitam* Dei; *c)* omnia, etiam mere possibilia, posse dici esse vitam Dei.

S. Bonaventura, *in I Sent.,* Dist. XXXVI, a. 2, q. 1, *Opera,* t. T, p. 623 s., nitide exprimit quomodo res, ut *cognitae,* sint vita in Deo: res tripliciter sunt in Deo, videlicet ut in *principio producente,* et sic sunt in ratione potentiae; ut in *exemplari exprimente,* et sic sunt in ratione notitiae; et ut in *fine conservante,* et sic sunt in ratione voluntatis. Primo modo res non sunt vita in Deo, tertio modo (nempe ut in fine conservante) quaedam sunt vita in Deo, scilicet substantiae viventes, quatenus vivunt in Deo. Sed secundo modo, nempe ut in *exemplari exprimente,* res omnes sunt vita in ipso. « Et quia non solum in illo exemplari exprimuntur entia, sed omnia cognoscibilia Deo, ideo omnia sunt in Deo *vita,* quae in ipso sunt. Et ideo dicit beatus Johannes: *Quod factum est in ipso vita erat* ».

---

(1) Haec propositio interpretanda est de intellecto per se, ad excludenda mala, quae sunt intellecta per aliud, scilicet per bona. Ita CAJETANUS, in h. l.

(2) S. THOMAS, *ibid.,* a. 4. In hoc articulo, S. Thomas conclusionis suae ut fundamentum assignat textum evangelii S. Joannis, I, 4, quem sic legit: « Quod factum est, in ipso vita erat ». Attamen hac punctuatione admissa, non conveniunt interpretes de significatione illius asserti. S. Thomas hîc explicationem admittit S. Augustini, *In Johannis Evang.,* cap. I, tract. II, n. 16-17, qui explicat omne creatum in Deo vivere quia in ipsa Sapientia est spiritualiter ratio secundum quam res factae sunt, sicut in anima artificis vivit res fabricanda, quatenus haec repraesentatur (scil. intentionaliter adest) in mente artificis.

Caput II

DE COGNITIONE DEI.

339. Ordo dicendorum.

Aggredimur exponendam gravissimam ac difficillimam quaestionem: considerandа enim est cognitio Dei, quae est operatio maxime intima vitae divinae et ratio ontologica volitionis, necnon, aliquo saltem sensu, causa omnium quae Deus fecit *ad extra* et efficere potest.

Praeter altitudinem et amplitudinem ipsius materiae investigandae occurrunt nobis inspiciendae controversiae multae quae saeculo XVI exeunte sunt exortae, et perdurant usque ad hodiernam diem: nec ulla hucusque proposita est sententia quae omnium calculo probetur; nec ulla, ut videtur, plene exhibet nobis rationem intrinsecam cur Deus cognoscat actus liberos creaturae: circa hanc specialem quaestionem, quomodo libertas creaturae concilianda sit cum aeterna et immutabili scientia Dei, incoeptae sunt illae disputationes celeberrimae, de quibus dicebamus; propter logicam connexionem inter notionem influxus Dei in voluntatem creaturae et notionem cognitionis divinae, sententia quam aliqui tenent circa cooperationem Dei in operatione, sive naturali sive supernaturali creaturae, logicas conclusiones secum affert circa explicationem de modo quo Deus cognoscit res.

Caput illud dividimus in tres articulos: *primum:* de cognitione divina secundum se spectata; *secundum:* de objecto et de divisione cognitionis divinae; *tertium:* de modo quo et de medio in quo Deus cognoscit res a se distinctas, specialiter actus liberos creaturae.

Articulus Ius. **De cognitione divina secundum se spectata.**

340. In Deo esse cognitionem infinite perfectam est de fide,

Propositio. **In Deo est cognitio infinite perfecta.**

Haec propositio est de fide: definivit enim Concilium Vaticanum: « Sancta catholica apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum... intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum » (1).

demonstratur A) ex S. Scriptura.

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura.

A prima pagina S. Scripturae exhibetur Deus ut agens secundum cognitionem suam praelucentem operationi: « Dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona... Deus... ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ». *Gen.*, I, 3, 26. Deinde describitur Deus tamquam intelligens in sua locutione cum hominibus, quibus mandatum tulit et sanctionem statuit, etc.

---

(1) *Enchir.*, n. 1782.

Divina cognitio asseritur in illis textibus permultis quibus eventus attribuuntur praescientiae vel providentiae Dei, vel in illis quibus describitur ipsa Dei protectio et gubernatio populi judaïci.

Tandem saepissime celebratur explicite scientia divina : v. gr. *Ps.* CXXXVIII ut argumentum habet laudem omniscientiae Dei; et in *Ps.* CXLVI, 5 dicitur: « Magnus Dominus noster et magna virtus ejus et sapientiae ejus non est numerus [h. e. non est mensura] ».

In *Prov.*, VIII, 22-36, describitur aeterna sapientia secundum quam Deus condidit universum.

A *Job,* XII, 13, tribuitur Deo sapientia et potentia; in eodem libro, c. XXVIII, 23 ss., docetur originem sapientiae humanae esse a Deo qui omnia cognoscit et omnia creavit, in c. XXXVIII exhibetur ipse Deus docens potentiam et sapientiam suam elucentem in rebus creatis, tandem c. XLII, 1-2 Job confitetur potentiam et omniscientiam Dei, quem nulla latet cogitatio.

In *Sap.*, VII, 25 ss., IX, 4, docetur omnem sapientiam provenire a Deo, apud quem est sapientia aeterna, quam Deus diligit.

In *Eccli.,* I, 1-11, idem docetur; praeterea laudatur Dei sapientia in creatione, XVI, 24-XVIII, 14, necnon providentia ejus XXXIII, 7-15.

His locis et sequentibus revelatur nobis absolute in se perfectam esse Dei cognitionem.

Etenim *a) ad omnia sese extendit,* etiam ad ea quae maxime sunt abscondita: « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum... et intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita, sic et post perfectum [h. e. postquam creata seu perfecta sunt) respicit omnia ». *Eccli.* XXIII, 20 s.

In ep. ad *Hebr.,* IV, 12 s., describitur virtus cognoscitiva Dei, quae omnia penetrat et usque ad intima mentis et cordis pervadit, adeo ut secretissimas mentis cogitationes et absconditissima cordium desideria discernat; tandem generali assertione exprimitur illa omniscientia: « Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus ».

b) Intrinseca vis cognoscendi est in Deo illimitata: « Sapientiae ejus non est numerus [non est mensura]. » *Ps.* CXLVI, 5; ita est profunda ut sit immensa et proinde inscrutabilis: « O altitudo [abyssus] divitiarum [et] sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles [non perscrutabiles] viae ejus. Quis enim cognovit sensum [mentem] Domini? aut quis consiliarius ejus fuit »? *Rom.* XI, 33 s. Hoc ultimo dicto exprimitur omnimoda independentia cognitionis divinae, necnon consilii et ordinis circa res existentes.

Quum igitur cognitio divina exhibeatur tamquam ad omnia cognoscibilia sese extendens (1) et tamquam in se immensa seu illimitata, asseritur etiam simpliciter *infinita.*

---

(1) Non dicimus asseri in textibus citatis cognitionem Dei sese extendere *etiam ad mere possibilia:* haec certo non excluduntur illis textibus; sed etiamsi Scriptores inspirati docentes Deum

341. *Patrum* proferre sententias non est hoc loco necessarium: unanimiter enim cognitionem perfectissimam et infinitam in Deo esse docent (1). Plura eorum testimonia infrà erunt indicanda, in specialibus thesibus circa objectum vel modum omniscientiae Dei.

342. B. EX RATIONE (2).

B) *ex ratione:* 1° *a posteriori*

1°) *a posteriori:*

a) ex ordine hujus mundi: in rerum universitate viget ordo perfectissimus et stabilis multorum ac diversorum invicem agentium et patientium; atqui hic ordo est necessario effectus causae *intelligentis,* uti suprà, n. 76, exposuimus; ergo prima causa efficiens mundi est intelligens. — Sed eadem causa prima est essentialiter infinita (cf. suprà, n. 204); ergo haec causa prima, seu Deus, est infinite intelligens.

b) ex vi intellectiva inventa in creatura aliqua Dei : « Omnem perfectionem in effectu inventam, *prout est praecise perfectio,* oportet formaliter praeexistat in eo quod est causa per se effectus. Invenitur autem in aliquo effectu per se causato a Deo, scilicet in homine, cognitio intellectiva, et haec formaliter sumpta est perfectio simplex, quae scilicet est melior ipsa quàm non ipsa: solis enim intellectivis competit ut tum cetera ipsis sint manifesta tum ipsa sibi; unde ipsa non solum *in se* sed et *pro se* existunt, suntque sola capacia beatitudinis... Formaliter ergo sumpta et praecisa ab omni defectu attribuenda est [intellectiva cognitio] Deo » (3). Quum Deus sit essentialiter infinitus, ejus intellectio debet esse infinita.

343. 2° *a priori*

2°) *a priori:*

a) In Deo, utpote infinite perfecto, inest formaliter omnis perfectio simplex (cf. suprà, n. 192), et quidem infinite; atqui intellectiva cognitio est perfectio simplex; ergo Deus est infinite intelligens.

b) Ex hoc quod *Deus est in summo immaterialitatis:* hanc profundissimam rationem exponit S. Thomas, *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 1.

Eatenus ens est intelligens quatenus est immateriale, proinde quo magis est immateriale eo magis intelligens; atqui Deus est summè immaterialis; ergo Deus est summe intelligens, imo infinite intelligens.

Major declaratur. Omnis cognitio essentialiter consistit in *apprehensione intentionali* alicujus rei, consistit nempe in hoc quod cognoscens *intentionaliter* capiat et habeat in se repraesentative rem cognitam; inde omnis cognitio importat quamdam assimilationem cognoscentis ad rem cognitam, importat quod cognoscens *fiat intentionaliter* id quod cognoscit.

Quapropter oportet ut forma cognoscentis quamdam amplitudinem seu extensionem possideat, qua possit fieri alia et non unice ad se solum sit

---

omnia cognoscere cogitaverint tantum de rebus quandoque existentibus, tamen formaliter intendunt affirmare omnia cognoscibilia esse objectum actualis cognitionis divinae, nec aliquid posse latere Deum: haec est obvia et confusa, nondum distincta, notio *infinitae* cognitionis.

(1) Ita PETAVIUS, *De Deo,* L. IV, c. 1, p. 166.

(2) Cf. DE SAN, *De Deo uno,* n. 139 ss.

(3) DE SAN, l. c.

coarctata: praedictae autem extensionis capacitas est perfectio. Haec porro immunitas a coarctatione consistit in quadam independentia a materia: materia enim est principium coarctationis seu limitationis et etiam individuationis: unde eatenus *cognoscitiva* erit forma quatenus aliquo modo independens est a materiae coarctatione et extensiva ad alia (1). Ergo quo major est formae immunitas a coarctatione materiae, eo etiam major et perfectior erit facultas cognoscendi.

Jamvero cognitionis *intellectivae* infimus gradus exigit formam quae in suo esse et in suo operari sit *intrinsece* independens a materia, sitque essentialiter *spiritualis* (2). Haec igitur perfectio est ratio ontologica intellectivae cognitionis; quo magis proinde immaterialis seu spritualis est aliqua forma vel natura, eo magis erit intelligens (3).

Minor demonstrata est suprà, n. 175 ss., ubi probata est omnimoda simplicitas et proinde immaterialitas Dei.

Stat igitur conclusio: Deus est summè intelligens; et ulterius, quum sit infinitus in perfectione positiva, nempe in spiritualitate, quae est ratio ontologica intelligentiae, ideo est infinite intelligens.

Ulterior explicatio. *344.*

Quum per viam *affirmationis* demonstratum sit Deo inesse infinitam perfectionem cognoscendi, jam per viam *negationis* et per viam *eminentiae* oportet ut magis distincte perspicere conemur quid contineat praedictum attributum (4).

Dei cognitio: est tantum intellectiva, dicique potest scientia, sapientia, etc.,

1. Cognitio divina non est nisi *intellectiva:* quia Deus est omnino incorporeus et omnino simplex. — Haec cognitio, quae in se est omnino simplex, potest designari diversis nominibus secundum diversa objecta ad quae terminatur et secundum connexionem inter scita. Sed etiam hîc notandum est quod in Deo *formaliter* inest tantum cognitio quae est *perfectio omnino simplex.*

Ad rem S. Thomas: « Ea quae sunt divisim et multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter et unite... Homo autem secundum diversa cognita habet diversas cognitiones. Nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere *intelligentiam; scientiam* vero, secundum quod cognoscit conclusiones; *sapientiam* secundum quod cognoscit causam altissimam; *consilium* vel *prudentiam* secundum quod cognoscit agibilia. Sed haec omnia Deus una et simplici cognitione cognoscit. Unde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest;

(1) Primus gradus cognitionis habetur in cognitione *sensitiva,* quae materialis est quatenus in ea apprehenduntur tantum res *materiales,* et quidem *materialiter,* siquidem repraesentantur secundum conditiones materiales seu notas individuantes. Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 369, p. 403. S. THOMAS. *Sum. theol.,* I, Q. LXXVI, a. 1.

(2) In infimo gradu cognitionis *intellectivae,* cognitio dependet *extrinsece* a materia, nempe a phantasmatibus; et ipsa cognitio fit per abstractionem ab illis imaginibus sensibilibus; ideoque objectum, *proprium* et *specificativum* illius generis cognitionis est rei materialis essentia abstracta. Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 416.

(3) Si datur natura, quae non solum est intrinsece simplex, sed etiam nullo modo ordinata ad informandam materiam (qualis est natura angelica), haec natura magis *elongatur a materia* quam forma materiae. Praeterea quum spiritualitas, quoad id quod importat, sit perfectio positiva, possunt in ea esse diversi gradus perfectionis.

(4) Cf. JUNGMANN, *De Deo,* n. 191 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug ,* t. IV, p. 438 ss.

ita tamen quod ab unoquoque eorum, secundum quod in divinam praedicationem venit, secludatur quidquid imperfectionis est, et retineatur quidquid perfectionis est » (1).

In Deo est *formaliter scientia,* si hoc nomen sumitur *latissime* ad designandam cognitionem certam et evidentem veritatis, quaecumque illa sit. Praeterea cognitio quam habet Deus de *creaturis* est proprie scientia, accepta in *sensu lato,* quatenus « designat cognitionem certam et evidentem rei per propriam *causam,* nihil curando utrum talis cognitio sit acquisita per discursum necne; nec attendendo ad qualitatem causae, utrum scilicet sit *prima* vel *secunda, remota* aut *proxima* » (2).

Cognitio quam habet Deus de *attributis suis* potest dici scientia *lato sensu,* sed minus proprie: quia Deus cognoscit sua attributa per *rationem* eorum *sufficientem,* non autem per causam: non enim datur causa attributorum Dei.

Scientia, sensu *stricto,* quatenus in homine habetur, est *discursiva* (cf. suprà, n. 2): haec non potest esse formaliter in Deo: Deus enim non cognoscit per causam quatenus per causam prius cognitam detegit effectus prius incognitos: ideo non datur discursus in Deo. Sed Deus cognoscit effectus in causa, sive prima, sive secunda: dico *sive* prima, *sive* secunda, quia abstraho a modo quo Deus cognoscit actus futuros liberos.

345. est ipsa substantia Dei,

2. Cognitio divina non est accidens, sed est ipsa *substantia* Dei. In Deo nullum potest esse accidens (cf. suprà, n. 177), sed omnis perfectio ejus realiter est idem ac essentia divina. Quum haec sit ipsum *Esse* per se subsistens, cognoscere Dei est ipsum cognoscere subsistens.

Ad rem S. Augustinus: « Quae Dei scientia est, ipsa et sapientia, et quae sapientia, ipsa essentia sive substantia. Quia in illius naturae simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse; sed quod est sapere, hoc est et esse » (3).

S. Thomas dicit: « Unde scientia non est qualitas in Deo, vel habitus, sed substantia et actus purus » (4).

346. est independens a rebus finitis,

3. Cognitio divina nullo modo est dependens a rebus sed omnino *independens* a rebus finitis.

Omnis nostra cognitio dependet a rebus, ita ut ipsae res in nos agere debeant ut possimus cognoscere, adeoque res sunt causae nostrae cognitionis.

a) Cognitio *sensibilis* provenit ab ipsis rebus materialibus quae agunt in nos et ipsarum similitudinem in sensus nostros externos gignunt, qua similitudine determinatur nostra cognitio sensibilis sensuum externorum; ab hac deinde dependet cognitio sensuum internorum; b) cognitio *intellectualis* dependet a phantasmatibus, proinde quaelibet nostra judicia saltem remote et indirecte in experientia rerum materialium nituntur; deinde alia dantur judicia quae, quoad suam formationem, directe et proxime dependent ab experientia rerum illarum. Praeterea magna ex parte cognitio nostra acquiritur ratiociniis empiricis et mixtis (5).

In Deo e contrario nulla est dependentia a rebus quibuslibet finitis, nec ab illis ullo modo causatur cognitio divina, imo et ipsa est causa rerum, ut infra videbimus: haec cognitio tota *determinatur* ab essentia Dei, ut postea dicemus, et est realiter idem ac illa: res sunt objectum ad quod *terminatur* cognitio, sed non sunt principium ejus.

---

(1) *Sum. theol.,* Q. XIV, a. 1, ad 2.
(2) BUONPENSIERE, *Comment. in I. P. Sum. theol.,* n. 808, p. 545. V. *ibidem* quae hanc quaestionem spectant.
(3) *De Trinitate,* L. XV, c. 13, P. L., t. 42, col. 1076.
(4) *Sum. theol.,* ibid., ad 1.
(5) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 155, 168.

4. Cognitio divina est *simultanea, immutabilis* et *aeterna.*

347. simultanea, immutabilis, aeterna,

Hominis cognitio est successiva, utpote quae acquiritur per actus realiter distinctos, quorum alii aliis succedunt et quibus ab una re cognita progreditur homo in aliam rem cognoscendam; inde etiam illius cognitio est mutabilis et tempori subjecta.

E contrario Deus omnia intuetur unico actu qui est essentia ejus: inde simultanea, immutabilis et aeterna est cognitio Dei.

Licet Deus cognoscat res esse tempori subjectas et alias aliis succedere, nulla tamen est mutatio in cognitione Dei. « Novit omnia Deus quae fecit per ipsam [sapientiam] et ideo cum decedant et succedant tempora, non decedit vel succedit aliquid scientiae Dei » (1). Quod S. Thomas exprimit dicendo: « Cum scientia Dei sit ejus substantia, sicut ejus substantia est omnino immutabilis, ita oportet ejus scientiam omnino invariabilem esse » (2). — Quum omnes res existant ex tempore, nec ulla ab aeterno, ideo cognitio, quam habet Deus de omnibus quandocumque existentibus, dici potest *prae*cognitio vel *prae*scientia. Eisdem vocabulis designari potest cognitio Dei de omnibus quae quoad nos sunt futura.

5. Cognitio divina est *intuitiva* et *comprehensiva.*

348. intuitiva et comprehensiva.

Hominis cognitio est discursiva, quatenus ex una veritate cognita transit per argumentationem ad aliam veritatem cognoscendam: quo fit ut humana intellectio sit essentialiter limitata et mutabilis, sitque perfectio mixta.

Deus e contrario *unico intuitu* (3) omnia cognoscit, necnon omnia comprehendit, seu intelligit tantum quantum sunt intelligibilia: etenim semetipsum comprehendit et ideo omnia alia (qua de re infrà dabitur explicatio): nam nihil cognoscibile est nisi quatenus repraesentatur in essentia divina: inde Dei cognitio est infinita tum intensive, tum extensive. Patet in Deo omnem cognitionem esse *propriam,* nullam analogicam; omnem esse *certam* et *distinctam,* nullam dubiam aut tantum probabilem, vel confusam.

S. Augustinus bene describit quomodo Deus unico intuitu omnia simul perspiciat, loquendo de Patre et de Filio: « Et omnia quae sunt in eorum [Patris et Filii] scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt; non particulatim aut singillatim, velut alternante conspectu hinc illuc, et inde huc et rursus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi non videns alia: sed, ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est quod non semper videt » (4).

349. Deo non inest formaliter memoria.

Ex dictis sequitur non dari in Deo formaliter *memoriam :* (5) *a)* nec sensitivam, quia Deus omnino spiritualis est; *b)* nec intellectivam: α) quia, quum Deus non intelligat per species intelligibiles, non inest illi vis qua mens retinere potest species intelligibiles post actualem considerationem; β) quia in Deo « ubi omnia unico actu cognoscuntur, non est locus repristinandi cogitationes antea habitas » (6).

Unde actus memoriae non nisi *metaphorice* dicitur de Deo.

(1) S. Augustinus, *De Trinitate,* L. VI, c. 10, P. L., t. 42, col. 931.
(2) *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 15.
(3) Cf. S. Thomas, *Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 57, 58.
(4) *De Trinitate,* L. XV, c. 14, P. L., t. 42, col. 1077.
(5) De notione memoriae cf. S. Thomas, *De Veritate,* Q. X, a. 2; *Sum. theol.,* I, Q. LXXVIII, a. 4, Q. LXXIX, a. 6 et 7.
(6) Van Noort, *De Deo,* n. 71.

Articulus IIus. De objecto et divisione cognitionis divinae.

§ I.

De objecto.

350. I. De objecto generice spectato.

Propositio prima. **Cognitionis divinae objectum materiale primarium et objectum formale est ipsa essentia divina.**

Haec propositio est certa.

Deus semetipsum comprehendit;

Demonstratio conficietur probatis tribus assertis.

1um *assertum. Deus seipsum perfectissime cognoscit,* seu *comprehendit.*

Hoc est de fide.

a) Unicus Deus est trinus in personis, ut infrà demonstrabitur; est nempe Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

Porro dicitur a Christo: « Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare ». *Matth.,* XI, 37. Hoc in loco affirmatur perfecta et mutua cognitio Patris et Filii. De Spiritu Sancto dicitur: « Nobis autem [sapientiam] revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei ». *1 Cor.,* II, 10-12. Hîc docetur perfecta Dei de semetipso cognitio, imo talis cognitio quae plene exhaurit intelligibilitatem Dei, estque proinde *comprehensio.*

b) Quare S. Augustinus: « Tamquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quam in ipso » (1).

c) Ex ratione demonstratur assertum: Deus est actus purus, proinde intelligere ejus est ejus esse, adeoque virtus intelligendi est necessario in actu. Jamvero « tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo: quia per hoc quod actu est et ab omni materia et potentia separatus, Deus cognoscitivus est, ut ostensum est [cf. suprà, n. 336, b]. Unde manifestum est quod tantum seipsum cognoscit, quantum cognoscibilis est. Et propter hoc semetipsum perfecte comprehendit (2) ».

351. *cognitionis divinae: objectum materiale primarium est essentia divina,*

2um *assertum. Divina essentia est objectum materiale* primarium *cognitionis Dei.*

Etenim Deus est essentialiter intelligens actu. Jamvero cognitio divina non nisi per essentiam divinam determinari potest, vel, aliis verbis, nihil

(1) *De Trinitate,* L. XV, c. 14, P. L., t. 42, col. 1076.

(2) S. Thomas, *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 3. In hac assertione continetur Deum esse perfecte *conscium sui.*

aliud praeter essentiam Dei potest esse quasi species intelligibilis in Deo. Ergo Deus necessario seipsum intelligit in essentia sua. Sed essentia rei non ducit immediate et directe in cognitionem alicujus nisi ejus cujus est essentia. Ergo id ad quod prius, ut cognitum, terminatur intellectio Dei est essentia ejus: haec est ergo primarium objectum divinae cognitionis (1).

3um assertum. Divina essentia est objectum FORMALE *cognitionis Dei.*

352. quae est etiam objectum formale;

Objectum formale hîc intelligitur ratio sub qua attingitur id quod cognoscitur, praecise tamquam cognitum. Sed, uti statim diximus, nihil aliud potest determinare cognitionem in Deo quam ipsa essentia divina; sed ut ipsa essentia est necessario et primario a Deo cognita: ideo essentia divina cognita est ratio sub qua intentionaliter apprehendit Deus omne quod cognoscit, estque igitur formale objectum divinae cognitionis.

Haec conclusio etiam alio argumento demonstrari potest, nempe ex notione *comprehensionis,* quae est propria cognitio Dei.

Etenim Deus perfecte cognoscit semetipsum: secus non *esset* infinite perfectus, quum in Deo intelligere sit esse.

Non autem perfecte cognosceret seipsum, nisi cognosceret quomodocumque participabilis est ab aliis sua perfectio.

Sed perfectio divina est ipsum *Esse:* ergo Deus non perfecte cognosceret suam perfectionem, seu naturam τοῦ Esse nisi perfecte et distincte cognosceret omnes modos essendi (2). Ergo eatenus Deus comprehendit se, quatenus penitus cognoscit rationem τοῦ Esse, eatenus porro cognoscit penitus rationem τοῦ Esse, quatenus in ea perspicit distincte omnes modos essendi, ergo omnes res tamquam participationes τοῦ Esse: ergo ratio formalis sub qua sunt cognita quaecumque cognoscuntur a Deo est ipsum Esse, quod est essentia divina.

353. objectum secundarium sunt omnes res finitae cognoscibiles.

PROPOSITIO SECUNDA. **Cognitionis divinae objectum secundarium sunt omnes res finitae cognoscibiles, sive possibiles sive existentes.**

In hac propositione non determinamus quaenam res, a Deo distinctae, cognoscantur ab ipso; sed jam scimus omnes res cognoscibiles esse actu a Deo cognitas, quum sit infinitus in perfectione intelligendi. De variis objectis cognitionis divinae distincte loquemur statim; nunc tantum intendimus declarare non nisi *secundarium* objectum cognitionis divinae posse esse res a Deo distinctas. *Secundarium* hic significat quod cognoscitur *mediante alio* seu *in alio cognito.*

Demonstratio.

Intelligere Dei est unicus actus seu intuitus; hic autem intuitus determinatur unice ab ipsa essentia divina; haec porro essentia *immediate* cognoscitur, imo et comprehenditur; porro in hac essentia divina comprehensa et

(1) Hoc docet S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 48, sub hoc titulo: « Quod Deus primo et per se solum seipsum cognoscit ».

(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, Q. XIV, a. 5 ad 3 et a. 6.

trans ipsam, ergo *mediate,* cognoscuntur necessario omnes possibiles res, nec aliter possunt a Deo cognosci. Ut res tamquam *existentes* cognoscantur, requiritur in Deo intuitus propriae voluntatis, ut infra dicemus; sed haec voluntas entitative est idem ac essentia divina (cf. suprà, n. 234, 241): ergo non nisi in essentia sua *cognita* potest Deus cognoscere res a se distinctas, et hic modus cognoscendi est immutabilis in Deo, sicut immutabile est esse Dei (cf. suprà, n. 340): ergo non aliter quam *secundarie* possunt cognosci a Deo res a se distinctae.

354.

II. De objecto secundario considerato particulariter in singulis quae continentur in illo.

Deus cognoscit omnia quandocumque existentia: hoc est de fide;

Propositio tertia. **Deus cognoscit 1° omnia quandocumque existentia; 2° prout sunt singularia; 3° etiam omnes actus liberos creaturae intellectualis.**

Haec propositio est de fide. Concilium enim Vaticanum definivit: «Universa, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter. Omnia* enim *nuda et aperta sunt oculis ejus,* ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt» (1). Patet hîc agi de omnibus quolibet temporis momento existentibus, deque illis prouti sunt in suo esse singulari ac proprio; deinde specialiter de actibus liberis.

355. hoc demonstratur A) ex S. Scriptura, in qua asseritur 1) interventus Dei in factis historicis,

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura (2).

1. Persuasio populi judaïci de omniscientia Dei et ejus providentia exprimitur multis in locis in quibus agnoscunt interventum Dei in factis historicis, etiam in illis quae a libera hominis electione dependent. V. gr. Abigaïl providentiae divinae adscribit pacificum Davidis adventum, quem ipsa praeparaverat, necnon deprecatur ut Jahve custodiat Davidem in fasciculo viventium; David rursus Deo benedicit quia misit Abigaïl in occursum suum et ita impedivit ne sanguinem effunderet. Iterum in morte Nabal agnoscit David providentiam Dei. *1 Reg.*, XXV, 26-38.

356. 2) Dei cognitio distincta singularium,

2. Omnia existentia perfecte et singulariter a Deo cognosci et gubernari affirmatur in *Ps.* CXXXVIII; in *Ps.* CXLVI: [Deus] « numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat... operit coelum nubibus et parat terrae pluviam, producit in montibus foenum et herbam servituti hominum »; in *Job,* XXVIII, 24: « Ipse [Deus] enim fines mundi intuetur: et omnia, quae sub coelo sunt, respicit », deinde describuntur phaenomena physica ut a Deo ordinata et regulata; in *Prov.,* XVI, specialiter docetur hominum cogitationes et actiones subdi divinae providentiae; in *Sap.,* VIII, 8: « Attingit [Sapientia] a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter ».

(1) Sess. III, *Const. de fide,* c. 1. *Enchir.*, n. 1784.

(2) Cf. Mangenot, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu,* col. 971 ss.; Pohle, *o. c.*, p. 190 ss.

In N. T. Christus ipse divinam cognitionem necnon providentiam, extensam etiam ad minima singillatim spectata, describit dicens: « Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt ». *Matth.*, X, 29-30. Cf. *ibid.*, VI, 26 ss.

357. 3) cogitationum ac actionum liberarum,

3. Specialiter asseritur competere Deo cognitionem *internarum cogitationum* et *actionum liberarum* hominum, adeoque Deus vocatur ‘ο καρδιογνώστης. « Tu [Deus] nosti solus cor omnium filiorum hominum ». 3 *Reg.*, VIII, 39. — « Scrutans corda et renes [est] Deus ». *Ps.* VII, 10. — Apud *Jer.*, XVII, 10, Deus de semetipso loquitur: « Ego Dominus [Jahve] scrutans cor et probans renes: qui do unicuique juxta viam suam et juxta fructum adinventionum [h. e. operum] suarum ».

In N. T. docetur Deum cognoscere distincte intimas hominum cogitationes et affectus, occasione illius asserti exprimitur universale principium: « Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus ». *Hebr.*, IV, 13. — Pariter in *Apoc.*, II, 23, Deus dicitur scrutans renes et corda et retribuens unicuique secundum opera ejus. — Inde hujus veritatis persuasionem profitentur primi fideles alloquentes Deum: « Tu Domine, qui corda nosti omnium (καρδιογνῶστα πάντων), ostende quem elegeris... » *Act.*, II, 24. — Divina cognitio de operibus liberis hominum asseritur etiam a S. Paulo *Rom.*. I, 18-32, ubi docet paganos, propter culpabilem impietatem, qua Deo non tribuerunt cultum debitum, fuisse punitos a Deo in eo quod permisit ut subdantur passionibus ignominiosis.

358. 4) praecognitio Dei

4. Determinata etiam *praecognitio* rerum, seu cognitio antecedens eventus, attribuitur Deo:

In *Ps.*, CXXXVIII, 3 ss., alloquens Deum psalmista dicit quoad substantiam: Intelligis cogitationem meam a longe [h. e. a. longinquo: ex alto coelo; — vel: antequam ego eas cogitem]... nondum est verbum in lingua mea et tu jam cognoscis illud; ecce, Domine, tu cognoscis omnia haec, novissima et antiqua (1). — Apud *Isa.*, XLVI, 9 ss. Deus dicit se praedixisse futura et res omnes moderari (2). — Persuasionem suam de praecognitione Dei exprimit Susanna his verbis: « Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, Tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt [duo senes] contra me ». *Dan.*, XIII, 42 s.

In N. T., docet S. Paulus ab aeterno Deum cognovisse redimendos homines per Christum, *Ephes.*, I, 4, III, 11, Col., I, 25-27.

B. Ex Traditione.

359. B) ex Traditione,

Dei omniscientia et praecognitio omnium futurorum, nominatim actuum liberorum hominum, unanimiter traditur a Patribus nec de hac re fuit unquam controversia.

(1) Ita Van der Heeren, *Psalmi*, p. 313.
(2) Cf. Knabenbauer, *Comment. in Isaiam*, t. II, p. 198.

Quaedam testimonia illius persuasionis indicabimus, quibus illa nitide exprimitur, tamquam veritas indubia, necnon pertinens ad doctrinam catholicam.

S. Ignat., S. Ignatius M., epistolam mittit « ecclesiae praedestinatae ante saecula ad gloriam indefectibilem ». *Ad Ephes.*, prol., et *ibid.* XV, 3, dicit: « Nihil latet Dominum; sed etiam secreta nostra sunt prope ipsi ».

S. Polyc., S. Polycarpus, *Ad Philip.*, IV: « [Deum] latet nihil nec cogitationum nec intentionum nec secretorum cordium ».

S. Just., S. Justinus, *Apol. I*, n. 12 docet futura praedixisse Deum et christianos confirmari in fide quia vident evenire ea quae praedixit; Dei autem opus esse et praedicere res antequam fiant et ita factas exhiberi ut fuerunt praedictae.

Athen., Athenagoras, *Legatio pro christianis*, n. 31, dicit christianos habere persuasum quod Deus die ac nocte semper adest iis quae cogitant et loquuntur et videt etiam ea quae in cordibus latent.

S. Theoph., S. Theophilus Antioch., *Ad Autolycum*, L. II, n. 3, divinae ubiquitatis simul ac omniscientiae notionem exhibet: «Dei altissimi et omnipotentis et vere Dei est non solum ubique esse, sed etiam omnia inspicere, omnia audire ».

S. Iren. S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, L. II, c. 26, n. 3, P. G., t. 7, col. 801 dicit christianos confiteri: « quia nihil omnino horum quae facta sunt et quae fiunt et fient scientiam Dei fugit sed per illius providentiam unumquodque eorum et habitum et ordinem et numerum et quantitatem accipere et accepisse propriam ».

360.

C. EX RATIONE.

C) ex ratione: omnia et singula existentia, ut effectus suos, Deus cognoscit perfecte,

Deus perfecte cognoscit omnes effectus suos; atqui omnia quandocumque existentia sunt effectus Dei; ergo Deus perfecte cognoscit omnia quandocumque existentia.

Major declaratur. Deus perfecte cognoscit semetipsum (cf. suprà, n. 344). Si autem perfecte se cognoscit, necesse est quod virtutem suam perfecte cognoscat. Virtus autem alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea omnia et singula ad quae virtus se extendit; sed ea ad quae se extendit virtus divina sunt effectus sui: ergo Deus perfecte cognoscit omnes et singulos effectus suos (1).

Minor patet: nam Deus est prima causa efficiens omnium quae existunt: ergo omnia et singula quandocumque existentia sunt effectus Dei. Quod Deus etiam *actus liberos* creaturae perfecte cognoscit, hoc demonstratur eodem argumento: nam actus liber, quandocumque existens, est, in quantum ens, effectus Dei et, qua talis, intelligitur a Deo. De modo quo Deus illos actus cognoscit agemus infrà.

361.

h. e. cognitione propria,

Nota. *Perfecta* cognitio, quam de omnibus habet Deus, importat quod sit cognitio *propria* et apprehendens *singularia* ut sic.

a) Quoad *primum* sic rem explicat S. Thomas (2): quum Deus sit actus purus, essentia divina habet in se quidquid perfectionis sit in essentia cujuscumque rei alterius. Non autem Deus perfecte seipsum cognosceret nisi cognosceret quomodocumque participabilis sit ab aliis sua perfectio. Nec etiam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi. Ergo Deus, quum perfecte cognoscat semetipsum, cognoscit etiam omnes res, omnesque modos essendi uniuscuiusque, et omnia cognoscit sicut sunt in propria entitate: erga habet de omnibus *propriam* cognitionem.

---

(1) Ita fere S. THOMAS, *Sum. theol.*, Q. XIV, a. 5.
(2) *Ibid.*, a. 6.

b) Non solum naturae omnium rerum (sive substantiarum, sive accidentium) *propriam* notionem habet Deus, sed etiam entia cognoscit ut *individua*, h. e. prout distincta ab aliis etiam ejusdem speciei. Etenim in tantum se extendit scientia Dei in quantum se extendit causalitas ejus; atqui causalitas Dei sese extendit ad res quatenus sunt individuatae; ergo scientia Dei attingit res ut individuas seu singulares (1).

362. extendente se ad singularia ut sic;

Major fuit suprà, n. 353, exposita.

Minor declaratur. Omnes res totaliter in suo esse dependent a Deo, imo formaliter quatenus *esse* habent, eatenus a Deo tamquam a prima causa efficiente producuntur: etenim ipsum *esse* rerum est effectus proprius Dei, quia Deus est ipsum Esse per se subsistens (2). Jamvero non potest Deus esse causa τοῦ esse rerum, nisi sit causa earum secundum omne illud quod pertinet ad esse earum, nisi proinde sit causa totius essentiae, omniumque accidentium. Jamvero in substantiis materialibus, essentia est composita ex materia prima et forma substantiali: ergo Deus est causa materiae primae (3) quae, sub diversis portionibus invenitur in singulis suppositis materialibus, et quae propter hoc est principium individuationis corporum. Ergo, quum causalitas Dei se extendat ad materiam primam, se extendit etiam ad res quatenus sunt individuatae seu singulares. — Angeli, quum sint puri spiritus, non sunt plures in eadem specie, sed omnes sunt specifice diversi ac singuli sunt specialis imitatio essentiae divinae (4).

Nota. S. Thomas (5) inquirit utrum Deus cognoscat *futura contingentia:* hac denominatione designat saltem praecipue *actus liberos futuros* (6): et recte quidem: nam actus liberi *speciali ratione* sunt *contingentes:* non enim causa proxima actus liberi, seu voluntas, est *naturà suà* determinata ad unum in operando, sed dum *eligit* ipsa *sese* determinat, volendo *hoc* quum posset velle *aliud:* proinde actus liber, quoad suam determinationem, seu quoad terminationem ad objectum unum, est *contingens,* nempe est hic actus quum posset non esse hic actus.

363. De sensu denominationis: **futura contingentia.**

Inde specialis difficultas occurrit circa cognoscibilitatem contingentium futurorum: quia qua *futura* sunt, nondum existunt; qua vero *contingentia,* non possunt cum certitudine cognosci in sua causa proxima, ut docet S. Thomas. Respondet autem S. Thomas futura contingentia cognosci a Deo ut *praesentia.*

Haec animadvertisse nunc sufficit ut intelligatur sensus quaestionis propositae a S. Thoma, infrà agemus de modo quo Deus cognoscit actus liberos.

PROPOSITIO QUARTA. **Deus cognoscit omnia possibilia.**

364. Deus cognoscit omnia possibilia.

Haec assertio non fuit explicite definita sed, ut videtur, continetur formaliter implicite in veritate revelata, quae dicit Deo inesse cognitionem infinite perfectam seu Deum perfecte cognoscere omnia cognoscibilia: quod confirmatur, quia in S. Scriptura docetur explicite a Deo cognosci res quae non actu existunt: v. gr. *Eccl.,* XXIII, 20: Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita; *Rom.,* IV, 17: [Deus] vocat ea quae non sunt,

(1) Hoc est argumentum S. Thomae, *ibid.,* a. 11.
(2) Cf. suprà, n. 74, 160-161.
(3) Cf. S. THOMAS, *o. c.,* Q. XLIV, a. 2; PÈGUES, *Comment. franç. littér.,* t. III, p. 13 ss.
(4) Cf. S. THOMAS, *o. c.,* Q. L., a. 3 et 4.
(5) *O. c.,* Q. XIV, a. 13.
(6) Dico saltem praecipue: quia actiones omnes creaturarum aliquo vero sensu sunt *contingentes* respectu Causae Primae. Quoad explicationem, cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 463.

tamquam ea quae sunt [potius: ac si essent]. Demonstrationem ex S. Scriptura v. suprà, n. 340.

Ratione demonstratur thesis ex hoc quod Deus comprehendit semetipsum. Etenim Deus, comprehendendo se, cognoscit omnia quibus imitabilis est ad extra, seu omnia quibus competit quaelibet ratio essendi, et quae proinde apta sunt fieri vel a Deo vel a creatura: atqui illa sunt possibilia, nec praeter illa datur aliquid possibile (1); ergo Deus cognoscit omnia possibilia.

Nota. Ratio ontologica absolutae possibilitatis essentiae rerum contingentium est ipse Deus: radicaliter et remote est ipsa essentia divina; formaliter et proxime, ut videtur, *intellectus* divinus, quatenus actu terminatur intentionaliter ad *rationes* omnium rerum, seu quatenus *ideas* omnium rerum habet in se (2).

365. Deus cognoscit futuribilia:

PROPOSITIO QUINTA. **Deus cognoscit certo et infallibiliter futuribilia seu contingentia hypothetice futura.**

Haec propositio ut *certa* habetur nunc a theologis (3).

hoc explicatur,

Per *futuribilia* seu *contingentia hypothetice futura* intelligimus hîc *actus liberos* (4) cujuslibet possibilis creaturae rationalis, qui fierent, si verificaretur aliqua conditio, quae de facto nunquam verificabitur: v. gr. si Petrus bene orasset, non negavisset Christum; vel si talis juvenis tantas non habuisset divitias, Christum secutus fuisset.

Bene notemus agi in propositione nostra de actibus liberis, qui neque mere possibiles sunt, neque absolute futuri, sed qui futuri essent, si futura esset aliqua alia res, quae propter nexum non necessarium, sed contingentem, quem habet cum illis actibus, dicitur eorum conditio. *Nexus igitur aliquis requiritur inter conditionem et conditionatum,* ut res sit ut conditionata cognoscibilis. Ut igitur aliquid ut conditionatum cognoscatur, requiritur vera ratio conditionis, quae in eo est quod disponit agens ad agendum vel saltem impedimenta actionis removet. Ex alteraparte *nexus non debet esse necessarius;* nam hujusmodi nexum intelligere per se nihil aliud est quam naturas rerum intelligere. Sunt veroquaedam quae ita inter se cohaerent, ut uno posito, alterum *libere* sequatur, illo non posito hoc non sequatur. Ita si homo, resistens gravi tentationi per decem minutas, minuta undecima

(1) Possibilia presse sumpta, sunt illa quae apta sunt ad existendum, et non existunt in qualibet temporis differentia, quae scilicet nec sunt, nec fuerunt, nec erunt. Possibilia, minus stricte, dicuntur ea quae non actu existunt sed quandoque fuerunt vel erunt. Cf. S. THOMAS, *ibid.*, a. 9; DE JAEGHER, *o. c.*, n. 267 ss.

(2) Cf. DE MARIA, *o. c.*, t. III, p. 198; DE JAEGHER, *o. c.*, n. 270.

(3) Fuerunt pauci qui hanc scientiam Deo negaverunt, et tantum *conjecturalem* quamdam cognitionem de his attribuebant Deo. Inter illos auctores praecipuus citatur Petrus de Ledesma († 1616), qui tenet: « quod potest Deus per conjecturas aliquo modo cognoscere, quid causa libera faceret, si in tali occasione cum istis vel illis condicionibus constitueretur; non tamen potest certa et infallibili scientia id cognoscere, atque adeo potest quidem Deus judicare quid foret verisimilius vel probabilius in tali eventu: non tamen potest definitum judicium ferre: hoc esset aut erit, si illud fieret aut fiat » Cit. ap. PESCH, *Prael., dogm.*, t. II, n. 207.

(4) Quemadmodum, ut suprà, n. 363, diximus, omnes res finitae et omnes illarum actiones, etiam illae quae physica necessitate e causa proxima procedunt, dici possunt contingentes respectu Causae Primae, ita etiam contingentia hypothetice futura dici possunt quaecumque res finitae et quaecumque illarum actiones quae fierent in aliqua hypothesi numquam verificanda; sed hîc intendimus loqui solum de actibus liberis hypothetice futuris.

cadit, vera est haec propositio: si tentatio cessasset minuta decima, homo ille totam tentationem superasset; non quia peccare non potuisset, sed simpliciter quia verum est eum de facto peccaturum non fuisse (1).

In propositione dicimus futuribilia a Deo cognosci certo et infallibiliter, ita ut hujus objecti cognitio aeque sit perfecta ac cognitio divina aliorum objectorum.

Demonstratio.

366. *demonstratur :* A) *ex S. Scriptura,*

A. Ex S. Scriptura.

In S. Scriptura non explicite enuntiatur nostra propositio, sed quaedam futuribilia a Deo cognosci docetur: inde logice propter paritatem, concludimus futuribilia omnia a Deo cognosci.

1. Quum David profugus cepisset oppidum Ceïlam et huc persequeretur illum Saül, petiit David a Domino utrum Saül veniret in urbem Ceïlam et utrum viri Ceilae traderent se Sauli. Respondit Deus Saulem venturum esse in Ceïlam et viros Ceilae tradituros esse Davidem Sauli. Quo accepto responso, David iterum profugit, itaque Sauli non fuit traditus et Saul non venit in Ceilam. *1) ex* 1 Reg., *XXIII, 9-13.*

En textus: « Quod cum David rescisset quia praepararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica ephod. Et ait David: Domine Deus Israël, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me: Si tradent me viri Ceïlae in manus ejus? et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israël, indica servo tuo. Et ait Dominus: descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilae, et viros qui sunt mecum, in manus Saul? Et Dixit Dominus: Tradent. Surrexit ergo David et viri ejus quasi sexcenti et egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nunciatumque est Sauli quod fugisset David de Ceila et salvatus esset: quam ob rem dissimulavit exire [h. e. Saul non perrexit ire in Ceilam] ». *1 Reg.* XXIII, 9-13.

Est hic sermo de *futuribili:* nam neque Saul de facto descendit in Ceilam, neque Ceilitae tradiderunt Davidem; sed si David mansisset in Ceila, consequenter Saul huc descendisset, et si Saul descendisset, consequenter Ceilitae tradidissent Davidem: descensus autem Saulis et traditio Ceilitarum sunt actus liberi: Deus porro affirmat illos actus liberos fuisse futuros si conditio fuisset verificata.

2. Ipse Christus, querendo de contumacia qua resistebant suae praedicationi habitantes Corozaïn et Bethsaida, dicit: « Vae tibi Corozaïn: vae tibi Bethsaida, quia, si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent ». *Luc.,* X, 13. Hîc describitur *futuribile* et ejusdem cognitionem ut *certam* exprimit Christus. Caeteroquin « si Christus solum ex conjectura vel opinione probabili loqueretur, inefficax esset reprehensio eorum. Mitto talem loquendi modum ne decere quidem Christum; nam quae scimus loquimur (*Jo.,* XIII, 11). Ostendit itaque se scire quid futurum fuisset si conditio esset impleta » (2). Talis igitur cognitio Deo inest. *2) ex Luc X, 13.*

(1) Ita fere Pesch, *o. c.,* n. 205.
(2) Knabenbauer, *Comment. in Matthaeum,* t. I, p. 450.

367. objectio solvitur;

Ap. *Matth.*, XI, 23 legitur: « Et tu Capharnaum... si in Sodomis factae fuissent virtutes quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. » Inde objicitur: hoc in loco exprimitur cognitio *conjecturalis* et *opinativa: forte* mansissent; ergo in loco supra citato exprimitur eadem genere cognitio, ergo tantum conjecturalis.

Negatur antecedens: nam haec verba *forte mansissent* sunt versio defectuosa verborum graecorum ἔμεινεν ἄν: in quibus, qui norunt linguam graecam, sciunt nihil esse dubitationis, sed solum indicari rem nunquam factam esse. In ipsa Vulgata, aliis in locis, particula ἄν vertitur per vocabulum : *utique* ; v. gr. *Luc.*, VII, 39: sciret *utique* = γινωσκεν ἄν. Cf. *Jo*, XIV, 7. Ergo apud *Matth.*, XI, 23 non tribuitur Deo cognitio tantum *conjecturalis*. Talem cognitionem majestati divinae non posse convenire dicebat S. Hieronymus, intrepretando locum modo citatum (1).

3) ex Jer. XXXVIII, 14-20.

3. Apud Jeremiam, XXXVIII, 14-20, narratur quod Deus per hunc prophetam renuntiat regi Sedeciae fore ut si rex se conferat ad principes regis Chaldaeorum, Chaldaei Jerusalem non succendant neque regem tradant ad illudendum Judaeis transfugis. Sedecias autem non exivit ad principes regis Chaldaeorum.

Non raro ut argumentum datur etiam hic versus: « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius » *Sap.* IV, 11: multi dicunt hoc loco edici Deum praematura morte quosdam justos ex hac vita eripere, quia de eis certo praevidit futurum fuisse ut, si diutius vixissent, in peccata gravia laberentur. Attamen haec interpretatio non est certa: alii censent scriptorem sacrum hic non de praescientia divina loqui, sed de eis quae communiter contingunt illumque docere mortem saepe esse medium quo homo liberetur a committendis peccatis quae posset committere si ditutius viveret (2).

368. B) ex Traditione,

B. Ex Traditione (3).

1. *a)* Aliqui Patres sese cognitionem futuribilium in Deo admittere demonstrant, dum asseverant idcirco Deum, peculiari usum benignitate erga justos quosdam, alios eorum praematura morte ex hac vita subducere, alios vero opprimi sinere calamitatibus, quia praeviderat eos, si diutius vixissent aut prospera fortuna usi fuissent, in gravia peccata lapsuros fuisse.

S. Greg. Nys.,

In primis citandus est Gregorius Nyssenus, *De infantibus qui praemature abripiuntur*, P. G., t. 46, col. 184 s: « Divinae est providentiae, ejusque perfectae, non solum contractos sanare morbos, sed etiam ne omnino quispiam in illicitis versetur prospicere. Est enim consentaneum, *ab illo qui peraeque futurum novit ac praeteritum*, prohiberi parvuli progressionem ad perfectam aetatem, *ne malum illud, quod praesciens illa vis et facultas cognoverit, in eo qui victurus esset ita, perficiatur*, atque ei qui ea voluntate arbitrioque victurus fuisset, materia nequitiae vita fiat. »

Deinde, usus similitudine sumpta a magistro convivii qui eos quos praevidet crapula et ebrietate laedendos esse, a convivio arcet, sic demum colligit: « Hoc ipsum est quod dico, *perfectae providentiae opus esse* ut non solum conflatae jam affectiones curentur, sed etiam, antequam sint conflatae, prohibeantur. Quod et nos de infantium morte opinati sumus, nempe illum qui ratione omnia gubernat, pro sua benignitate materiam improbitati subtrahere, *dum ei voluntatis electioni quam praesciente omnia vi sua cognovit*, tempus non tribuit ut per opera revera exercita in summa illa improbitate appareat. »

---

(1) De aliis quibusdam assertis, in quibus occurrit vocabulum *forsitan* et quae etiam objiciebantur, cf. Pesch, o. c., n. 214.

(2) Cf. Cornely-Zorell, *Comment. in librum Sapientiae*, p. 159; Beelen, *Boek der Wijsheid*, in eumd. loc.

(3) Cf. Pesch, *o. c.*, n. 211; De San, *De Deo uno*, n. 185 ss.

Similia sunt quae perhibet Chrysostomus, *Ad Stagirum*, L. I, n. 9. « Quid ergo de illis dices, inquis, qui antequam ad eam pervenerint aetatem in qua bona discernere possint a malis, tamquam magna scelera commiserint, suppliciis afficiuntur? » Respondet haec mala posse provenire ex causis naturaliter agentibus, v. gr., ex parentum intemperantia, ex intemperie aëris, sed deinde adjungit: « Praeterea cum plurimos illorum futuros nequam praesciverit Deus, eos veluti compedibus quibusdam hujusmodi supplicio coërcet ». Hîc asseritur futuribilium cognitio in Deo. *S. Joan. Chrys.,*

Eadem doctrina occurrit apud Cyrillum Alexandrinum *Adv. Julianum*, L. III, ubi approbat dictum illud Porphyrii in libro I ad Nemertium: « *Deus qui futura novit*, alios propter pietatem adhuc juvenes e vita praeripit, alios ob detrimenta quae per illos erant necessariis suis importanda, alios item ob ingentes quae futurae erant calamitates, ante subtrahit. » *S. Cyr. Alex.,*

S. Gregorius M. *Moralia*, L. XXXIII, c. 19, n. 35, docet providentiae divinae alta dispositione fieri ut saepe justi flagellis premantur, quia secus peccarent: « Alta dispensatio judiciorum Dei idcirco saepe bene merentes famulos vel minis impetit vel flagellis premit, vel quibusdam superimpositis oneribus gravat, vel laboriosis occupationibus implicat: quia mira potentia praevidet, quod si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent ». *S. Greg. M.,*

b) S. Augustinus Dei cognitionem futuribilium asserit in eo quod docet Tyrios et Sidonios acturos fuisse poenitentiam si apud eos factae fuissent virtutes quae alibi factae sunt. *De dono perseverantiae*, c. IX, n. 23; cf. c. XI, n. 25, P. L., t. 45, col. 1005 ss. *S. Aug.,*

Praeterea docet S. Augustinus Deum potuisse impedire ne homines quidam caderent in peccata in quae casuros illos esse praesciebat, v. gr., morte auferendo illos ex hac vita: agnoscit igitur Augustinus in Deo esse cognitionem contingentium, nempe actuum liberorum, ut dependentium ab aliqua conditione, quam impedire poterat Deus; agnoscit igitur in Deo cognitionem determinatam contingentium antecedenter ad decretum permittendi illa peccata et sic pro statu mere conditionato.

« Respondeant si possunt cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de hujus vitae periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum et ne fictio deciperet animas eorum. *Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit?* Nempe nihil horum, nisi perversissime atque insanissime dicitur. *Cur ergo non fecit?* Respondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus: Quam inscrutabilia sunt judicia et investigabiles viae ejus! » *De correptione et gratia*, c. VIII, n. 19, P. L., t. 44, col. 927.

Nec valet objectio qua dicitur Augustinus, impugnando semipelagianos, negavisse in Deo cognitionem futuribilium. Non meram cognitionem futuribilium rejicit Augustinus, sed sententiam illorum qui tenebant actiones bonas vel malas, a Deo sub conditione futuras cognitas, habere rationem *meriti* vel *demeriti*, propter quam Deus alios ad salutem aeternam absolute destinaverit, alios non: v. gr. ideo moritur hic infans, absque baptismo, quia punitur propter peccata quae praecognovit Deus ab hoc infante fore commissa si ad usum rationis pervenisset: hanc sententiam rejicit Augustinus.

c) S. Basilius, *Constitutiones monasticae*, c. I, n. 7, P. G., t. 31, col. 1337, docet Deum saepe non statim concedere id quod postulat homo, quia intellexit non profuturum esse homini donum si illico daretur. *S. Bas.,*

2. Scholastici etiam qui ante Molinam scripserunt unanimiter, ut videtur, admiserunt in Deo certam cognitionem futuribilium (1).

369. ex persuasione fidelium,

3. Hoc confirmatur communi fidelium persuasione, secundum quam petunt a Deo ne permittat talem vel talem actionem, quam praeviderit ipsis futuram esse nocivam, vel petunt bona *sub conditione,* nempe dummodo id, quod desiderant, futurum sit salutare ipsis.

Talem modum orandi servandum esse docet *Catechismus Concilii Tridentini,* P. V, *de oratione,* n. 16: « Ingenii autem bona et ornamenta, cujus generis sunt artes, atque doctrinae, petere etiam licet, sed ea tantum conditione, si nobis ad Dei gloriam et ad salutem profutura sunt. » Antea, n. 5, exposuerat idem Catechismus interdum fieri ut non impetremus quae a Deo petimus, quia cognoscit Deus illa nobis non futura esse proficua. Quapropter Ecclesia ipsa praecipuam conditionem omnis perfectae deprecationis inculcat nobis, quum Deum sic supplex exorat: « Pateant aures misericordiae tuae, Domine, precibus supplicantium: et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quae tibi sunt placita, postulare ». *Orat. Dom. IX post Pentec.*

370. C) ex ratione, nempe ex providentia.

C. Ex Ratione.

Si in Deo datur perfecta providentia, praerequiritur in Deo certa cognitio omnium futuribilium; atqui est in Deo perfecta providentia; ergo est in Deo certa cognitio omnium futuribilium.

Antecedens declaratur. Providentia est ratio perductionis rerum in finem, existens in mente divina (2). « Sed haec ratio ordinis rerum in finem praerequirit certam futuribilium cognitionem: quandoquidem impossibile est Deum eligere hanc rerum dispositionem prae alia possibili, nisi certissime praesciat exitum seu eventum uniuscujusque hypothesis, quae se offert ut decernibilis; alias, sub quadam alea et quodam periculo sortis erunt dispositiones aeternae Providentiae, quod omnino absurdum est. Oportet igitur ut prius ratione quam ordo aliquis transeat in absolutum, accedente decreto divinae voluntatis, eventus ejus ut conditionate futurus infallibiliter a Deo cognoscatur; ac per consequens, oportet vel maxime ut sit in eo scientia liberorum futuribilium; cum per agentia libera potissimum debeat attingi finis totius universi » (3).

Minor patet: nisi perfecta esset in Deo providentia, non infinite perfectus esset Deus secundum intellectum et voluntatem.

Caeteroquin de providentia ex professo agemus infrà.

371. **Corollaria.**

In praecedentibus propositionibus enumeravimus objecta materialia ad quae sese necessario extendit divina cognitio; sunt nempe: essentia divina, quae est objectum materiale *primarium;* deinde objectum materiale *secundarium* quod complectitur: *a)* omnia quandocumque existentia, *b)* omnia

(1) Cf. De San, *o. c.*, n. 186 ss.
(2) « Ratio ordinandorum in finem proprie providentia est ». S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. XXII, a. 1.
(3) Card. Billot, *De Deo,* thes. XXII, § 1.

possibilia, *c)* futuribilia seu contingentia hypothetice futura; ad unam ex illis categoriis reducuntur omnia cognoscibilia. Remanet nobis aliquid dicendum de quibusdam circa quae possit oriri difficultas quantum ad illorum cognoscibilitatem: sunt nempe *mala, infinita, enuntiabilia.*

Deus cognoscit mala,

1um Corollarium. *Deus cognoscit mala.*

Malum, sive physicum sive morale, est privatio boni, h. e., carentia perfectionis *debitae* in aliquo subjecto: quapropter, quum Deus perfecte cognoscat omnia subjecta, omnesque illorum modos essendi, necnon omnia quae illis accidere possunt, ex cognitione subjectorum bonorum cognoscit Deus etiam mala illorum (1).

372. *infinita,*

2um Corollarium. *Deus cognoscit infinita* (2).

Quum Deus sit infinitus in perfectione, infiniti sunt modi quibus est imitabilis; porro quum Deus essentiam suam comprehendat (cf. suprà, n. 350) cognoscit omnes modos quibus est participabilis, ergo cognoscit *infinita possibilia.* Praeterea quum essentia divina, per quam intellectus divinus intelligit, sit similitudo omnium (quae sunt vel esse possunt) non solum quantum ad principia communia, sed etiam quantum ad principia uniuscujusque propria (cf. suprà, n. 356, ubi demonstravimus Deum cognoscere *singularia*), ideo Deus infinita cognoscit *distincte.*

Non solum infinita possibilia distincte cognoscit Deus, sed etiam *multitudinem existentium infinitam in potentia:* Deus enim scit cogitationes et affectiones cordium, quae in infinitum multiplicabuntur, creaturis rationalibus permanentibus absque fine.

Nota. 1. Deus non cognoscit infinitum vel infinita quasi enumerando partem post partem: sic enim nunquam perveniret ad omnium cognitionem quia infinitum non est pertransire; sed cognoscit omnia simul et uno intuitu per unam simplicissimam speciem, quae est sua essentia (3).

2. Ex hoc quod diximus Deum cognoscere infinita, quidam concludunt possibilem esse *multitudinem* entium existentium *actu infinitam:* haec conclusio, ut videtur, non est legitima (Cf. suprà, n. 70).

Nam *a)* ex hoc quod Deus cognoscat omnia possibilia, quae sunt infinita, et ex hoc quod sit infinite potens; non sequitur posse existere actu omnia possibilia: imo hoc repugnat.

b) S. Thomas, licet in prioribus operibus admiserit non posse demonstrari repugnantiam multitudinis actu infinitae, tamen in *Summa theol.,* I, Q. VII, a. 4, explicite dicit: *impossibile est esse multitudinem actu infinitam;* idemque repetit postea, Q. XLVI, a. 2, ad 8 (4). Ergo S. Thomas, qui in eadem parte *Summae* demonstrat Deum cognoscere infinita, non admittit inde sequi possibilitatem multitudinis *actu* infinitae.

c) S. Thomas admittit possibilitatem multitudinis infinitae *in potentia:* hujus exemplum est in multitudine cogitationum et affectionum creaturarum rationalium, quae permanebunt absque fine: dari nempe potest multitudo quae, *habens initium,* tunc *successive* augetur *in infinitum absque fine:* haec est multitudo infinita *in potentia.*

373. *enuntiabilia, sed non per modum enuntiabilium.*

3um Corollarium. *Deus cognoscit enuntiabilia.*

Enuntiabilia sunt judicia quae verbis exprimi possunt (5).

Cum formare enuntiabilia sit in potestate intellectus nostri, Deus autem sciat quidquid est in potentia sua, vel creaturae, necesse est quod Deus sciat omnia enuntiabilia, nempe quantum ad id quod enuntiari potest. Sed, sicut cognoscit materialia immaterialiter, et composita simpliciter; ita scit enuntiabilia, non per

(1) Ita, quoad substantiam argumenti, S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 10.
(2) S. THOMAS, *ibid.,* a. 12.
(3) S. THOMAS, *ibid,* ad 1; *De Veritate,* Q. II, a. 9.
(4) Cf. etiam *Quodl.* IX, a. 1.
(5) Enuntiatio idem est ac propositio. Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 42 s.

modum enuntiabilium, quasi scilicet in intellectu divino sit compositio vel divisio enuntiabilium (1); sed unumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam, intelligendo omne quod unumquodque est vel non est. Comprehendendo suam essentiam Deus in hac cognoscit omnes essentias et omnia quae iis accidunt vel accidere possunt (2).

373bis. Contra id quod diximus n. 69 de impossibilitate multitudinis actu infinitae entium creatorum seu finitorum, proponitur objectio ex objecto divinae cognitionis; Deus cognoscit omnia simul et uno intuitu omnes actus creaturarum eliciendos in sempiternum; ergo Deus intuetur multitudinem actu infinitam.

R. Conc. antec. — Dist. conseq. Deus intuetur unico actu multitudinem *infinitam in potentia, conc;* Deus intuetur unico actu multitudinem *actu infinitam,* nego.

Etenim Deus comprehendendo suam essentiam, in hac intuetur unico actu etiam omnes actiones quas eliciunt creaturae rationales a primo instanti existentiae et per totam aeternitatem. Sed a parte rei, nempe quatenus realis seu existens, multitudo est infinita *in potentia* tantum. Nam consistit in serie actuum qui successive eliciuntur absque fine: inde habetur multitudo continuo crescens absque limite. Hujus realis multitudinis *infinitae in potentia* habet Deus cognitionem unico actu. Igitur ex hoc quod Deus unico actu cognoscit infinita, non sequitur posse existere entium multitudinem actu infinitam. Cf. supra, n° 372, S. THOMAS, *De veritate,* Q. II, a. 9 ad 2, *Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 69.

§ II.

De divisione scientiae divinae.

374. Quum scientia Dei constet unico et simplicissimo actu, nulla potest inesse ei distinctio ex parte cognoscentis, sed quum diversae sint classes objectorum illius scientiae, ideo haec admittit divisionem *ex parte objecti* et secundum hoc diversis nominibus designatur divina scientia. Divisiones sunt sequentes:

Dei scientia dividitur: 1° in scientiam simplicis intelligentiae, visionis, mediam;

1° Scientia *simplicis intelligentiae, visionis, media.*

a) *Simplicis intelligentiae,* dicitur divina cognitio, quatenus terminatur ad *possibilia,* nempe ad omnia quae sunt in potentia Dei vel creaturae, et tamen non sunt nec erunt nec fuerunt.

b) *Visionis* dicitur divina cognitio, quatenus terminatur ad omnia quae sunt vel fuerunt vel erunt, nempe ad omnia quae quandocumque existentiam habent. Dicitur *visionis* illa cognitio, per comparationem ad actum nostrum videndi, quo res praesentes intuemur: omnia enim quandocumque existentia Deus intuetur ut *praesentia.*

Haec divisio, ut patet, est *adaequata:* nam omne est vel possibile, vel quandocumque existens. Attamen inter possibilia fieri potest aliqua divisio: sunt enim ea quae a nobis considerantur ut *producibilia,* quae tamen nunquam producentur: haec sunt *mere possibilia:* v. gr. Deus potuisset producere homines alios ab illis qui quandocumque existunt; sunt etiam ea quae *determinate* procederent a sua causa, si haec in talibus adjunctis poneretur:

(1) *Compositio* est in propositione affirmativa, quia in illa jungitur seu ponitur subjectum, cum praedicato, e contrario, in propositione negativa est *divisio.*

(2) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 14.

v. gr. si hic homo tali die incideret in talem tentationem, resisteret illi: haec non sunt mere possibilia, sed sunt contingentia *hypothetice futura.*

c) *Media* proinde dicitur divina cognitio quatenus terminatur ad contingentia *hypothetice futura:* illa cognitio, ratione objecti, mediat inter scientiam simplicis intelligentiae et scientiam visionis (1).

Si agitur de illa divisione ratione objecti et si fit abstractio de omni ulteriori explicatione circa medium in quo Deus cognoscit futuribilia, non potest dari argumentum validum quo haec scientia media rejiciatur; eo vel magis quod adversarii scientiae mediae non conveniunt inter se circa solvendam quaestionem utrum futuribilia sint objectum scientiae *simplicis intelligentiae* an scientiae *visionis* (2).

375. Inde Kleutgen, *De Deo,* n. 494, rite dicit: « Contingit saepenumero ut inter duo extrema inveniatur medium, quod utriusque extremi aliquid participat, atque ideo cum fit divisio, nunc quidem ad alterutrum extremorum reducitur, nunc autem ut tertium divisionis membrum ab extremis distinguitur proprioque appellatur nomine. Sic universa creata in corporea et incorporea dividimus, inter quae tamen medius constitutus est homo. Jam vero universa, quae cognosci possunt, dividuntur in ea, quae actu sunt, et ea, quae actu non sunt, esse tamen possunt. Inter haec autem velut in medio posita sunt sub conditione futura. Actu enim non sunt; hoc commune iis est cum mere possibilibus; actu tamen essent, si conditio aliqua impleretur, quod de mere possibilibus dici non potest. Nec possibilia nec hypothetice futura in se ipsis sed tantum in causis suis sunt; at hypothetice futura ita sunt in causis, ut posita conditione, certissime inciperent extra causas in se ipsis esse, haud secus atque ea, quae actu sunt vel erunt. Quum igitur divisio illa divinae scientiae in simplicem intelligentiam et visionem secundum diversitatem objecti fiat; scientia qua Deus hypothetice futura cognoscit, ad alterutram referri potest, quia utriusque objecti aliquid participat; sed cum accuratior distinctio quaeritur, recte etiam ab utraque ut tertia discernitur. — Sic Concilium Lateranense IV (3), cum universa creata, secundum morem veterum symbolorum, in duo illa genera visibilium et invisibilium dispertiisset; mox explicatius de creatione loquens tria distinxit genera: naturam spiritualem et corporalem atque humanam ex utraque compositam » (4).

376. *2° in scientiam necessariam et liberam;*

2° Dei scientia distinguitur in *necessariam* et *liberam: necessaria* dicitur quatenus terminatur ad objecta cognoscenda, independenter et antecedenter ad omne decretum liberum voluntatis divinae; *libera* dicitur quatenus terminatur ad objecta cognoscenda dependenter et consequenter ad decretum liberum voluntatis divinae.

---

(1) Denominatio *scientiae mediae,* tamquam membrum divisionis scientiae Dei, non quidem inventa fuit a Molina, sed ab ipso divulgata et propugnata in opere *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis,* quod typis mandatum fuit an. 1588 et editum an. 1589. Cf. SCHNEEMAN, *Controversiarum... initia,* p. 171.

Molina, *o. c.,* disp. LII, p. 317, triplicem in Deo scientiam distinguit : *mere naturalem, omnino liberam* et *mediam.* Haec media scientia, ratione objecti, est etiam media inter scientiam simplicis intelligentiae et scientiam visionis.

(2) BILLUART, *De Deo,* diss. VI, a. 5, ad obj. 3, p. 187, dicit Thomistas in hoc puncto esse divisos et adjungit : « Ex his duabus sententiis elige quam malueris, est quaestio de nomine; sive enim dixeris esse simplicis intelligentiae, sive visionis, perinde est, modo non dixeris independentem a decreto Dei actuali, qualem mediam fingunt Molinistae ». Si futuribilia constituunt aliquod objectum quod secundum unam considerationem reduci potest ad objectum simplicis intelligentiae et, secundum alium, ad objectum visionis, possunt etiam considerari seorsim et dici potest *media* scientia divina, quatenus praecise terminatur ad futuribilia. Ex dictis a Billuart patet controversiam versari circa *medium* in quo Deus cognoscit futuribilia.

(3) *Enchir.,* n. 428.

(4) Cf. card. BILLOT, De Deo, thes. XXII, scholion, p. 210.

Secundum hanc explicationem, omnia possibilia, etiam futuribilia, sunt objectum scientiae necessariae; omnia autem finita quandocumque existentia, sunt objectum scientiae liberae: quia haec, ut *existentia,* dependent a Dei libero decreto, et, in hoc decreto, cognoscuntur tamquam *existentia.*

377. Non omnes auctores praedictam explicationem tradunt: quidam distinctionem desumunt ex parte necessitatis *in existendo,* quae in *objectis* cognitis habetur (1), non vero ex parte necessitatis *cognitionis,* seu cognitionis quatenus est vel non est dependens a libero decreto voluntatis divinae. Secundum unam vel alteram explicationem, etiam hîc locum habet scientia *media,* ut exponit card. Billot (2): « Item si per scientiam *necessariam* seu naturalem, audias scientiam quae in Deo intelligitur antecedere libera decreta divinae voluntatis, sic rursus divisio in scientiam *necessariam* et scientiam *liberam* est prorsus adaequata; nam futuribilia cadunt sub scientia necessaria, sicut in modo loquendi veterum cadunt sub scientia simplicis intelligentiae. Verum, si scientiam necessariam definias eam quae versatur circa objectum necessarium, scientiam vero liberam dicas eam esse quae consequitur liberas determinationes divinae voluntatis: sic iterum scientia futuribilium mediat inter unam et alteram, quia antecedit libera Dei decreta et nihilominus est de objecto non necessario, sed contingenti. Et hoc pacto, bene conciliari potest modus dicendi veterum cum illo recentiorum, quin aliunde oporteat nos esse de nominibus multo sollicitos ».

378. *3° in speculativam et practicam;*

3° Dei scientia *speculativa* et *practica: speculativa* est quatenus habet, tamquam objectum, rem ut mere cognoscendam, non ut operabilem; *practica* vero, quatenus terminatur ad rem ut operabilem (3).

De semetipso Deus habet scientiam tantum *speculativam,* quia ipse nullo modo est operabilis. De omnibus aliis habet Deus cognitionem et *speculativam* et *practicam:* speculativam, quantum ad *modum* quo cognoscuntur: « quidquid enim in rebus nos speculative cognoscimus definiendo et dividendo, hoc totum Deus multo perfectius cognoscit » (4); practicam vel ratione *objecti* tantum, si agitur de rebus *operabilibus,* quae tamen nunquam existunt; vel ratione *et objecti et finis* si agitur de rebus quae quandocumque existunt: unde in Deo scientia *visionis* est cognitio *simpliciter practica.*

379. Bene notemus circa scientiam speculativam et practicam ea quae docet S. Thomas :

« Aliqua scientia est speculativa tantum, aliqua practica tantum, aliqua vero secundum aliquid speculativa et secundum aliquid practica. Ad cujus evidentiam sciendum est quod aliqua scientia potest dici speculativa tripliciter.

Primo, ex parte *rerum scitarum,* quae non sunt operabiles a sciente: sicut est scientia hominis de rebus naturalibus vel divinis. Secundo, quantum ad *modum sciendi:* ut puta si aedificator consideret domum definiendo vel dividendo et considerando universalia praedicata ipsius. Hoc siquidem est operabilia modo speculativo considerare, et non secundum quod operabilia sunt: operabile enim est aliquid per applicationem formae ad materiam, non per resolutionem compositi in principia universalia formalia. Tertio, quantum ad *finem:* nam intellectus practicus differt fine a speculativo... Intellectus enim practicus ordinatur ad finem operationis: finis autem intellectus speculativi est consideratio veritatis. Unde si quis aedificator consideret qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem

(1) Ita LAMBRECHT, *De Deo uno et Trino,* Gandavi, 1891, p. 175.
(2) *De Deo,* p. 212.
(3) Cf. suprà, n. 8.
(4) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a, 16.

operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit quantum ad finem, speculativa consideratio tamen de re operabili.

Scientia igitur quae est speculativa ratione ipsius rei scitae, est speculativa tantum. Quae vero speculativa est vel secundum modum vel secundum finem, est secundum quid speculativa et secundum quid practica. Cum vero ordinatur ad finem operationis est simpliciter practica » (1).

In Deo, cognitio quatenus praelucet voluntati divinae decernenti res, in qualibet temporis differentia, absolute futuras, est scientia simpliciter practica. Haec etiam dici potest practica in *actu secundo,* uti dicit Van Noort (2); practica in *actu primo* dicitur cognitio Dei de rebus ab ipso operabilibus, tamquam possibilibus. — De *malis* habet Deus cognitionem aliqualiter practicam: mala non quidem operabilia sunt a Deo, quum sint privatio boni: adeoque mala et falsa non habent causam *efficientem,* sed *deficientem,* ut loquitur S. Bonaventura (3); sed quatenus mala sunt objectum scientiae practicae in Deo (4).

380. 4° in scientiam approbationis et improbationis.

4° Scientia Dei est vel *approbationis* vel *improbationis. Approbationis* dicitur scientia quatenus respicit objecta quae placent Deo, quae per se et simpliciter vult Deus; *improbationis,* quatenus respicit illa quae Deo displicent, quae per accidens vult vel tantum permittit, nempe mala.

Scientia statim descripta est circa *existentia.* Inde dicit S. Thomas: « scientia Dei secundum quod est causa rerum consuevit nominari scientia *approbationis* » (5).

Differt 1° a scientia *visionis* (cf. suprà, n. 373), quia haec respicit etiam mala; 2° a scientia *practica,* quia haec etiam aliqua saltem ratione, respicit mala (6).

Articulus IIIus. De modo et de medio quo Deus cognoscit res.

§ I.

De modo cognitionis divinae.

381. Status quaestionis.

Ut aliquid determinare valeamus circa modum quo Deus cognoscit, oportet ut consideremus cognitionem intellectivam, quae naturaliter contingit apud creaturas: haec enim operatio est similis intellectioni divinae, sicut et natura immaterialis creata est similis essentiae divinae: oportet autem ab intellectione creata removere quidquid in ipsa est imperfectum, ut possimus cognoscere quo modo cognoscat Deus.

Jamvero omnis intellectio creaturae dependet, aliquo saltem modo, *ab extrinseco:* dependet enim, apud homines, a speciebus abstractis a rebus materialibus; dependet, apud angelos, a speciebus a Deo infusis; in Deo autem cognitio est omnino independens a quolibet extrinseco, imo est ipsa *causa rerum;* — licet in Deo non sint species ab extrinseco procedentes,

(1) S. Thomas, *ibid.,* cf. Cf. De Jaecher, *o. c.,* n. 184.
(2) *De Deo,* n. 85.
(3) *In II Sent.,* dist. I, P. II, a. 1, q. I, ad 2, *Opera,* t. II, p. 40.
(4) Cf. S. Thomas, l. c.
(5) *Ibid.,* a. 8.
(6) Ita Remer, *o. c.,* t. II, p. 402.

sunt tamen *ideae* omnium; — tandem omne, quod ad divinum actum intelligendi pertinet, est realiter *unum et idem* in Deo. Inde circa modum quo Deus intelligit, tres erunt propositiones.

382. Divina cognitio est prorsus independens,

PROPOSITIO PRIMA. **Divina cognitio est prorsus independens a quolibet influxu extrinseco; imo est ipsa causa omnium rerum, adjuncta tamen voluntate.**

Demonstratio 1ae partis. Quum Deus sit infinitus in omni perfectione, nominatim in perfectione intelligendi (cf. suprà, n. 202, 340), quumque sit prorsus immutabilis (cf. suprà, n. 234), oportet ut semetipso solo et ab aeterno possideat plene omnem suam cognitionem, proinde ut eam possideat antecedenter ad omnem rem a se distinctam et independenter ab omni re: si enim aliqua res suî cognitionem quocumque modo causaret in Deo, Deus esset mutabilis et finitus, nec jam esset simpliciter prima causa incausata.

383. est causa rerum, prout adjunctam habet voluntatem.

Demonstratio 2ae partis. Quum Deus solus sit ens omnino necessarium (cf. suprà, n. 71, 256 s.), ipse debet esse causa efficiens omnium quae existunt.

Praeterea tenendum est, cum S. Thoma, quod ipsa scientia Dei est *causa rerum* (1); hoc autem non est intelligendum eo sensu quo diceretur: quum ipsa cognitio divina sit realiter idem ac essentia, voluntas et potentia Dei, eo ipso quod Deus est causa rerum, ideo et scientia Dei est causa rerum. Sed *specialis* quaedam *causalitas* competit *scientiae* divinae, formaliter consideratae.

Etenim Deus, non vi naturae et physica necessitate, producit res *ad extra,* sed secundum intellectum et liberam voluntatis electionem, proinde praerequiritur in Deo *notio,* seu *ratio intellecta* rei producendae, secundum quam notionem Deus efficit rem: inde « scientia Dei se habet ad omnes res creatas sicut scientia artificis se habet ad artificiata » (2).

Sed forma intelligibilis sola, secundum quod est tantum in intelligente, non est actu causa efficiens rei cognitae: multarum enim rerum, quas non operatur, potest artifex habere notionem in mente sua. Ut quaedam res actu producatur, requiritur, praeter notionem ejusdem in mente, inclinatio ad efficiendam eam, quae inclinatio est in voluntate: ideoque eatenus scientia Dei est causa rerum quatenus *vult* Deus *has cognitas res existere:* quod exprimitur his verbis: « scientia Dei est causa rerum secundum quod habet voluntatem conjunctam » (3).

384. Ulterior explicatio de modo illius causalitatis.

Ulterior explicatio.

« Scientia potest dici causare res dupliciter, videlicet :

1° *directive,* inquantum cognitio operis construendi dirigit *vires operativas* praescribendo modum quem tenere debent ad hoc ut bene construant opus. Ita, ex. gr.,

(1) *Sum. theol.*, I, Q. XIV, a. 8.
(2) S. THOMAS, *ibid.*
(3) ID., *ibid.*

idea domus, existens in mente aedificatoris, praescribit architecto proportiones singularum partium domus construendae, et sic dirigit ipsum in erigenda domo.

2° *effective,* prouti eadem cognitio influit suo modo in physica productione effectus, applicando, mediante imperio [voluntatis], vires operativas ad operis constructionem. Enimvero ex idea praeconcepta domus architectus non solum assumit proportiones domus construendae, sed etiam *movetur ad imperandum* executionem illarum proportionum in materia, ut inde emergat recta domus constructio » (1).

Uti ex dictis constat, scientia Dei est utroque modo causa rerum.

Corollaria.

385. Quo sensu scientia Dei est causa rerum tum in actu primo, tum in actu secundo.

1um. *Scientia Dei, prouti est* SIMPLICIS INTELLIGENTIAE *est rerum causa* IN ACTU PRIMO; *prouti autem adjunctam habet voluntatem est causa rerum* IN ACTU SECUNDO, et sic est scientia VISIONIS.

Etenim « scientia Dei causat res *quo modo* scientia artificis causat artificiata. At scientia artificis, prouti concipit varios modos opera conficiendi, est causa illorum in *actu primo;* dum eadem scientia, prout habet adnexam *voluntatem* applicantem conceptionem ad opus exstruendum, est causa operum in *actu secundo.* Ergo a pari scientia Dei, si consideratur quatenus respicit omnia *pure factibilia* est causa eorum in *actu primo;* prouti vero respicit illa factibilia *quae Deus vult fieri* in aliqua temporis differentia est causa *in actu secundo* ut haec factibilia fiant » (2).

386. Quà rerum causa est, differt scientia divina a nostra.

Nota. « Vide ingens discrimen inter scientiam divinam et nostram: scientia nostra solummodo causa est artificiatorum, quae producimus, eaque effectio in sola quadam externa rerum dispositione consistit, nec physicam rei naturam, sive substantiam vel accidens intrinsecum attingit, atque ipsum exemplar humanus artifex aut totum simul aut per partes ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit; praeter illa artificiata, non est cujusvis rei causa nostra scientia, contra, causatur ab ipsis. Divina vero scientia causaliter attingit ipsam rerum naturam, nec solum accidens, sed et substantiam, nec aliunde haurit quidquam nec ab ulla re causatur, sed omnia in se et per se ipsam habet unde sit rerum extra se causa » (3).

337. Ideo res existunt, quia illas praescivit Deus.

2um. **Corollarium.** *Quo sensu dicitur scientiam Dei esse causam rerum, eo sensu etiam dicendum est: ideo res existunt vel futurae sunt quia illas praescivit Deus; attamen quodam vero sensu dici etiam potest: ideo Deus praescivit aliquid, quia hoc futurum est.*

Declaratur 1ª pars. Si scientia Dei est, sensu explicato, causa efficiens rerum, sequitur illam esse primam causam efficientem rerum: quapropter nihil existit nisi dependenter a praecognitione divina et a voluntate conjuncta; adeoque illa dependentia afficit omnia et singula entia, necnon omne quod ad esse positivum cujuslibet pertinet; ergo recte dicitur: *ideo* sunt res, *quia* a Deo *praecognoscuntur* et ab ipso sunt volitae.

(1) BUONPENSIERE, *Comment. in I P. Sum. theol,* n. 860. cf. WIGGERS, in I P. Q. XIV, a. 8, n. 31 s., cit. ap. ILLmum AC REVmum WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. IV, p. 441.
(2) BUONPENSIERE, *o. c.,* n. 864.
(3) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.,* p. 442.

388. *Quodam sensu dici potest: ideo Deus praecognoscit res quia futurae sunt.*

Declaratur 2ª pars. Licet scientia Dei, cum adjuncta voluntate, sit causa efficiens rerum tamen non omnia sunt *aequaliter* causata a scientia divina: *primo,* quia quaedam sunt *privationes* entis, nempe *mala; secundo,* quia quaedam sunt contingentia seu *libera.*

a) « Scientia Dei, ait S. Thomas (1), comparatur ad res creatas sicut ars ad artificiata; unde sicut ars non solum est cognoscitiva, sed factiva eorum quae secundum artem fiunt, eorum vera quae ab artis regulis deviant, est cognoscitiva; ita enim scientia Dei est factiva et cognoscitiva omnium bonorum; malorum vero, sive peccatorum, quae sunt deviationes quaedam ab aeterna lege ipsius, scientia Dei est cognoscitiva, non autem causativa ». Ergo peccatorum, formaliter ut sic, scientia Dei non est causa: quapropter nequit, absque restrictione dici: *ideo* sunt *peccata, quia* a Deo praecognoscuntur. Et sane: eatenus scientia Dei est causa rerum quatenus adjunctam habet voluntatem; sed Deus non vult peccata; ergo non potest scientia Dei esse efficiens causa peccatorum, ergo nec ideo sunt peccata quia praecognoscuntur (2).

Etiam mala physica, quae sunt privationes boni, non habent per se, seu ratione suî, causam efficientem (cf. suprà, n. 380): etiam Deus non vult mala physica *per se,* sed *per accidens* tantum, ut infrà dicetur: ergo iterum non eodem sensu, quo de bonis, dici potest de malis: ideo sunt quia praecognoscuntur.

b) In creaturis intellectu praeditis, dantur *electiones,* nempe actiones liberae, libertate physica seu indifferentiae: jamvero illarum actionum agens est vere *dominus* utpote determinans semetipsum ad unum prae alio: quapropter ea actio non potest a Deo cognosci et proinde causari eodem modo quo cognoscuntur et causantur actiones necessariae, nempe in suis causis proximis physice determinatae et proinde ab illis physica necessitate elicitae.

Quapropter considerantes quaedam existentia non eodem modo ac alia dependere a causalitate divina, quidam Patres dixerunt: non ideo res sunt quia praecognoscuntur a Deo, sed, e converso, ideo a Deo praecognoscuntur quia futurae sunt.

389. *Ulterior explicatio.*

Inde, cum card. Billot (3), *duae* distinguuntur *propositiones,* quae singillatim quoad sensum et veritatem perpendi possunt:

1ª. *Ideo aliquid praescitur a Deo, quia futurum est.*

Hoc dictum dupliciter exponi potest in vero sensu: *a)* secundum causam *consequentiae* in ordine logico, non secundum causam essendi: nam si aliqua sunt futura, *sequitur* quod Deus ea praesciverit (4). Non autem potest cogitari quod res sint causae scientiae Dei, quasi divina scientia a rebus extrinsecis in suo esse dependeret (cf. suprà, n. 383).

b) Insuper sensus esse potest nullam necessitatem imponi causis liberis ex parte divinae praescientiae, sed omnia potius contingere *non secus ac si* praescientia quam habet Deus de actibus nostris esset ab ipsis actibus accepta (5).

---

(1) *Quodl. V,* a. 2.

(2) Quod ut melius intelligas, distinguendum est in peccato id quod est *esse naturae* et id quod est *esse moris.* Cf. *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 334; card. BILLOT, *De Deo,* Thes. XXIII, p. 236.

(3) *O. c., l. c.* p. 234.

(4) Ita S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q., XIV, a. 8 ad 2.

(5) Cf. S. THOMAS, *De veritate,* Q, II, a. 14 ad 1.

2ª *Dei praescientia non est causa cur omnino fiat id quod futurum est.*

« Haec propositio vel intelligitur de praescientia Dei praecisive a voluntate, et hoc modo est simpliciter concedenda [cf. suprà, n. 384]... vel intelligitur de praescientia prout ei adjungitur voluntas, et hoc modo, adhuc opus est distinguere inter *operativam* voluntatem et voluntatem *mere permissivam.*

Si Dei praescientiam consideres, cui voluntas operativa conjungitur, sic est equidem causa cur *fiat,* non tamen cur semper *necessario fiat,* id quod futurum est. Scientia enim illa omnibus et singulis imponit modum, quem habent in propriis rationibus praescitis; unde dictum est in superioribus, quod divinae voluntatis decretum transfert actus liberos in ordinem existentium, secundum ipsissimam rationem contingentiae et libertatis quae fuit in scientia conditionalium praevisa...

At vero si Dei praescientia consideretur, prout conjunctam habet voluntatem mere permissivam, sic non amplius est scientia dicta *approbationis,* sed magis scientia *improbationis,* quae nullo modo comparatur ad rem scitam, ut ejus causa » (1).

390.

Ex dictis luculenter apparet falsam dici non posse hanc propositionem: quia res futurae sunt, ideo cognoscuntur a Deo (2). Plures Patres, agentes de actis liberis, praesertim de peccatis, docent, sicut S. Hieronymus, *In Jeremiam,* XXV, 3, P. L., t. 24, col. 844: «Non ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit, quasi praescius futurorum ». Textus aliorum Patrum videsis apud PESCH, *Prael. dogm.* t. II, n. 297.

Quoad S. Augustinum, cf. *De libero arbitrio,* L. III, c. 4, *De civitate Dei,* L. V., c. 10; *De Trinitate,* L. XV, c. 13.

391. Sunt in Deo ideae omnium quae existunt.

PROPOSITIO SECUNDA. **Sunt in mente divina ideae omnium quae, praeter Deum, existunt** (3).

Demonstratio.

Deus *ad extra* operatur per intellectum et liberam voluntatem, ideoque in mente habere debet *formam* seu similitudinem intentionalem rerum faciendarum, sicut similitudo domus praeexistere debet in mente aedificatoris. Igitur omnium rerum, quae operatur Deus ad extra, debet habere in mente formam, seu similitudinem secundum quam res sunt faciendae. Illae autem formae intentionales rerum sunt *ideae* in sensu stricto et completo.

Adnotatio.

392. Omnium possibilium sunt in Deo rationes intellectae, quae tamen non sunt ideae in sensu completo.

1. In mente divina sunt etiam similitudines intentionales omnium quae Deus operari potest et quae tamen numquam existunt, sed illae rationes non sunt, secundum S. Thomam, ideae in sensu omnino completo.

« In hac quaestione versatur utrum eorum quae nec sunt nec erunt nec fuerunt, quae tamen Deus facere potest, sit *idea.* Videtur dicendum, quod si idea secundum

(1) Card. BILLOT, *o. c.,* p. 235.
(2) Hanc propositionem esse falsam contendit ALVAREZ, *De auxiliis,* disp. XVI, n. 6.
(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XV.

completam rationem accipiatur, scilicet secundum quod idea nominat formam artis, non solum intellectu excogitatam, sed etiam per voluntatem ad opus ordinatam, sic praedicta non habent ideam, si vero accipiatur secundum imperfectam rationem, prout scilicet est solum excogitata in intellectu artificis, sic habent ideam. Patet enim in artifice creato quod excogitat aliquas operationes quas nunquam operari intendit. In Deo vero quidquid ipse cognoscit, est in eo per modum excogitati: cum in ipso non differat cognoscere actu et habitu. Ipse enim novit totam potentiam suam et quidquid potest: unde omnium quae potest habet rationes quasi excogitatas » (1).

393. Ideae ratione distinguuntur a scientia,

2. *Ideae* divinae ratione distinguuntur a *scientia* divina: scientia est ipsa operatio intellectiva, ideae vero sunt rationes intellectae, seu intentionales rerum similitudines, quae considerantur ut terminus objectivus divinae cognitionis (2).

394. sunt causae exemplares,

In ideis, in sensu stricto et completo sumptis, attenditur ratio causae *exemplaris:* haec enim est forma mente concepta ad cujus imitationem aliquid fit ex intentione agentis determinantis sibi finem (3). Causalitas porro causae exemplaris seu idearum proprie reducitur ad causalitatem *formalem* (4). Causalitas vero scientiae reducitur ad causalitatem *efficientem,* cf. suprà, n. 385.

Sicut suprà, n. 386, diximus scientiam Dei esse causam rerum effectivam vel *in actu primo* tantum, quatenus respicit res factibiles *mere possibiles,* vel *in actu secundo* quatenus (adjuncta voluntate) respicit res factibiles, in qualibet temporis differentia, *existentes,* ita de rationibus rerum intellectis dicendum est: illae sunt ideae et causae exemplares *in actu primo* respectu possibilium; sunt autem ideae et causae exemplares *in actu secundo* respectu *existentium.*

395. ratione distinguuntur ab essentia.

3. Ex suprà dictis intelligitur *ideas divinas* esse *a)* realiter divinam essentiam, *b)* non quidem absolute spectatam, sed *c)* prouti est a Deo cognita secundum varios gradus imitabilitatis a rebus finitis (5).

« Quia idea divinae mentis est realiter divina essentia, ut imitabilis, nemo potest ideas intueri quin hoc ipso *entitative intueatur* Deum. Hoc autem communiter non contingit inter homines. Ergo in hac vita homines non contuentur naturaliter ideas divinas. Quo argumento evincitur falsitas *ontologismi* » (6). Cf. suprà, n. 36, 106.

396. In Deo, omne quod ad intellectionem pertinet, est realiter unum et idem.

PROPOSITIO TERTIA. **In Deo intellectus, intelligens, id quod intelligitur, ut actu intellectum, species intelligibilis et ipsum intelligere sunt realiter omnino unum et idem** (7).

Demonstratio.

Illa assertio implicite continetur in veritate de perfecta Dei simplicitate

(1) S. THOMAS, *De Potentia,* Q. I, a. 5 ad 11.
(2) Ita card. BILLOT, *De Deo,* thes. XXIII, p. 232.
(3) Cf. *Collat. Brug.,* t. IX, p. 160.
(4) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 286.
(5) Ita BUONPENSIERE, *o. c.,* n. 976. Cf. S. THOMAS, *De veritate,* Q. III, a. 2.
(6) BUONPENSIERE, *o. c.* n. 977.
(7) Ita S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 4.

(cf. suprà, n. 175), qua omnis realis compositio a Deo excluditur, sed opportune consideratur explicite hoc in loco, in quo agitur de modo divinae cognitionis.

In omni creatura, naturalis ejus intellectus importat *intelligentem,* nempe suppositum *quod* intelligit, deinde *intellectum* seu *facultatem intellectivam,* quae est principium *quo* proximum intellectionis, deinde ipsum *intelligere* seu operationem intelligendi: ut autem haec fiat, requiritur quaedam forma, vel quasi forma, determinans intellectionem, seu *species intelligibilis impressa,* tandem habetur species *expressa,* quae est id in quo res intelligitur, seu id, quod, consideratum in esse *intentionali,* est res intellecta in esse intellecto. Apud homines haec omnia sunt realiter distincta; in Deo autem, haec sunt omnia realiter unum et idem: quia esse Dei est ipsum operari divinum. Inde ipsa essentia divina est forma secundum quam Deus intelligit, et secundum hoc ipsa facit quod facit species intelligibilis *impressa;* essentia divina, ut cognita, se habet ut species intelligibilis *expressa* (1).

§ II.

De medio objectivo in quo Deus cognoscit alia a se.

397. Quid sit medium cognitionis subjectivum,

Nomine *medii,* quando agitur de intellectuali cognitione, designantur diversa (2).

Nominatim *medium* cognitionis potest spectari vel ex parte *rei cognitae* vel ex parte *cognoscentis.*

1° Ex parte *cognoscentis,* duplex distinguitur medium, videlicet *sub quo* et *quo.*

a) Medium *sub quo* est lumen intellectuale: et hoc medio non determinatur intellectus ad aliquod determinatum objectum.

b) Medium *quo* est *similitudo* rei cognitae.

Hoc medium est etiam duplex: α) id quod se habet ut principium specificans seu determinans actionem intelligendi, quod apud nos, est species *impressa* (3); β) id quod est *terminus* actionis intelligendi, quod, apud nos, est species *expressa,* estque id *in quo* res immediate cognoscitur (4).

objectivum.

2° Ex parte *rei cognitae,* medium cognoscendi est id *quod* ut *cognitum ducit in cognitionem alterius.*

---

(1) Infrà, in tractatu de SS. Trinitate, exponemus quomodo in Deo sit Verbum, quod est Persona distincta a Patre.

(2) Cf. SCHIFFINI, *Disp. metaph. spec.,* t. II, n. 486.

(3) « Species intelligibilis [impressa] nihil aliud est quam *certi objecti intentionalis imago* quae, impressa intellectui possibili, *fiat ei principium objective specificativum certae exercendae intellectionis.* Dupliciter igitur ea considerari potest: 1) *physice ac subjective:* et sic est accidens spirituale, de genere qualitatis, per modum formae afficiens intellectum possibilem, eumque complens in ordine ad eliciendum actum intelligendi; 2) *quoad esse suum intentionale* seu *objective* aut *repraesentative:* et sic est intentionalis imago vicaria objecti quoad determinandam immaterialem ejusdem cognitionem ». DE JAEGHER, *o. c.,* n. 426.

(4) Species expressa seu verbum internum, « *physice* quidem est accidentalis qualitas afficiens intellectum possibilem, *intentionaliter* vero est similitudo objecti in qua ut *formali signo* objectum ipsum cognoscitur ». ID., *o. c.,* n. 428.

Quod dupliciter rursus contingere potest :

a) Primum *ratiocinatione,* quatenus ex praemissis, ut cognitis, infertur conclusio: tunc *medii* termini cognitio antecedit et gignit cognitionem alterius. Istiusmodi medium nullum admitti potest in divina scientia (cf. suprà, n. 347).

b) Secundo, hoc medium dici potest, quatenus uno eodemque simplici intuitu *intelligitur aliquid in alio intellecto,* ob connexionem objectivam quam hoc habet cum illo.

Ejusmodi medium est *medium objectivum,* de quo hîc est sermo.

Quum suprà, n. 351 s., exposuerimus Deum *immediate,* et proinde absque ullo medio objectivo, cognoscere *essentiam suam,* et comprehendere illam; nunc intendimus:

1) Demonstrare *divinam essentiam cognitam* esse id *quo ut cognito* omnia alia a se distincta cognoscit Deus; 2) explicare, quantum fieri potest, quo modo divina essentia sit Deo medium objectivum cognoscendi diversa cognoscibilia.

398. PROPOSITIO PRIMA. **Essentia divina est Deo medium objectivum cognoscendi omnia a Deo distincta,** seu aliis verbis, **Deus non cognoscit res a se distinctas in ipsis rebus, sed tantum in semetipso; illas tamen res cognoscit prouti sunt in ipsis seu secundum proprium esse quod habent.**

Demonstratio 1ae partis.

Essentia divina est medium objectivum unicum, in quo Deus cognoscit omnia a se distincta;

1) Quum omnis cognitio Dei sit realiter idem ac essentia divina et prorsus independens a quolibet extrinseco, illa cognitio nequit physice determinari nisi per ipsam essentiam divinam (1): igitur haec essentia est id quod primo cognoscitur a Deo. « Sed essentia rei non ducit immediate et directe in cognitionem nisi ejus cujus est essentia. Ergo omne aliud non erit cognitum a Deo, nisi ex hoc quod in essentiâ, immediate visâ, intelligibiliter continetur: ergo nonnisi in ea ut in *medio cognito:* quippe impossibile est aliquid cognosci ratione virtualis suae continentiae in altero, nisi cognitio primario et principaliter terminetur ad continentem, mediante vero continente, ad id quod in eo continetur» (2). Ergo *nonnisi in essentia sua cognita* Deus *potest* cognoscere omnia a se distincta.

2) Deus *necessario* in essentia sua cognita cognoscit omnia cognoscibilia: Deus enim essentiam suam *comprehendit,* h. e. tantum cognoscit quantum est cognoscibilis; jamvero in essentia sua comprehensa perspicit necessario Deus omnia quae quocumque modo rationem entis habere possunt: etenim nihil potest habere rationem entis nisi quatenus sit imitatio seu participatio ipsius Esse subsistentis: ergo quum Deus necessario *comprehendat* ipsum

(1) Nequit concipi aut dici intellectum divinum *indigere* physica determinatione ad actum intelligendi; sed requiritur ratio sufficiens cognitionis divinae. Haec ratio sufficiens est id quod physice determinat cognitionem divinam; id autem est unica essentia divina.

(2) Card. BILLOT, *De Deo,* thes. XXI, p. 201. Cf. S. THOMAS, *Compendium theologiae,* c. 30.

Esse per se subsistens, necessario perspicit in hoc Esse cognito omnia quae quocumque modo esse possunt.

Quod docet S. Thomas: « Deus seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt non in se ipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso (1).

Demonstratio 2ae partis.

399. illa tamen cognoscit prouti sunt in ipsis seu secundum proprium esse quod habent.

Cognoscere entia *prouti sunt in seipsis* est illa perspicere secundum esse proprium quod singula habent aut habere possunt, secundum omnem essendi rationem quae illis competit, sive genericam, sive specificam, sive individualem. Deus autem de omnibus talem debet habere *propriam* cognitionem: nam secus divina scientia non esset infinite perfecta (cf. suprà, n. 348).

Illam autem propriam cognitionem omnium habet Deus *in sua essentia comprehensa:* haec enim non comprehenderetur, si Deus non distincte et proprie cognosceret omnes omnino modos quibus illa essentia est ad extra imitabilis. — Quod demonstratur etiam alio argumento: Deus non comprehenderet essentiam suam, nisi comprehenderet *virtutem* suam *operativam;* atqui non comprehenderet suam virtutem operativam, nisi distincte et proprie cognosceret omnia ad quae se extendit sua virtus; ergo suam essentiam non comprehenderet, nisi distincte et proprie cognosceret omnia quaecumque sunt vel esse possunt: nam nihil esse potest nisi in quantum potest causari a Deo.

400. Nota.

Nota. 1. In hac thesi demonstrata nondum inquirimus sub qua praecise ratione divina essentia sit medium objectivum quo Deus cognoscit alia a se: hoc in sequentibus inquiremus; sed difficultas explicandae cognitionis Dei circa res creatas, nominatim circa actus liberos, non minuitur, sed, e contrario, augetur, si non admittitur essentiam divinam esse medium objectivum cognitionis in Deo (2).

2. Licet cognitio quam habet Deus de rebus finitis, sit *propria* est tamen vere *mediata,* sensu indicato.

3. Illa ratio cognoscendi, secundum quam Deus res finitas omnes perspicit in *essentia sua cognita,* est in Deo omnino *necessaria* et prorsus *immutabilis:* quapropter *nihil* creatum vel creabile potest Deus ullo modo intelligere *nisi in essentia sua cognita, nisi trans divinam essentiam comprehensam:* quapropter jam elucet falsam esse sententiam eorum qui dicunt Deum cognoscere res a se distinctas *etiam in ipsis rebus,* intelligendo res esse intentionaliter *immediate* terminos divinae cognitionis (3): ex quo etiam sequitur falsam esse sententiam eorum, qui tenent actus liberos hypothetice futuros a Deo cognosci in objectiva veritate eorum: de qua sententia redibit sermo.

---

(1) *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 5. Cf. *In I Sent.,* Dist. XXXV, Q. I, a. 2; *Sum, cont. Gent.,* L. I, c. 48.

(2) De illa difficultate cf. card. BILLOT, *o. c.,* p. 204.

(3) Ne igitur dicas « libere futura cognosci a Deo *in seipsis* » sed dicas, ut vitetur aequivocatio: cognosci a Deo *prouti sunt in se ipsis,* seu *prout unumquodque eorum est actu in seipso.*

4. Quando S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. XIV, a. 5 dicit: « Deus seipsum videt in seipso... alia autem a se videt non in ipsis, sed in seipso » non significat Deum non determinari ad cognoscendum specie accepta ab ipsis creatis, quod quidem verum est, sed intendit essentiam divinam, *ut cognitam* a Deo, esse id in quo cognito Deus cognoscit alia. Hanc esse sententiam D. Thomae constat primo ex ipso loco citato, in quo demonstrat Deum necessario alia a se intelligere, *quia* suam essentiam comprehendit, et quatenus essentia intelligibiliter continet similitudinem aliorum; deinde ex constanti doctrina S. Thomae, quae exprimitur nominatim in scriptis sequentibus: *De Veritate,* Q. II, a. 3, ad 3; *Sum cont. Gent.,* L. I, c. 49; *Sum. theol.,* Q. XIX, a. 2, ad 2; *De Potentia,* Q. VII, a. 10, ad 5; *Compendium theologiae,* c. 30. Audiamus haec: « Apparet Deum cognoscere seipsum, quasi *primo* et *per se notum,* alia vero sicut *in essentia* sua *visa* ». *Sum. cont. Gent.,* l. c. Eodem sensu dicit: « Id quod est intellectum a Deo *directe* et *principaliter* est ipse Deus ». *Comp. theol.,* l. c. Haec assertio infertur ex hoc quod essentia rei non ducit directe in cognitionem alicujus, nisi ejus cujus est essentia. *Ib.* Igitur alia Deus cognoscit *mediate,* nempe in essentia *cognita.*

Hic porro modus cognoscendi est in Deo necessarius et prorsus immutabilis: quapropter non nisi *mediate* cognoscit Deus alia a se.

401. Causalitas divina est ratio cognitionis divinae.

Corollarium. *Ratio, sub qua essentia divina est Deo medium cognoscendi alia a se, est* CAUSALITAS *ipsius; et vicissim causalitas non potest non esse Deo ratio cognoscendi alia a se* (1).

Suprà, n. 383 ss., exposuimus scientiam divinam esse causam rerum; nunc de ipsa origine et ratione cognitionis, quam habet Deus de rebus, agimus: circa quam duplex assertum, in corollario enuntiatum, est nunc demonstrandum.

1. Cognitio est semper per similitudinem aliquam inter cognoscens et cognitum. Et attendatur similitudinem eam non esse convenientiam aliquam materialem, qualis esse posset inter homines duos natos ex familiis diversis, sejunctos quoad omnia, inter quos tamen caracteres communes vel communia lineamenta invenirentur. — In cognitione requiritur *formalis* similitudo unius *ad* aliud, quae *assimilatio* recte nuncupatur, ratione cujus cognoscens in se ferat *repraesentationem* cogniti.

Talis vero formalis similitudo haberi haudquaquam potest nisi per hoc quod cognoscens assimiletur cognito, aut cognitum cognoscenti. Prius illud fieri potest vel per hoc quod cognoscens patiatur a cognito, ut in cognitione naturali humana, vel per hoc quod agens superius in eo imprimat cogniti similitudinem, ut in cognitione angelica et in scientia infusa. Et hic duplex modus certo certius est excludendus a scientia divina.

Restat proinde quod Deus in se gerat similitudinem creaturae praecise per hoc quod hanc sibi *assimilet:* in hoc consistit *causalitas* divina.

Divina causalitas est triplex: *efficiens, exemplaris, finalis.* Sed in materia circa quam versatur nostra consideratio, perpendenda nobis est tantum *exemplaritas* divina et *potentia.* Quum enim Deus sit agens per intellectum, rei faciendae similitudinem in se habere debet: exemplar autem *fundamentale* est ipsa essentia divina, quatenus in se eminenter continet omnem rationem essendi et proinde omne, quo Deus imitabilis aut participabilis est; exemplar *formale* est essentia divina, quatenus, a Deo actu comprehensa, cognoscitur perfecte ut imitabilis, seu quatenus in ea cognoscuntur actu omnia entia et omnes modi entis quibus Deus est imitabilis. — Potentia divina est Dei virtus efficiendi entia ad extra. Haec autem virtus, quum sit realiter idem ac essentia divina, se extendit ad omnes terminos imitabilitatis divinae: nempe Deus potest efficere ad extra omnia (distributive sumpta) quibus est imitabilis, ergo omnia possibilia (2).

---

(1) Hanc assertionem desuminus a DE BAETS, *Quaestiones de operationibus divinis quae respiciunt creaturas,* Lovanii, 1903, p. 55 ss., sed forsitan sensu aliquantisper diverso; nec possumus adhaerere cuidam conclusioni, quam ex illo asserto ulterius infert praelaudatus auctor, uti infrà dicemus.

(2) Inde recte dicit S. Thomas : « Cum Deus sit causa rerum per suam scientiam, in tantum se extendit Dei scientia, in quantum se extendit ejus causalitas » *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 11. Circa illud dictum bene notatur, in editione *Summae theologicae,* Parisiis, 1885 : « Ita ut nihil omnino actu causet quin sciat illud ut ens actuale, sicut et nihil actu causare possit quin sciat illud ut possibile ac omni eo modo quo possibile supponitur. Sed hic de actuali tantum causalitate nominatim agitur et de cognitione rerum actualium ».

Ergo ratio sub qua essentia divina est medium objectivum cognoscendi res finitas est *causalitas* ejus (sive in actu primo, sive in actu secundo).

2. Causalitas, nempe fundamentalis exemplaritas et virtus effectrix non potest non esse ratio cognoscendi alia a se: nam ex hoc ipso quod Deus comprehendit suam essentiam, necessario hanc perfecte cognoscit ut imitabilis ad extra; etiam ex hoc ipso quod Deus comprehendit suam potentiam seu virtutem efficiendi entia ad extra, cognoscit omnia entia, omnesque eorum modos, quae potest Deus efficere.

402. Causalitas divina, ut medium objectivum cognitionis, est considerandum secundum triplex objectum.

Postquam ostensum est Deum *in semetipso,* nempe *in essentia sua cognita,* scire omnia distincta a se, remanet ulterius inquirendum de modo quo Deus illa in semetipso cognoscat: quapropter successive considerabimus *mere possibilia,* deinde entia quandocumque existentia, *ut existentia,* tandem *futuribilia.*

Specialis adest difficultas circa actus *liberos,* qua tales, quia illi *ut determinati ad unum* non nisi *contingenter* egrediuntur e causa proxima. Illa autem specialis difficultas solvitur, quantum fieri potest, eodem modo circa actus liberos hypothetice futuros seu futuribiles ac circa actus absolute futuros.

Hoc bene perpendamus quod *contingentia,* quae propria est *electioni,* opponitur *necessitati* (1): ita ex causa sua proxima egreditur electio tamquam determinata ad unum, ut, ex parte ejusdem causae, potuisset egredi electio determinata ad aliud: inde in causa proxima *nulla est necessitas* electionis hîc et nunc determinatae ad hoc prae alio. — Possibilitas vero opponitur existentiae: quapropter futuribile est possibile, utpote nunquam existens.

403. Mere possibilia cognoscuntur a Deo in exemplaritate divinae essentiae.

PROPOSITIO SECUNDA. **Omnia mere possibilia, qua talia, Deus cognoscit formaliter in sua exemplaritate.**

Demonstratio.

Mere possibilia dicimus omnia, quae, etsi non sunt actu, tamen esse possunt: omnia, dico, sive substantias, sive accidentia, etiam operationes liberas, quae et quatenus possint existere, et tamen nec fuerunt nec sunt, nec erunt. Itaque nunc non considerantur actus liberi hypothetice reipsa futuri: abstrahimus ab illis, de quibus infra explicitus erit sermo.

Hoc posito, probatur mere possibilia, qua talia, cognosci a Deo in sua exemplaritate. Sane omnia possibilia sunt quaedam rationes *essendi,* proinde quidam modi secundum quos imitabile seu participabile est ipsum *Esse* per se subsistens, quod est essentia divina: haec est igitur fundamentaliter

---

(1) « En igitur gradatio necessitatis et contingentiae: Deus necessarius est sine ulla contingentia; res vero factae contingentes sunt omnes, sed contingentia non eadem : aliae enim necessariae sunt ex causis suis, aliae hanc necessitatem non praeseferunt, et ideo contingentia *alia* dicuntur *necessaria, alia* dicuntur *per excellentiam contingentia,* eaque sunt *liberae creaturarum operationes.*

Diligenter observa contingentiam quae propria est eorum quae per causam liberam fiunt, nequaquam opponi necessitati *sicut non esse* opponitur ad *esse;* quinimo sunt duae modalitates essendi; et quidem modalitas contingentiae in ratione perfectionis superat modalitatem necessitatis, cum actus liber, ratione libertatis, superet necessariam operationem ». DE BAETS, *o. .c,* p. 139.

exemplar omnium possibilium; in hac porro essentia comprehensa, Deus actu cognoscit omnia et singula possibilia.

404. Existentia, formaliter ut existentia, cognoscuntur a Deo in volitione divina.

PROPOSITIO TERTIA. **Omnia quandocumque existentia, formaliter ut existentia, cognoscit Deus in volitione sua, qua decernit talia, prae aliis possibilibus, de facto esse exstitura, in qualibet temporis differentia.**

Demonstratio.

Deus, in sua exemplaritate, cognoscit distincte omnia possibilia, omnesque possibiles rerum ordines: eatenus porro aliquid, vel aliquis rerum ordo, actu existit, quatenus a Deo actu efficitur; et eatenus a Deo aliquid actu efficitur quatenus Deus actu *vult* hoc existere: haec absoluta Dei volitio, utpote omnipotens et efficax, est propria ratio sub qua Deus res, *ut existentes* cognoscit (1).

404bis. Objectio solvitur.

Objectio. Si Deus res *existentes* cognosceret tantùm *in semetipso,* h. e. decreto voluntatis quo decernit existere res, illas non cognosceret *sicut sunt;* atqui hoc ultimum nequit admitti; ergo...

Probatur antecedens: Si Deus cognosceret res existentes tantùm in decreto voluntatis quo decernit illas existere, cognosceret quidem res ut *quae debent existere* (sic ab aeterno cognosceret illas Deus), sed quando res actu existunt, non cognosceret illas ut *quae hic et nunc existunt,* nec cognosceret illas ut non jam existentes quando jam non existunt.

Respondeo: nego antecedens. Ad rationem additam dico: Deus, ab aeterno, in decreto voluntatis, cognoscit res ut *quae existunt tunc quando existunt:* etenim in scientia possibilium repraesentatur perfecte quilibet rerum ordo possibilis, cum ipsa existentia possibili et cum omnibus adjunctis *temporis* illarum rerum: in decreto voluntatis perspicit Deus integrum ordinem ut *ad extra* productum, cum omni adjuncto temporis pro qualibet re. Ergo cognoscit res *sicut sunt.*

Certò nequit admitti quod res *ut existentes* DETERMINANT in Deo intuitum existentiae earum actualis: si hoc esset, cognitio Dei dependeret a rebus, essetque mutabilis intrinsece: quod repugnat. Cf. suprà, n. 232 ss.

405. Omnia existentia, ut existentia, cognoscuntur a Deo ut praesentia in sua aeternitate;

1um **Corollarium.** *Omnes creaturas, in qualibet temporis differentia existentes, cognoscit Deus* UT PRAESENTES IN SUA AETERNITATE.

a) Nostra cognitio est dependens a rebus, adeoque successiva et mutabilis est; Dei vero cognitio est omnino independens a rebus, adeoque est aeterna et immutabilis.

b) Nos ipsi, et nostra cognitio, subjicimur tempori (cf. suprà, n. 243), adeoque relate ad nos et ad nostram cognitionem res sunt vel praeteritae, vel praesentes, vel futurae; Deus vero non subjicitur tempori: consequenter respectu Dei et cognitionis ejus res non sunt praeteritae, nec futurae; sed sunt *praesentes* tantum.

c) Quod sic explicatur: ratio propria qua Deus cognoscit res, *ut existentes* est sua volitio, qua decernit res *esse;* in hac porro volitione sua cognoscit Deus res *secundum illud esse reale* quod extra suas causas quandocumque habent: sic igitur cognoscit Deus res ut sibi *praesentes.*

---

(1) Inde melius intelligitur id quod suprà, n. 383, diximus, nempe *Dei scientiam esse causam omnium rerum, adjuncta tamen voluntate.*

Quum autem divina volitio sit aeterna, ideo *in sua aeternitate* cognoscit Deus res ut praesentes (1). « Dei cognitio, ait S. Thomas (2) mensuratur aeternitate sicut suum esse. Aeternitas autem tota simul existens ambit totum tempus... Unde omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, quod habet rationes rerum apud se praesentes [h. e.*intentionaliter* seu secundum esse cogniti], ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate [h. e. *physice* seu secundum eorum esse reale] » (3).

406. adeoque cognitione certa et infallibil.

2um Corollarium. *Quia Deus omnes creaturas, quandocumque existentes cognoscit ut praesentes, ideo de omnibus contingentibus, etiam liberis, habet cognitionem omnino* CERTAM et INFALLIBILEM.

Etenim contingens, *ut praesens,* non potest non esse; seu est necessarium, necessitate quae exprimitur sic: id quod est, dum est non potest non esse. Inde S. Thomas dicit: « Contingens certitudini cognitionis non repugnat nisi secundum quod *futurum* est, non autem secundum quod praesens est. Etenim cum futurum est, potest non esse, et sic cognitio aestimantis ipsum futurum esse, falli potest; falleretur enim si non erit, quod futurum esse aestimavit. Ex quo autem praesens est, pro illo tempore, non potest non esse: potest autem, in futurum non esse, sed hoc jam non pertinet ad contingens prout praesens est, sed prout futurum est; unde nihil certitudini sensus deperit cum quis viderit currere hominem, quamvis hoc dictum sit contingens. Omnis igitur cognitio, quae supra contingens fertur, prout praesens est, certa esse potest; divini autem intellectus intuitus ab aeterno fertur in unumquodque eorum quae temporis cursu peraguntur, prout praesens est... Relinquitur igitur quod de contingentibus nihil prohibet Deum ab aeterno scientiam infallibilem habere » (4).

407. Dijudicatur quaedam sententia.

Illmus L. Janssens, *De Deo uno,* t. II, p. 110 ss., dissertationem ponit qua contendit aeternitatem Dei esse *unicum medium* in quo Deus infallibili cognitione omnia futura contingentia praenoscit, et, *o. c.,* p. 141 hanc statuit conclusionem: « Unica formalis ratio, qua Deus omnia futura contingentia, praesertim libera, in proprio esse intuetur, est aeternitas ».

---

(1) Inde plenius intelligitur id quod suprà, n. 251, diximus : res creatae coëxistunt aeternitati.

(2) *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 13.

(3) Inde melius intelligitur cur suprà, n. 252, non admiserimus hunc modum loquendi : « *futura* sunt in Deo in aeternitate praesentia non solum objective et intentionaliter, sed physice et realiter ». Res enim temporales, antequam existunt, non *sunt* physice et realiter. Sed aliud est : Deus ab aeterno cognoscit et vult res temporales *secundum esse physicum et reale,* quod habent extra causas. Inde dicit S. Thomas, l. c., « *intuitus* Dei fertur ab aeterno super omnia *prout sunt in sua praesentialitate* ».

Quam ad rem elucidandam nitide dicit KLEUTGEN, *De ipso Deo,* n. 536 : « Neque vero ideo quod divina aeternitas omnia tempora complectens singulis adest, sive res futurae sive Deus rebus futuris *coexistere* recte dicuntur. Bene namque Scotus argumentatur, prius esse existere in se, quam alteri coexistere, nec quemquam posse coexistere ei, quod non existit. Itaque virtualis illa extensio aeternitatis ad omnia tempora probe discernenda est a coexistentia, quae necessario quidem eam consequitur, sed sub conditione, si creata existunt et tempore, quo existunt. Aeternitas enim attributum Dei est absolutum, coexistentia autem rebus creatis respectivum seu hypotheticum, quod minime repugnat de Deo non ab aeterno sed a certo tempore praedicari. — Neque ideo ponuntur in Deo aeterno praeteritum et futurum, quod prius rebus non coexistere, postea coexistere dicitur; cum haec coexistentia relatio quidem realis sit a parte rerum, non autem a parte Dei in quo nulla fit mutatio ».

(4) *Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 68.

Talis sententia non est admittenda. Etenim aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio, est formaliter *duratio* ipsius Dei, secundum quam Deus *est* immutabiliter, absque principio et fine. Aeternitas proinde est Deo *modus essendi* et *vivendi*, et importat perfectissimam immutabilitatem τοῦ esse et τοῦ operari divini, consequenter etiam intellectionis et volitionis divinae (1). Sed aeternitas, ut sic, non potest esse principium determinans intellectionem divinam, nec proinde medium in quo Deus aliquid intelligit: non enim aeternitas, formaliter considerata, est similitudo alicujus esse vel repraesentativa alicujus rationis entis (2).

408. Ut videtur, futuribilia etiam in exemplaritate divina cognoscuntur.

PROPOSITIO QUARTA. **Non alia formalis ratio quam exemplaritas divina videtur assignanda ut medium objectivum in quo Deus cognoscit futuribilia, nempe actus liberos hypothetice futuros.**

Praenotandum.

Deus omnia a se distincta cognoscit in essentia sua cognita, ut suprà, n. 398, demonstravimus: sed quaenam est formalis ratio, qua divina essentia est Deo medium objectivum cognoscendi alia?

Jam diximus *exemplaritatem* divinam esse formalem rationem qua Deus cognoscit *mere possibilia* (n. 403), deinde, hac cognitione praesupposita, *volitionem Dei absolutam* esse formalem rationem qua Deus cognoscit *existentia*, ut sic.

Futuribile autem aliquid plus dicit quam mere possibile. Nimirum, si dicas, e. gr., si hic homo in talibus adjunctis subjiceretur tali tentationi, *posset* libere resistere vel cedere illi: enuntias mere possibile; si vero dicas: si hic homo in talibus adjunctis subjiceretur tali tentationi, *de facto resisteret illi:* enuntias futuribile. Ergo futuribile dicit hypotheticam ipsam *determinationem* voluntatis liberae *ad unum* prae alio possibili. Haec porro *determinatio ad unum* non continetur necessario in causa sua proxima: quum voluntas antecedenter ad illam sit potens sese determinare ad aliam: haec *contingentia* creat specialem difficultatem in praesenti materia.

Sed hoc bene consideremus quod ipsa hypothetica et contingens determinatio voluntatis ad unum excludit determinationem ad aliud: homo si eligat *hoc*, non potest eligere non-hoc aut aliud. Quapropter illa determinatio ad unum constituit aliquam *specialem rationem entis* et proinde aliquam *specialem imitationem* possibilem essentiae divinae. Haec porro *specialis determinatio* seu specificatio actionis liberae et *specialis contingentia*, quae huic operationi propria est, considerantur hîc in ordine possibili.

409.

Demonstratio.

Futuribile, ontologice spectatum, est aliquis specialis modus imitabilitatis divinae essentiae; atqui omnes modos imitabilitatis divinae essentiae cognoscit Deus proprie et distincte *comprehendendo essentiam suam* ut imitabilem; ergo formalis ratio qua Deus in essentia sua cognoscit futuribilia, est exemplaritas divina.

Major declaratur. Omnis operatio creaturae, quatenus aliqua entitas

(1) Cf. suprà, n. 125, 244.
(2) Cf. DE BAETS, *o. c.*, p. 77 ss.

positiva, est aliqua imitatio divinae essentiae; ipsa *electio,* qua talis, nempe ipsa voluntatis operatio, qua semetipsum praecise *determinat ad hoc* prae altero (ad quod posset etiam sese determinare) est aliqua *specialis* ratio entis et proinde aliqua *specialis* imitatio divinae essentiae, aliqua specialis imitatio in qua habetur plus vel minus de absoluta perfectone (1).

Minor declaratur. Deus comprehendendo essentiam suam, non solum cognoscit creaturam, posse in determinatis adjunctis se libere determinare ad volendum unum vel aliud, sed cognoscere debet hanc singularem determinationem ad unum, quae praecise eliceretur ab hac creatura, si in his adjunctis poneretur: secus non perfecte comprehenderet Deus suam essentiam, quum non perspiceret illum specialem modum, quo voluntas praedicta ipsam divinam perfectionem et libertatem deficienter imitaretur.

Non possumus ulterius positive demonstrare quomodo Deus illa futuribilia cognoscat in sua essentia; sed demonstravimus, ni fallimur, Deum debere trans suam essentiam cognoscere futuribilia et non aliam esse assignandam *formalem* rationem illius cognitionis quam *exemplaritatem* modo explicatam (2).

Sane a medio cognoscendi futuribilia in Deo, *non excludimus potentiam divinam* et *voluntatem divinam,* nempe *decreta hypothetica,* quae haberet Deus movendi voluntatem creatam et praestandi omnia quae ex parte sua requiruntur; hujusmodi enim intelliguntur inclusa in ipsissima hypothesi adjunctorum et auxiliorum, sub qua futuribilis determinatio liberi arbitrii est objectum divinae praescientiae (3).

Sed censemus potentiam divinam aut voluntatem non posse adduci ut rationem *formalem,* sub qua Deus introspicit futuribilia, vel ut rationem *determinantem* in Deo illam cognitionem.

410. Dijudicatur quaedam sententia.

Cl. De Baets, *o. c.,* p. 82 ss, censet exemplaritatem divinam *absque causalitate efficienti* esse medium *insufficiens* scientiae divinae hypotheticorum, quia futuribile non potest esse effectus nisi dependenter ab efficientia divina: ratio cur sit vel esset unum possibile prae altero non potest inveniri in exemplaritate: invenitur vero in efficientia divina, non quia Deus praedefiniat et praedeterminet simpliciter unum prae alio, sed quia unum fieri prae alio, et ipsa electio creata, qua hoc determinatur, est effectus hujus divinae efficientiae creaturam moventis (p. 91).

Haec sententia non videtur admittenda:

1° quia divina efficientia, ut sic, nempe virtus efficiendi res ad extra (secluso decreto subjective absoluto praedeterminante voluntatem creatam ad unum prae altero) non potest esse ratio formalis cognoscendi ad quid sese determinaret voluntas creata, si in talibus poneretur adjunctis: haec enim efficientia nihil praedefinit aut praedeterminat, proinde *de se* nihil offert quo Deus cognosceret volitionem creaturae *ut determinatam ad unum prae altero;*

(1) Hoc etiam dici potest de actionibus liberis quae sunt moraliter *malae :* nam illae electiones, quatenus actiones sunt, et proinde bonae, sunt imitationes divinae essentiae, et illarum Deus est causa « Illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem, secundum quod actio deformitati substat unde mala est. Hoc autem Deo non convenit; et ideo non oportet ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius causa sit in qua malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse et agere et quidquid perfectionis in agente est ». S. THOMAS *In II Sent.,* Dist. XXXVII, Q. II, a. 2, ad 2. Cf. card. BILLOT, *De personali et originali peccato*[4], Prati, 1910, p. 15 ss. — Suprà, n. 371, diximus malum a Deo cognosci ratione boni in quo est.

(2) Haec est sententia quam propugnat card. BILLOT, *De Deo,* thes. XXII, p. 209 ss.

(3) Ita card. BILLOT, l. c., ad 3, p. 227.

2° quia apud praelaudatum auctorem (p. 86) videtur quaedam obscuritas circa differentiam inter mere possibile et futuribile: etenim haec differentia non est formaliter in ratione *existentiae* ut sic: sub hoc respectu mere possibile (h. e. quod nec fuit, nec est, nec erit) et futuribile sunt aequaliter *non existentia;* sed in materia praesenti, nempe de actibus liberis, *mere possibile* a *futuribili* differt formaliter quatenus *hoc* importat *determinationem hypotheticam voluntatis ad unum* prae altero, illud vero non. Efficientia autem divina, uti conceditur, non praedefinit, nec praedeterminat, volitionem creaturae; proinde nequit efficientia divina, ut sic, esse ratio formalis cognoscendi praedictam *determinationem* voluntatis ad unum. Efficientia autem divina requiritur ut possit *existere* aliquis actus voluntatis creatae: sed existentia, ut sic, cognoscitur in signo *posteriori* ad cognitam specificationem seu determinationem actus qui existeret.

411. Actus liberi absolute futuri, ut existentes, cognoscuntur a Deo in decreto absoluto divinae voluntatis.

1um **Corollarium.** *Actus liberi absolute futuri,* UT EXISTENTES *cognoscuntur a Deo in decreto absoluto voluntatis suae decernentis existentiam illorum actuum* (1).

Ex dictis de cognitione quam habet Deus de futuribilibus, illa assertio facile intelligitur: etenim futurum absolutum, nempe, in casu, actus liber quandocumque existens, nihil aliud est quam futuribile in ordinem existentium translatum, secundum eamdem rationem contingentiae et libertatis, sub qua in statu futuribilitas praesciebatur a Deo. Unde scientia futuri absoluti est ipsissima scientia futuribilis prout adjunctum habet decretum divinum circa existentiam ejus: sic a Deo cognoscitur, ut realiter habens esse pro aliqua temporis differentia, illud idem quod in signo priori cognoscitur ut existens possibiliter.

412. Praescientia divina non aufert libertatem creaturae.

2um **Corollarium.** *Praescientia divina non aufert libertatem creaturae.*

Etenim Deus ab aeterno praecognoscit res omnes *prouti sunt:* actio quae in sua causa proxima *necessario* continetur et *physica necessitate* egreditur ex causa, cognoscitur a Deo ut talis; quae vero in causa proxima non necessario continetur et non physica necessitate egreditur e causa, sed contingenter, etiam ut talis a Deo cognoscitur: quapropter actio creaturae *libera,* praecise ut libera, a Deo cognoscitur; consequenter praescientia divina nullo modo aufert rationem libertatis seu contingentiae illis actibus qui, natura sua, liberi sunt, nempe qui sunt electiones.

413. Aliae sententiae circa cognitionem futuribilium dijudicantur:

Scholion.

Nobis restat ut sententias, oppositas doctrinae suprà propugnatae, exponamus ac dijudicemus. Quum hac de re sit controversia inter summos theologos, nequit ex sola auctoritate adhaesio proponi uni sententiae potius quam alii. Sed opiniones singulae sunt dijudicandae secundum rationes intrinsecas illarum.

414. 1) sententia Bannezianorum DE PRAEDETERMINATIONE PHYSICA *voluntatis exponitur,*

Prima sententia hîc consideranda est eorum qui asserunt actus liberos absolute futuros vel hypothetice futuros a Deo cognosci in decretis suae voluntatis decernentibus *praedeterminationem physicam* voluntatum creatarum vel creabilium. Praedicti auctores, nempe Banneziani, censent voluntatem creatam (sive humanam, sive angelicam) eatenus posse *eligere* aliquid,

(1) Cf. card. BILLOT, *o. c.*, p. 229.

quatenus ad ipsum actum electionis immediate et physice praedeterminatur a Deo, quatenus scilicet voluntati immittitur a Deo praedeterminatio physica.

Haec praedeterminatio est entitas physica, nempe *motio physica, naturâ prior* ipsi actui electionis (inde vocatur *prae*-determinatio) et physice faciens ut voluntas hîc et nunc velit *hoc* prae *altero* (inde vocatur *determinatio*) (1).

Jamvero Deus, ita dicunt, ab aeterno, perfecte comprehendendo semetipsum et virtutem suam operativam *ad extra,* in semetipso cognoscit omnes praedeterminationes physicas quas immittet omnibus voluntatibus quandocumque exsistentibus, et sic cognoscit omnes actus liberos *absolute* futuros; Deus etiam cognoscit omnes praedeterminationes physicas, quas immitteret quibuslibet voluntatibus si ponerentur in quibuslibet adjunctis: sic cognoscit omnes actus liberos *hypothetice* futuros (2).

Jamvero quum omnis praedeterminatio physica dependeat a volitione divina volente seu decernente eam esse, ideo praedeterminationes physicas cognoscit Deus in semetipso praecise *in decreto suae voluntatis:* praedeterminationes physicas *absolute* futuras cognoscit Deus in decretis absolutis voluntatis divinae; praedeterminationes *hypothetice* futuras cognoscit Deus in decretis divinae voluntatis *subjective absolutis* sed *objective conditionatis.* Illa decreta dicuntur *subjective* (h. e. in ipso Deo) *absoluta,* quia Deus apud se absolute statuit: si hic homo poneretur in talibus adjunctis, ego physice praedeterminarem ad *hanc* electionem, seu physice praedeterminarem illum ad eligendum *hoc* prae altero; dicuntur vero *objective conditionata,* quia objectum illorum decretorum nunquam erit, sed est mera hypothesis: si ille homo poneretur in his adjunctis, in quibus nunquam de facto ponetur, ego praedeterminarem illum ad eligendum *hoc.*

Igitur praedicti auctores tenent (et recte quidem), Deum nonnisi *in semetipso* seu *in essentia sua,* tamquam in medio objectivo cognitionis, cognoscere actus liberos creaturarum; sed adjungunt eatenus Deum in sua essentia illos actus cognoscere, quatenus essentia formaliter consideratur *sub ratione voluntatis divinae decernentis praedeterminationes physicas immittendas voluntati creatae vel creabili* (3).

---

(1) Quoad ulteriorem hujus sententiae explicationem et sequelas ejusdem circa sententiam de essentia gratiae actualis et de efficacia ejusdem, cf. nostrum tractatum *De Divina gratia,* n. 275 ss., 295, 314 ss.

(2) En quaedam verba ipsius BANEZ, *In Sum. Theol.,* I, Q. XIV, a. 13 (p. 208). « Voluntas creata infallibiliter deficit circa quamcumque materiam virtutis, nisi efficaciter determinetur e divina voluntate ad bene operandum. Quocirca ex eo quod Deus cognoscit suam voluntatem non determinasse voluntatem creatam ad bene operandum in materia v. gr. temperantiae, cognoscit evidenter quod voluntas creata peccabit et deficiet ». Qua ratione asseri potest quod voluntas creata ex sese (h. e. absque physica praedeterminatione ad bonum) *infallibiliter deficit* circa *quamcumque* materiam virtutis ? Praeterea *voluntatem deficere circa quamcumque materiam virtutis* hic significat: voluntatem eligere malum morale; sed eligere est *agere:* nonne, in sententia Banezii, physica praedeterminatione indiget voluntas etiam ad eligendum objectum moraliter malum scil. ad peccatum ?

(3) De hac sententia cf. BANNEZ, *Scholastica Commentaria in I P. S. Thomae,* Q. XXIII, a. 3; ALVAREZ, *De auxiliis,* Disp. VII, n. 8-10; BILLUART, *De Deo,* Dissert. VI, a. 4, § II, p. 179 ss.; etiam SCHNEEMANN, *Controv.,* p. 203 ss.; LE BACHELET, *Auctarium Bellarminianum :* quo in opere diversa referuntur scripta Bellarmini, qui exponit doctrinam Bannezii: v. in indice, v° : *concours.* — Non omnes theologi ordinis Praedicatorum illam sententiam admiserunt. Cf. SCHNEEMANN, *o. c.,* p. 98 ss., 134 ss.; nuper P. GUILLERMIN, in *Revue thomiste,* an. 1901-1903, sub titulo *de la grâce suffisante,* plures conscripsit articulos in quibus exponit sententiam qua excluditur eadem praedeterminatio physica voluntatis.

415. et refutatur,

Crisis. Hanc sententiam censemus esse certo falsam, quia implicite continet negationem libertatis physicae, quatenus adstruit necessitatem praedeterminationis physicae voluntatis ad unum. Quod si dari nequit praedeterminatio physica, nequit dari decretum divinum illam decernens.

Ostendendum porro est ex asserta necessitate praedeterminationis physicae *logice* sequi negationem libertatis indifferentiae (1).

416. utpote cum libertate, rite intellecta,

1) *Notio libertatis indifferentiae.*

a) Libertas haec est proprietas qua ens potest *eligere,* h. e. velle *unum* alio recusato (2).

Si essentiam illius actus perscrutamur, constat electionem praecise in hoc esse quod *voluntas ipsa active sese determinat ad volendum unum prae alio.* Haec activa determinatio tollit indifferentiam et constituit actum secundum determinatum; aliis verbis: activa determinatio voluntatis ad hoc prae alio, seu ipsa electio, *facit* praecise ut volitio *terminetur* ad *hoc* objectum prae alio.

b) Voluntas in eligendo est *domina* sui actus. Hoc dominium consistit praecise in hoc quod ipsa *determinat sese* ad volendum hoc prae alio: tunc enim revera voluntas *suam* facit electionem, formaliter quoad ejusdem *terminationem intentionalem* ad *hoc* objectum prae alio (3).

c) Quia voluntas in eligendo est domina sui actus, ideo *imputabilis* est ipsi actus, et potest esse meritorius seu exigitivus praemii, vel demeritorius seu exigitivus poenae.

417. incompossibilis.

2. *Libertatem indifferentiae seu electionis destruit praedeterminatio physica, quam Banneziani statuunt.*

Haec enim praedeterminatio physica est physica entitas, voluntati immissa, quae, non solum physice movet voluntatem ad eliciendum actum electionis, sed etiam ponit in ipso actu *determinationem ad hoc objectum prae alio* (4). Ergo, in illa sententia, non jam voluntas *ipsa sese determinat ad unum* prae alio, sed voluntas *determinatur* a Deo; *passive* se habet praecise ad hanc determinationem; quod clarius apparet consideranti praedeterminationem physicam esse *natura priorem* ipsi actui electionis: inde voluntas

---

(1) Loquimur hîc de libertate *indifferentiae* seu *electionis,* non de *libertate absolute sumpta.* Cf. S. BONAVENTURA, *in II Sent.*, Dist. XXV, *Opera,* t. II, p. 209 ss. : praesertim videsis ea, quae disserit ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.* t. V, v. 366, 551, 585, etc. ; *Méditations théologiques,* t. I, p. 367 ss.; *Goddelijke beschouwingen,* bl. 425, 460, enz.

(2) Cf. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. LXXXIII, a. 3.

(3) Quando loquimur de hoc quod voluntas *ipsa sese determinat* ad volendum unum prae alio, loquimur semper de *terminatione intentionali* electionis ad *hoc* prae alio, quae terminatio inest ipsi actui physico. Si quis contenderet ad ipsum actum physicum electionis requiri praemotionem physicam quae esset ad merum *exercitium* actus, et non poneret in voluntate determinationem intentionalem ad *hoc* objectum prae alio, haec assertio non contineret negationem libertatis indifferentiae. Attamen censemus non requiri praemotionem physicam immediate ad ipsum actum electionis. Cf. tractatum *De divina gratia,* n. 273 ss.

(4) Nisi ipsa determinatio ad hoc objectum *totaliter efficeretur* a praedeterminatione physica, haec non posset esse objectum decreti in quo Deus cognosceret actum liberum : quod aperte fatetur BILLUART, *o. c.* l. c., p. 181 : « Si [decretum in quo Deus cognoscit futura libera] sit *indifferens* ad futuritionem aut non futuritionem, ad consensum ponendum vel non ponendum, non poterit, *ut patet,* certo et infallibiliter ducere ad cognitionem consensus potius quam non consensus ».

elicit actum physice determinatum a Deo; ergo voluntas jam non ipsa sese active determinat ad volendum hoc prae alio, ergo non est libera, libertate indifferentiae (1).

Nec dici potest: determinatio electionis procedit et a Deo, tamquam a causa prima, et a voluntate tamquam a causa secunda: nam praedeterminatio physica est *naturà prior* actui electionis: eatenus illa entitas attingit actum voluntatis quatenus in eo physice ponit terminationem volitionis ad unum prae alio: ergo determinatio electionis venit active a solo Deo, voluntas mere passive se habet in accipienda determinatione, estque tantum *determinata, non determinans* semetipsam: actus a Deo *determinatus* elicitur a voluntate, non ipsa voluntas determinat actum suum.

Ex dictis patet non relinqui in voluntate dominium sui actus: nam per praedeterminationem physicam aufertur penitus activa indifferentia, qua praecise voluntas est domina sui actus.

Tandem ablato dominio illo, non remanet *imputabilitas* electionis.

Objectio.

418. Objectio contra nostram sententiam refutatur.

Si Deus non physice praedeterminaret electionem voluntatis creatae, haec electio non esset effectus Dei; atqui omne ens finitum, omnisque operatio entis finiti est effectus Dei; ergo oportet ut Deus physice praedeterminet in voluntate electionem.

R. Nego consequentiam propositionis conditionalis antecedentis. Etenim Deus est vere causa actus *electionis* secundum quatuor modos causalitatis qui assignantur a S. Thoma, *De Potentia,* Q. III, a. 7: « Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet in quantum *dat virtutem agendi,* et in quantum *conservat* eam, et in quantum *applicat actioni,* et in quantum *eius virtute omnis* alia *virtus agit* ».

Sed ex hoc *non sequitur:* 1° voluntatem quando jam est in actu volendi finem (ad cujus volitionem fuit physice praemota a Deo) indigere altera et nova praemotione ad ipsum actum electionis; 2° si requiri dicatur secunda praemotio, hanc esse physice praedeterminantem, seu physice efficere in volitione *terminationem ad unum prae alio.*

Praemotionem ita esse praedeterminantem omnino negamus. Nam causalitas divina *nequit destruere essentiam ejus cujus est causa.* Jamvero, in casu, agitur de electione, nempe de actu voluntatis qui est essentialiter liber, qui essentialiter consistit in hoc quod voluntas *ipsa sese active determinat* ad unum prae alio.

Illius actus essentia servanda est integra sub causalitate et motione divina. Hoc nitide docet S. Thomas: « Ad Providentiam divinam non pertinet rerum naturam corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam consequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur

(1) Ni fallor, in sententia quam impugnamus, praedeterminatio physica tam complete aufert a voluntate indifferentiam ad terminationem intentionalem actus volitionis, quam complete species intelligibilis *impressa* aufert ab intellectu indifferentiam ad terminationem intentionalem actus intellectionis; proinde, in illa sententia, non magis libera est voluntas *eligendo,* quam intellectus *cognoscendo.*

effectus contingenter. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter (h. e. non libere) movetur » (1).

Ergo *electio,* qua actio est, physice dependet a Deo. Sed haec dependentia est secundum conditionem seu essentiam illius actus. Jamvero essentia illius actus est ut *contingenter* ex causa sua proxima egrediatur; eatenus autem contingenter egreditur ex voluntate, quatenus haec est principium physice non *determinatum ad unum* sed *indifferenter se habens ad multa.* Haec autem non-determinatio non aufertur physice a motione divina, sed a voluntate ipsa, ideoque *motus voluntatis, sese determinantis ad unum, remanet contingens,* et non fit necessarius.

Ex dictis sequitur electionem esse *effectum Dei,* moventis omnem creaturam secundum conditionem ejus, sed non esse physice praedeterminatam ad unum a Deo.

419. Refutatio confirmatur.

Nota. Illa difficultas, quam solvimus, est praecipua quae opponitur nostrae sententiae: quatenus haec videretur penitus subtrahere actum liberum a causalitate divina, illumque statuere ut penitus independentem a Deo. Sed haec conclusio nec sequitur logice ex nostra sententia, nec admittitur a nobis. Actus enim liber, quà operatio creaturae est, physice dependet a Deo; Deus etiam ita potest movere quemlibet hominem ut sese *libere* determinet ad eligendum hoc prae alio. Sed tenemus omnino rejiciendam esse sententiam quae dependentiam actus liberi a Deo ita *explicat* ut includat *negationem libertatis indifferentiae,* astruendo physicam praedeterminationem voluntatis eligentis ad unum prae altero. Illius sententiae refutatio confirmatur ex hoc quod eadem est necessitas praedictae praedeterminationis physicae tam ad actum moraliter bonum, quam ad actum moraliter malum, seu *peccatum;* et consequenter quod, in eadem sententia, logice admittendum foret Deum esse causam peccati, adaequate spectati, in quantum est per se involvens *voluntariam* i. e. *liberam* privationem moralis rectitudinis. Etenim, in sententia, quam impugnamus, Deus non solum vult ut homo eligat et permittit ut homo eligat id quod abludit ab ordine morali, sed Deus *vult* et, voluntatem physice praedeterminando *physice efficit* ut homo velit *hoc* prae altero: ergo Deus in hypothesi, actum peccaminosum prae actu virtuoso producit in voluntate humana; consequenter volitio peccaminosa, licet eliciatur a voluntate humana, non jam *imputabilis* est ipsi, quia aufertur *determinatio activa* illius actus ab activitate voluntatis creatae (2).

420.

Cl. P. Pègues, *Comment. franç. littér. de la Somme théologique,* T. I, 1e P., p. 113, censet sententiam Bannezianorum non opponi notioni libertatis verae, et tenet falsam notionem libertatis esse apud illos qui praedictam sententiam rejiciunt: haec falsa notio consisteret in hoc quod libertas haberetur ut *independentia* a Deo, non autem ut *dominium* voluntatis in *proprium actum.*

At nos minime putamus actum electionis esse physice *independentem* a Deo; e contrario, tenemus totam realitatem actus physice dependere a Deo, et hunc actum ab aeterno praecognosci a Deo et ordinari (3). Sed de illius actus essentia est ut *terminatio sua intentionalis ad objectum hoc prae alio,* sit plene a voluntate: in hoc est *libertas.*

(1) *Sum. theol.,* I-II, Q. X, a. 4.

(2) Cf. card. BILLOT, *De Deo,* thes. XII, p. 219; ID., *De personali et originali peccato,* p. 18; DE BAETS, *o. c.,* p. 97 ss. Circa distinctionem inter *materiale* peccati et *formale,* cf. card. BILLOT, *o. c.,* p. 43; *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 334 ss.

(3) Cf. suprà n. 354, 387.

Et in hoc praecise est *dominium* voluntatis in *actum proprium.*

De mente S. Thomae

1. Hujus *dominii eamdem omnino notionem* habemus, quam exponit saepe S. Thomas, qui docet rationem libertatis indifferentiae et dominii voluntatis in suum actum esse praecise in hoc quod voluntas *ipsa sese determinat* et *non determinatur ab extrinseco* in electione formaliter considerata. Quosdam textus S. Thomae, desumptos ex variis ejusdem operibus, hîc referimus:

In II Sent., Dist. XXV, Q. I, a. 1: « Judicium de actione propria est solum in habentibus intellectum, quasi in potestate eorum constitutum sit *eligere* hanc actionem vel illam; unde et *dominium* sui actus habere dicuntur. Et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis, *quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus,* sed a quibusdam aliis causis prioribus ».

In II Sent., Dist. XXXIX, Q. I, a. 1: « Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum, vel illum, *non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate* » Et *ibid.*, art. 2: « Ratio culpae in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo qui habet dominium sui actus; hoc autem est in homine secundum illam potentiam quae ad plura se habet, *nec ad aliquod eorum determinatur nisi ex seipsa, quod tantum voluntati competit* ».

Sum. cont. Gent., L. I., c. 68: « Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit *determinationem virtutis ad unum,* et molestiam (al. violentiam) causae exterius agentis. Non autem excludit influentiam superioris causae a qua est ei esse et operari; et sic remanet causalitas in causa prima, quae Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus *seipsum cognoscendo,* hujusmodi cognoscere possit ».

De Pot. Q. III, a. 7, ad 13: « Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causae primae, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; *et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis* ».

3. Quando S. Thomas explicat modum proprium secundum quem voluntas movet se ad electionem, excludit *determinationem* a Deo immissam:

Sum. theol., I-II, Q. IX, a. 3: « Intellectus per hoc quod cognoscit principium, reducit seipsum de potentia in actum quantum ad cognitionem conclusionum; et hoc modo movet seipsum; et similiter voluntas per hoc quod vult finem, *movet seipsam ad volendum ea quae sunt ad finem* ». *Ibid.*, ad 1: « In quantum actu [voluntas] vult finem, *reducit se de potentia in actum* respectu eorum quae sunt ad finem, ut scilicet actu ea velit. Et *ibid.*, Q. X, a. 4: « Quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod *non ex necessitate ad unum determinet,* sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter movetur » (1).

Illi textus non contradicunt doctrinae S. Thomae de motione physica, a Deo immissa, quae requiritur ut voluntas (et quaelibet facultas operativa) de mera

---

(1) P. DUMMERMURTH, in opere : *S. Thomas et doctrina praemotionis physicae,* bene ostendit a S. Thoma doceri physicam praemotionem ad operandum in creatura requiri a parte Creatoris, sed male concludit a S. Thoma doceri liberum arbitrium physice praedeterminari a Deo ad omnes actus suos. Nominatim illum textum non rite explicat (*o. c.*, p. 166 ss.) ac si S. Thomas intenderet : Deus voluntatem physice quidem *praedeterminat ad unum, non autem ex necessitate,* sed *per modum liberi.* Talis explicatio nequit admitti : etenim, in textu S. Thomae (v. textum integrum suprà, 418), immunitas a necessitate est idem ac immunitas a determinatione physica ad unum : nam in his ad quae naturaliter [h. e. non libere] movetur voluntas, motus ejus est physice *necessarius :* quia ad haec objecta voluntas determinatur physice, et non ipsa sese movet ad unum prae alio. Sed in his ad quae voluntas movetur libere seu propria electione (h. e. in iis quae sunt media ad finem), motus voluntatis est physice *contingens :* quia voluntas non physice determinatur ad unum, sed ipsa sese active determinat ad unum prae alio. Quapropter ut motus voluntatis sit physice contingens, seu liber, oportet ut non physice praedeterminetur ad unum a Deo : ergo moveri per modum liberi est moveri ita ut ipsa electio non physice praedeterminetur ad unum, et moveri ex necessitate est moveri ita ut actio physice praedeterminetur ad unum.

potentia transeat ad ipsum agere (1), sed excludunt quod ipsa electio physice a Deo praedeterminetur ad unum seu specificetur ad unum volendum prae alio.

Ad rem card. Billot, *De Deo,* Thes. XXII, p. 220: « Testimonia autem ubi [S. Thomas] dicit Deum movere voluntates, applicare omnes creaturas ad agendum... etc. profecto extra quaestionem [praesentem] sunt. Haec enim et similia significant Deum esse auctorem agentibus creatis ut de potentia actus primi transeant in actualitatem actus secundi; sed quod determinate exeant in actum hunc vel illum, hoc semper dependet, juxta Angelicum, ex forma seu virtute activa per quam operantur, si sit naturaliter ad unum determinata..., si autem sit liberum arbitrium tunc actus, sub motione Dei, est a creatura etiam *secundum determinationem agentis ad actum, et hoc proprie in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate* » (2). Ergo S. Thomas non admittit *physicam praedeterminationem electionis* a Deo immissam voluntati; imo haec repugnat doctrinae ejus. Nec docuit S. Thomas explicite futuribilia cognosci a Deo in decreto divino statuente praedeterminationes physicas voluntatis creatae; imò talis assertio incompossibilis est cum doctrina S. Thomae de libertate.

2. Quando S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. XIV, a 8, docet scientiam Dei, secundum quod adjunctam habet voluntatem, esse causam rerum, loquitur de rebus quandocumque *existentibus;* et sensus est; res existentes, *formaliter ut existentes,* cognosci a Deo, in sua voluntate qua vult *esse* tales res. Non dicit S. Thomas voluntatem Dei esse *medium* quo Deus cognoscit res secundum quod determinate sunt; imo supponit cognitionem propriam et distinctam rerum esse in mente divina et accedere voluntatis decretum ut *producat* determinatos effectus. Quomodo scientia Dei se habeat ad res existentes explicat hac comparatione: « Scientia Dei se habet ad res omnes creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata ». Jamvero scientia artificis circa artificiata est omnino determinata et distincta, quoad totam rem artificiatam, *antecedenter* ad volitionem artificis, qua eligit tale vel tale artificiatum *producere.* — Quando S. Thomas, *ibid.*, a. 6, explicat quomodo Deus cognoscat *alia a se,* et illa cognoscat cognitione *propria,* secundum quod aliae res ab aliis distinguuntur, tradit unice hanc rationem, nempe quod Deus alia a se cognoscit *in sua essentia,* quatenus omnia praeexistunt in divina essentia, quatenus omnia sunt aliquis modus imitandi divinam essentiam. « Non autem Deus perfecte seipsum cognosceret, nisi cognosceret quomodocumque participabilis est ab aliis sua perfectio. Nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi ». Haec etiam valent de actibus *liberis* creaturarum.

Quando S. Thomas, *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 68, dicit: « Sicut igitur Deus cognoscendo suum esse, cognoscit esse cujuslibet rei, ita cognoscendo suum intelligere et velle, cognoscit omnem cogitationem et volitionem » intendit : *ideo* Deus, cognoscendo suum intelligere et suum velle, cognoscit omnem cogitationem et volitionem *quia* omnis cogitatio et volitio creaturae est quaedem distincta *imitatio* τοῦ intelligere et τοῦ velle Dei (3).

421.
2) Sententia de SUPERCOMPREHENSIBILITATE *voluntatis exponitur,*

Secunda sententia est eorum qui statuunt actus liberos hypothetice futuros cognosci in SUPERCOMPREHENSIONE VOLUNTATIS CREATAE. Hanc sententiam exprimit Bellarminus his verbis: « Deus igitur, quia perfecte cognoscit omnes propensiones et totum ingenium animi nostri, et rursum non ignorat omnia quae illi possunt occurrere in singulis deliberationibus, et denique perspectum habet quid magis congruum et aptum sit ut moveat talem

(1) Cf. PIGNATARO, *De Deo creatore,* p. 516 ss.; VAN DER MEERSCH, *De divina gratia,* n. 262 ss.
(2) Ita S. THOMAS, *In II Sent., Dist.* XXXIX, Q, I, a. 1.
(3) De modo quo Deus cognoscit futura contingentia loquuntur CAPREOLUS, *In I Sent.*, dist. XXXVIII; CAJETANUS, *In Sum. Theol.*, I, Q. XIV, a. 13, n. X ss.; FERRARIENSIS, *In Sum. contr Gent.*, L. I, c. 67. — De interpretatione quam de sententia Capreoli proponit cl. Ude, vide quae diximus in nostro tractatu *De divina gratia,* n. 327.

animum tali propensione et ingenio praeditum, infallibiliter colligit quam in partem sit animus inclinaturus » (1).

422. ac refutatur, utpote insufficiens medium cognitionis divinae proponens.

Crisis. 1. Praenotemus hac sententia non excludi Deum *in ipsa sua essentia* supercomprehendere humanam voluntatem. Nam ipse Bellarminus, in opusculo *De novis controversiis* (2), quum teneat Deum cognoscere futura conditionalia *in humana voluntate,* dicit non ideo pendere scientiam divinam a creatura. « Nam humanam voluntatem Deus videt, non per speciem ab illa acceptam sed per divinam suam essentiam. Quod autem Deus ita intime penetret humanam voluntatem et omnia objecta quae illi proponi possunt, ut certo cognoscat ad quid sit se determinatura, si hoc aut illud ponatur, oritur id ex infinita perspicacia divini intellectus, qui scrutatur renes et corda ».

2. Haec tamen sententia admitti non potest ut videtur, eo quod ipsam creatam voluntatem ponit ut medium cognitum per quod Deus cognosceret determinationem illius voluntatis ad unum, si poneretur in determinatis adjunctis. Praecise quia voluntas de se indifferens est et ipsa sese determinat ad unum prae alio, ideo in ipsa, in signo priori ad suam electionem, nequit electio certò cognosci: *electio* enim *determinata* non praecontinetur in voluntate ut effectus necessarius in sua causa. Quapropter dicimus: eatenus res in sua causa *cognoscitur,* quatenus *est* in sua causa; actiones autem liberae sunt in voluntate *contingenter* tantum, scilicet ita sunt in voluntate ut ex ea possint esse et non esse; quicumque igitur voluntatem, etiam positam in actu primo ad electionem, intuetur, nonnisi conjecturaliter et cognitione incerta cognoscit electiones : quae cognitio in Deo esse nequit (3).

Idem argumentum valet contra omnem sententiam quae statuit voluntatem creatam, *in actu primo* consideratam, esse medium objectivum cognoscendi actum secundum, nempe determinatam electionem (4).

Hanc opinionem ne confundas cum sequente:

423. Alia sententia.

Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicae,* in *Collat. Brug.,* t. IV, p. 504, ad declarandum modum quo Deus in essentia sua cognoscit actus liberos absolute futuros, proponit hanc sententiam: actus liberos absolute futuros cognocit Deus in suae voluntatis decreto absoluto, quo decernit creaturam rationalem poni *in actu primo* electionis: scilicet Deus actum primum [h. e. omnia quae requiruntur ut v. gr. homo debeat hîc et nunc eligere] cognoscit immediate in suo decreto. « Jamvero actus primus, ut supra vidimus, licet non determinet creaturam agentem ad unum, adeoque nec immediate actus liber in dicto decreto cognoscatur,

(1) *De gratia et libero arbitrio,* L. IV. c. 15, n. 20-22. Eamdem sententiam quidam tribuunt Molinae; sed de illius sententia non certo constat.

(2) Apud LE BACHELET, *Auctarium Bellarminianum,* p. 107. Hoc opusculum scripsit Bellarminus, an. 1597, ut responderet opusculo composito ab Alvarez.

(3) Cf. KLEUTGEN, *De ipso Deo,* n. 550; DE BAETS, *o. c.,* p. 68.

(4) Cf. SUAREZ, *Opusc. de scientia Dei,* L. II, c. 7, n. 4, *Opera,* t. XI. p. 365. Hoc in loco sic arguit : « Effectus in causa cognosci non potest, nisi secundum esse quod habet in illa; sed effectus *contingens* in causa sua proxima, etiam proxime disposita ad operandum cum omnibus requisitis, non habet esse certum et determinatum, sed indifferens; quia virtus causae neque est ex se ad illum determinata, neque ex omnibus adjunctis sufficienter determinatur; ergo non potest talis effectus in tali causa cum certitudine cognosci ».

determinat tamen ad hoc ut creatura agere debeat, necne, adeoque, posito decreto actus primi, necessario oritur actus secundus vel non, ut realitas actualis cognoscibilis, vel nihil, et sic, mediante decreto actus primi, Deo cognoscibilis est actus secundus liber » *o. c.*, p. 505. — Quoad futuribilia, cognitio quam de illis habet Deus, explicatur modo simili: « Sicut sub decreto *absoluto* actus primi vidimus Deum mediate cognoscere actum liberum, ita plane et simili omnino modo, explicandum est Deum mediate cognoscere, sub decreto actus primi *conditionato*, actum liberum qui esset, licet, conditione non verificanda, non sit futurus. Discrimen ergo solum est, quod quidem actum primum attinet, eum non videri scientia visionis, sed solum scientia simplicis intelligentiae in decreto conditionato cognosci; quod vero actum secundum futuribilem spectat, hujus scientiam causari, mediante decreto illo conditionato, a scientia actus primi, modo supra explicato, cum hoc discrimine quod, sicuti actus primi scientia non est visionis sed simplicis intelligentiae, ita scientia actus secundi futuribilis non est visio, nec stricte scientia simplicis intelligentiae, ad quam tamen proprius accedit et pertinet potius quam ad visionem... Inde nonnulli theologi hanc scientiam *mediam vocare* voluerunt ». *O. c.*, p. 506.

Infrà (eodem *o. c.*, t. V, p. 108) agens de divina voluntate, citat S. Thomam, *Sum theol.* I. Q. XIX, a. 8, cujus doctrinam praesenti quaestioni applicat in hunc modum: Voluntas Dei, cum sit efficacissima, non tantum vult aliquem actum (liberum) fieri, sed et vult eum *libere* fieri, et ideo aptat causam liberam, nempe voluntatem, ut libere agat. Atqui haec aptatio voluntatis, in casu, fit ponendo voluntatem in actu primo proximo, quo posito velle debet vel non (Cf. S. THOMAS, *In I Periherm.*, l. 5ª). Si non vult, nulla est causa quaerenda, cùm non velle nihil sit, et nihili nulla sit causa. Si vult, causa actus volendi est : proxima quidem seu secunda, ipsa voluntas humana; remota vero seu prima, Deus qui posuit voluntatem humanam in actu primo proximo, quo velle debuit vel non. Et in electione, unum tantum membrum est realitas aliqua, adeoque cognoscibilis, cùm alterum sit ejusdem mere negatio contradictoria. Ergo, mediante actu primo determinatur actus secundus ad hoc ut sit, nempe sit aliqua realitas et cognoscibilis, vel non sit adeoque deficiat realitas et cognoscibilitas; manetque unum tantum cognoscibile.

Haec quidem non directe eo tendunt ut demonstretur formalis ratio sub qua Deus cognoscit actus liberos in essentia sua, quod omnino nobiscum asserit Auctor; ad hoc vero spectant ut ostendatur modus quo actus liberi, sive futuri, sive futuribiles, determinatam cognoscibilitatem habent, qua sub medio objectivo cognitionis divinae cadunt. Unde compleri potest expositio hujus opinionis per sententiam nostram suprà, n. 408, vindicatam de medio objectivo in quo Deus eosdem actus liberos cognoscit.

424. 3) Sententia de cognoscendis IN IPSORUM OBJECTIVA VERITATE *exponitur.*

Tertia sententia est eorum qui statuunt cognosci a Deo futuribilia in IPSORUM OBJECTIVA VERITATE.

Hanc sententiam propugnat Suarez, illamque exprimit his verbis: « Dicendum est Deum cognoscere haec futura [contingentia] solum per simplicem intuitum veritatis vel rei quae futura est in sua temporis differentia, et prout in illa futura est, et secundum omnes conditiones existentiae quas in illa est habitura » (1). Et alibi clarius: « Dicendum ergo est Deum cognoscere haec futura conditionata sua infinita virtute intelligendi, *penetrando immediate veritatem, quae in ipsis est seu concipi potest, neque indigere aliquo alio medio ut illa cognoscat* » (2).

(1) *O. c.*, L. I, c. 8, n. 2, p. 327 s.

(2) *O. c.*, L. II, c. 7, n. 15, v. 369. — Eamdem sententiam propugnant DE SAN, *De Deo uno*, n. 198 ss.; PESCH, *Prael. dogm.*, t. II, n. 271 ss.

Crisis. Haec sententia non est admittenda.

425. *et rejicitur utpote non compossibilis cum veritate asserente Deum in sua essentia cognita cognoscere omnia.*

1. Etenim illa sententia non respondet proprie quaestioni propositae, quae erat *de medio* in quo Deus cognoscit actus liberos. Non negant, imo affirmant, defensores illius sententiae, quod essentia divina est causa illius cognitionis, quatenus est virtus cognoscendi infinita et habetur tamquam species intelligibilis repraesentans omne verum: sed nulla indicatur connexio inter essentiam divinam et hoc objectum cognoscibile, quod est actus liber; quapropter non respondetur quaestioni propositae, scilicet *sub qua ratione* considerata essentia divina repraesentet actiones liberas, quae vel actu futurae sunt vel, posita conditione, futurae essent (1).

2. Praeterea componi non potest illa sententia cum thesi demonstrata suprà, n. 398, quae statuit *mediatam* esse omnem cognitionem divinam de entibus a Deo distinctis. Etenim eatenus Deus cognoscit entia a se distincta quatenus *in essentia sua cognita* et *trans suam essentiam* attingit illa intentionaliter: jamvero, secundum sententiam quam impugnamus, actus liberi sunt termini *immediati* cognitionis divinae, sunt objectum in quod divinus intuitus fertur *nulla re interposita* in ratione objecti *cogniti.*

3. Inde iterum apparet cur non possit admitti praedicta sententia: nam ut sit in Deo cognitio actuum liberorum requiritur aliqua ratio determinans hanc cognitionem in Deo: jamvero veritas objectiva illorum actuum nequit esse ratio determinans illam cognitionem: nam « veritas objectiva futuribilium nihil reale est extra intellectum apprehendentem illam; unde repugnat ut sit conditio realis ex qua esset expetenda determinatio cognitionis » (2). Veritas objectiva futuribilium est formaliter *terminus* cognitionis divinae; nequit proinde esse *principium determinans* illam cognitionem (3).

Caput III.

DE VOLITIONE DEI.

426. *Ordo dicendorum.*

Post considerationem eorum quae ad Dei intellectum pertinent, considerandum est de his quae pertinent ad voluntatem divinam. Circa quam diversa nobis occurrunt exponenda, quae dividimus in quatuor articulos: *primum:* de volitione divina secundum se spectata; *secundum:* de objecto et de divisione volitionis divinae; *tertium:* de modo et de efficacia ejusdem; *quartum:* de morali perfectione seu sanctitate Dei.

Articulus Ius. **De volitione divina secundum se spectata.**

Propositio. **In Deo est volitio infinite perfecta.**

427. *In Deo est volitio infinite perfecta.*

Haec propositio est de fide: definitio exhibetur suprà, n. 340.

(1) Cf. Kleutgen, *o. c.*, n. 548.
(2) Card. Billot, *De Deo*, thes. XXI, p. 204.
(3) Cf. De Baets, *o. c.*, p. 74 ss.

Hoc est de fide; demonstratur A) ex S. Scriptura,

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura.

De Dei voluntate vix non omnes sacrae paginae loquuntur, nec ratio est ulla haec tropice exponendi.

Psalmista, *Ps.* CXXXIV, 1-6, hortatur pios ad laudandum Deum propter ejus benignitatem, specialiter quoniam Jacob, populum Israël, Dominus sibi *elegit* in populum peculiarem; deinde magnitudo Dei describitur his verbis: « Omnia quaecumque *voluit* Dominus fecit in coelo et in terra ».

Eodem sensu dicit S. Paulus, *Ephes.*, I, 11, de Deo: « Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae ».

Christus ipse Patrem orans dicit: « Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu [vis, hoc fiat] ». *Marc.* XVI, 36. His verbis tam vere Deo attribuenda est volitio, quam Christo homini.

Igitur est in Deo formaliter volitio proprie dicta. Haec porro perfectio, utpote Deo inexistens, est infinita. Cf. suprà, n. 202.

Confirmatur argumentum his locis, quibus Deo attribuitur amor, benignitas, justitia, liberalitas: quae non nisi volitio esse possunt.

428.
B) ex ratione

B. Ex ratione.

1. Si in Deo est intellectus, in eo est etiam volitio; atqui est in Deo intellectus; ergo in eo est etiam volitio.

2. Praeterea omnis operatio divina est, in Deo, infinite perfecta, ergo et volitio divina.

1. *Major* declaratur. Omne ens ordinatur intrinsece seu inclinatur in proprium bonum.

Ens autem habet esse in actu per propriam formam. Quaelibet porro res ad suam formam naturalem habet hanc habitudinem, ut quando non habet ipsam, tendat in eam, et quando habet ipsam quiescat in ea. Et haec habitudo ad bonum vocatur appetitus *naturalis* seu *innatus*.

Sed entia capacia cognitionis, praeter suam formam naturalem, qua consistunt in suo esse, in se suscipiunt intentionaliter formas quoque rerum aliarum. Ex his objectorum formis, intentionaliter susceptis, feruntur entia cognoscitiva in ipsa objecta (1), inclinatione quadam speciali: quae, quia exercetur actu quodam distincto, vitaliter elicito, vocatur appetitus *elicitus*. Igitur ad cognitionem *connaturaliter* sequitur *appetitus elicitus*.

Jamvero duplex est cognitionis genus: unum *sensibile*, ad quod consequitur appetitus sensitivus seu animalis; alterum *intellectivum*, ad quod consequitur appetitus intellectivus seu rationalis. Ergo ubi habetur intellectus, ibi habetur et voluntas; in Deo porro, quum sit actus purus, necessario est voluntas in actu, seu volitio.

---

(1) Dicitur : *in ipsa objecta*, non : in ipsas formas intellectuales : per has formas cognoscuntur seu apprehenduntur *res*, et in res ipsas tendit appetitus.

Minor demonstrata est suprà, n. 343.

2. Secundum ratiocinium non indiget declaratione.

Ulterior explicatio.

429. Volitio divina est realiter idem ac Deus, prorsus independens, in se unica, aeterna, immutabilis.

1. Volitio divina est operatio *formaliter immanens*. Est realiter *idem* ac *esse* seu *essentia* Dei et non nisi ratione distinguitur ab illa. Cf. suprà, n. 128 s., 133, 141, 177.

Consequenter volitio divina, sicut et ipse Deus, est *prorsus independens* a rebus, *simultanea* seu unico actu terminata ad omnia quae sunt ejus objectum, *aeterna, immutabilis*. Cf. suprà, n. 346 ss.

430. In nostra voluntate diversi sunt actus.

2. In nostra voluntate sunt diversi actus, specifice ab invicem distincti, qui correspondent passionibus proprie dictis, existentibus in appetitu sensitivo (2).

Illi actus nostrae voluntatis sunt: amor, desiderium, gaudium, — odium, fuga, tristitia; — audacia, timor, — spes, desperatio; — ira (3).

Licet voluntas divina sit unus et simplicissimus actus, tamen in eo rationes formales plurium actuum possunt distingui. Inde inquiritur quinam actus *formaliter* insint Deo (4), quinam, consequenter, *proprie* dicantur de Deo.

Quaestio proposita non potest dirimi ex S. Scriptura: quia ex illa non edocemur quaenam *proprie* attribuantur Deo, et quaenam tantum *metaphorice*.

Quamvis apud theologos inveniantur diversae sententiae, disceptatio tamen magis de nomine est quam de re. Quae tenenda censemus, breviter exponemus.

431. In Deo formaliter sunt amor et gaudium.

a) Amorem et *gaudium* in Deo esse *formaliter* et *proprie* dici de eo, una est omnium sententia. Amor est volitio boni alicui: hic actus nullam importat imperfectionem; imo est necessario primus actus cujuslibet appetitus (5). Gaudium est quies in bono possesso: iterum haec est mere perfectio (6).

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, XIX, a. 1; KLEUTGEN, *De ipso Deo*, n. 555; DE JAEGHER, *o. c.*, n. 380; PÈGUES, *Comment. franc. littér.* t., I, 2e P., p. 236 ss.

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 384. « Cum potentiae distinguantur proxime per actus formaliter sumptos, id est, ad objecta formalia comparatos, repugnat potentias esse diversarum specierum, et eorum actus esse ejusdem speciei, et ideo cum dicitur passionem secundum eamdem rationem speciei esse in voluntate, intelligendum est non de identitate simpliciter, sed proportionali. In voluntate enim est operatio ejusdem rationis secundum quamdam proportionem cum operationibus appetitus sensitivi, non autem ejusdem omnino et simpliciter rationis specificae ; et similiter intelligendum est quum dicuntur esse in Deo secundum rationem suae speciei ». FERRARIENSIS, *In Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 90.

(3) Illi actus, apud nos, sunt *passiones affectivae* et secundum hanc rationem *generis* includunt imperfectionem, nec possunt inesse Deo, ut ostendit S. Thomas, *Summa cont. Gent.*, L. I, c. 89. Sed illorum actuum quidam, etiam secundum rationem *speciei*, includunt imperfectionem, quidam vero non. Inde inquiritur quinam actus voluntatis formaliter insint Deo, secundum formalem rationem *speciei*.

(4) « Manifestum est commotiones sensiles, quae cum animi nostri motibus conjunctae sunt et quarum causa hi motus *passiones* vocantur, in Deo, substantia spirituali purissima, esse non posse. — Sed nulli quoque animi *motus* et *affectiones* sensu proprio tribui Deo queunt. Proprie enim motus mutationem significat et affectio accidens est. Divinae autem substantiae nihil accidit nec ulla in Deo mutatio esse potest. Quare cum Deo affectum aliquem tribuimus, nihil aliud intelligimus, quam illum voluntatis actum, ad quem nos affectu movemur, ut cum bona volumus ei erga quem amore afficimur ». KLEUTGEN, *o. c.*, n. 581. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 157 ss.

(5) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q, XX, a. 1; *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 91.

(6) Cf. ID., *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 90.

Desiderium non est formaliter in Deo: illud enim est amor de bono *ut absente,* seu de bono apprehenso *ut possibili consequi* et tamen *nondum habito:* jamvero respectu sui ipsius Deus nequit velle bonum acsi omne bonum non haberet (1).

Sed nec respectu aliorum, puta hominum, desiderium formaliter inest Deo. Nam desiderium est volitio boni *ut absentis* seu *futuri* relate ad illum *qui* vult bonum: jamvero nullum bonum, quod vult Deus, est ipsi absens: etenim omnia quae Deus vult, ab aeterno vult; proinde illa bona apprehendit seu cognoscit *ut praesentia,* quemadmodum suprà, n. 405, explicuimus; ergo volitio divina boni terminatur ad bonum *ut praesens,* non ut absens vel futurum; ergo non habetur formaliter desiderium in Deo.

Quando Deus vult alii, puta homini, bonum quod ab homine nondum habetur, sed habebitur postea, tunc non proprie desiderat Deus bonum, quia illud bonum non *ut absens* est Deo objectum volitionis, sed ut praesens. Sicut Deus omnia, quandocumque existentia, cognoscit ut praesentia, ita omnia bona, in qualibet temporis differentia, existentia, vult ut praesentia, licet cognoscat et velit alia bona exstitura post alia: ergo bonum *ut absens* seu *futurum* non terminat actum volitionis divinae (2).

432. nec odium

b) Odium est contrarium amoris: sicut amor est actus voluntatis tendentis in id quod apprehenditur ut perficiens; ita odium est actus voluntatis avertentis se ab eo quod apprehenditur ut privatio perfectionis. Sic considerantur amor et odium ut actus terminati ad objectum, nempe ad bonum vel malum. Sub hac consideratione nequit in Deo esse formaliter odium: quia nihil potest apprehendi a Deo ut *malum sibi:* Deus enim est essentialiter et immutabiliter perfectus et beatus.

Sed amor si complete consideratur est, uti dicitur, *subsistentium* (3): nempe *terminatur simpliciter* motus amoris ad suppositum, quatenus amor est velle bonum *alicui* (4). « Motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, vel sibi vel alii et in illud cui vult bonum... Amor quo amatur aliquid ut *ei* sit bonum est amor *simpliciter;* amor autem quo amatur aliquid ut sit *bonum alterius* est amor secundum quid ». (5).

Inde intelligitur *odium simpliciter* esse velle alicui *malum ut* est *malum* illi et ita ut volitio sistat in malo alteri appetendo (6). Jamvero odium sic consideratum nequit esse formaliter in Deo: quia Deus non vult alicui malum *ut malum* illi: etenim, ut infrà dicetur, malum naturae et poenae

---

(1) Cf. CAPREOLUS, *In I Sent.*, Dist. XLV, Q, I, concl. 5ª, t. II, p. 566.

(2) Opposita sententia defenditur a KLEUTGEN, *o. c,* n. 584; a PESCH, *o. c.,* n. 314.

(3) « Cum amor sit boni, bonum autem sit in subsistente et accidente... dupliciter aliquid amatur : uno modo ut bonum *subsistens;* alio modo ut bonum accidentale, sive inhaerens. Illud quidem amatur ut bonum *subsistens,* quod sic amatur ut ei aliquis vult bonum; ut bonum vero accidentale seu inhaerens, amatur id quod desideratur alteri ». S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q, LX, a. 3. Cf. FERRARIENSIS, *In Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 96.

(4) Relate ad omnem amorem est finis *qui,* h. e. bonum *quod* aliquis vult; et finis *cui,* h. e. subjectum *cui* aliquis vult illud bonum. Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 289; *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 662.

(5) S. THOMAS, *o. c., I-II,* Q. XXVI, a. 4.

(6) Hoc est odium *inimicitiae.* Cf. BOUQUILLON, *De Virt. theol.,* n. 507 ss. et *Collat. Brug.,* t. I, p. 399 s.; LEHMKUHL, *Theol. mor.,* t. I, n. 616.

Deus non vult nisi volendo bonum cui conjungitur malum; malum autem culpae non vult Deus, sed permittit tantum. Quapropter odium non nisi *similitudinarie* est in Deo, et metaphorice illi attribuitur.

Id docet S. Thomas: « Dicitur autem Deus aliqua odire similitudinarie, et hoc dupliciter. Uno quidem modo ex hoc quod Deus amando res, volens eorum bonum esse, vult contrarium bono, scilicet malum, non esse: unde malorum odium habere dicitur : nam quae non esse volumus dicimur odio habere. — Haec autem non sunt effectus ut res subsistentes quorum proprium est odium vel amor. [Secundum hanc explicationem intelligendum est quo sensu dicatur Deus odisse peccata: nimirum, quatenus Deus vult bonum hominum, nominatim perfectionem moralem, vult non esse peccata]. Alius autem modus est ex hoc quod Deus vult aliquod majus bonum, quod esse non potest sine privatione minoris boni et sic dicitur odire, cum magis hoc sit amare. Sic enim in quantum vult bonum justitiae vel ordinis Universi [quod esse non potest sine punitione vel corruptione aliquorum] dicitur illa odire, quorum punitionem vult vel corruptionem » (1).

Etiam de odio, quatenus illud similitudinarie, non autem formaliter, inest Deo loquitur S. Thomas dicendo peccatores, formaliter ut peccatores, odio haberi a Deo. « Nihil prohibet unum et idem secundum aliquid amari, et secundum aliquid odio haberi. Deus autem peccatores, in quantum sunt naturae quaedam, amat: sic enim et sunt, et ab ipso sunt. In quantum vero peccatores sunt, non sunt, sed ab ipso esse deficiunt: et hoc in eis a Deo non est. Unde secundum hoc ab ipso odio habentur [quatenus scilicet Deus non vult illos esse secundum hoc] (2).

nec fuga, nec tristitia,

Nec *fuga* nec *tristitia* possunt formaliter inesse Deo: quia Deus non potest apprehendere aliquid ut malum sibi, nec, a fortiori, ut malum sibi praesens.

433. nec spes, nec audacia, nec desperatio, nec timor, nec ira.

c) Nec *spes,* nec *audacia* Deo formaliter inesse possunt: spes enim est de bono *arduo* seu *difficili* ad *consequendum,* audacia est de malo *difficili* ad *vitandum.* Multo minus Deo conveniunt *desperatio* aut *timor.*

d) Nec *ira* formaliter inest Deo: quia haec est de malo praesenti in subjecto quod irascitur (3).

434. Quo modo metaphorice dicuntur de Deo illi actus qui non sunt formaliter in ipso.

Ex dictis constat amorem et gaudium esse formaliter in Deo et proprie de illo dici, alios autem actus non nisi *metaphorice* dici. Haec autem metaphora est duplex, scilicet secundum similitudinem vel *effectuum,* vel alicujus *affectionis praecedentis.* « Dico autem *effectuum,* quia interdum voluntas ex ordine sapientiae in illum effectum tendit, in quem aliquis ex passione defectiva inclinatur. Judex enim ex justitia punit, sicut iratus ex ira. Deus enim dicitur aliquando iratus, in quantum ex ordine sapientiae suae aliquem vult punire... Misericors vero dicitur, in quantum ex sua benevolentia miserias hominum tollit, sicut et nos propter misericordiae passionem facimus idem... Dico autem per similitudinem *praecedentis affectionis:* nam amor et gaudium, quae in Deo proprie sunt, principia sunt omnium affectionum... dicitur ergo Deus tristari, in quantum accidunt aliqua contraria his quae ipse amat et approbat; sicut et in nobis est tristitia de his quae nobis nolentibus accidunt » (4).

---

(1) *Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 96.
(2) *Sum. theol.,* I, Q. XX, a. 2, ad 4. — Hoc est odium *abominationis,* quod, ut ex dictis constat, non est *formaliter* in Deo.
(3) Cf. KLEUTGEN, *o. c.,* n. 586.
(4) S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 91.

ARTICULUS II^us. De objecto et de divisione volitionis divinae.

§ I.

De Objecto.

435. Divinae volitionis objectum materiale primarium et objectum formale est bonitas divina,

PROPOSITIO PRIMA. **Volitionis divinae objectum materiale primarium et objectum formale est ipsa Dei bonitas; alia non sunt nisi objectum materiale secundarium.** Haec assertio ut certa docetur a theologis (1).

Demonstratio 1^ae partis.

1° Quum in Deo sit *voluntas* (n. 427), quum in Deo sit necessario voluntas *in actu,* quum fundamentalis et primarius actus cujuslibet voluntatis sit *amor,* sequitur Deum necessario amare aliquid et consequenter dari aliquod objectum quod determinat in Deo actum amandi et quod est primo ac per se amatum. Hoc autem objectum non nisi Deus esse potest: nam omne quod est a Deo distinctum est, sub omni respectu, a Deo dependens, proinde nihil nisi solus Deus potest esse Deo principium volendi.

2° Si ipse Deus est illud quod Deus primo et per se actu amat, oportet ut bonitas divina sit *ratio formalis* determinans in Deo actum amandi: eatenus enim aliquid est amabile quatenus est bonum. Quum unicus sit in Deo actus amandi, eatenus Deus aliquid aliud a se amat quatenus illud imitatur divinam bonitatem, seu quatenus illud est expressio aut participatio divinae bonitatis.

Demonstratio 2^ae partis continetur in prima: si volitionis divinae objectum formale est ipsa Dei bonitas, nihil extra se potest esse volitum a Deo nisi in essentia volita: ergo secundarie. Inde dicit S. Thomas: « Sicut alia a se intelligit [Deus] intelligendo essentiam suam, ita alia a se vult volendo bonitatem suam » (2). Quod significat: sicut Deus in essentia sua *cognita* cognoscit alia, ita in essentia sua *volita* seu amata vult alia.

436. Deus non necessario vult alia a se.

PROPOSITIO SECUNDA. **Deus non necessario vult alia a se.**

Demonstratio.

Hîc occurrit exponenda differentia inter cognitionem Dei et ejus volitionem : Deus in essentia sua cognoscit necessario omnia cognoscibilia, sed non vult necessario omnia volibilia seu amabilia. Ratio hujus est essentialis diversitas inter cognitionem et volitionem: cognitio enim est apprehensio intentionalis qua res cognita est in cognoscente, inde ut cognitio sit infinite perfecta, oportet ut terminetur actu ad omnia cognoscibilia; sed volitio est appetitus tendens in res secundum quod sunt in seipsis, inde ut volitio

(1) Cf. BILLUART, *De Deo,* Diss. VII, a. 2; PALMIERI, *De Deo creante,* thes. XI; card. BILLOT, *De Deo,* thes. XXV; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. V, p. 100; VAN NOORT, *De Deo,* n. 101.

(2) *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 2, ad. 2.

sit infinite perfecta, *oportet et sufficit ut terminetur ad rem quae est in se ipsa infinite bona.*

Etenim voluntas est essentialiter appetitus, inde naturaliter, vi essentiae suae, tendit ad id quod est bonum illius entis cujus est voluntas, quando illud bonum perfecte possidetur, tunc plene quiescit voluntas. Porro in Deo voluntas, necessario et vi essentiae suae, vult bonum proprium Dei, quod est bonum infinitum, ipse Deus: in illo voluntas divina plene quiescit et illo perfecte fruitur; consequenter non necessario tendit ad alia bona, quae non nisi limitatae imitationes esse possunt boni infiniti, et hoc non possunt intrinsece augere (1). Nec necessario, *absoluta necessitate,* vult Deus aliquam gloriam *extrinsecam:* haec enim consistit in cognitione et consequenti laude ac amore creaturarum intellectualium erga Deum; sed illa gloria non est nisi limitata imitatio infinitae contemplationis, amoris, gaudii, quibus ipse Deus semetipso fruitur. Proinde impossibile est ut Deus sibi *concupiscat* gloriam extrinsecam, ac si in hac consisteret aliqua specialis ratio boni, quo compleretur divina beatitudo. Attamen, *hypothetice;* sc. in hypothesi quod Deus velit creare entia, non potest non ordinare illa ad gloriam suam extrinsecam.

Corollarium. *Deus actu amat omnia existentia, non autem possibilia.* 1° Etenim amare nihil aliud est quam velle bonum alicui atqui Deus cuilibet existenti vult bonum; ergo Deus amat omnia existentia. *437. Deus actu amat omnia existentia,*

Declaratur *minor.* Omne ens existens (in qualibet temporis differentia) in quantum est, bonum est; sed omnis rei existentis causa est volitio Dei; ergo in tantum aliquid est in quantum est volitum a Deo, seu in quantum Deus illi vult bonum: ergo omni existenti vult Deus bonum, nempe totum bonum secundum quod est (2).

2° *Possibilia* entia sunt non actu sed in potentia: ergo sunt bona in potentia, non actu. Quare actu non amantur a divina voluntate. Quod enim actu amatur a divina voluntate, hoc aliquid recipit ab illa et proinde aliquid est. Dei enim amare est bonum velle. *Amari* igitur *possunt* possibilia a Deo, hoc ipso quod produci possunt; sed non amantur actu (3). *438. non possibilia.*

Ex hoc colliges :

1° Deus *ab aeterno* amat omnia existentia: nam ab aeterno vult esse omnia quae quandocumque sunt. Cf. suprà, n. 236. *439. Deus existentia amat ab aeterno,*

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 3. Et nota quod S. Thomas, *ibid.,* ad 6, explicat differentiam inter divinam scientiam et volitionem, et hujus differentiae assignat rationem desumptam ex parte objecti, exponendo cur res a Deo distinctae, ut *cognitae,* sint *necessario* termini scientiae divinae, res vero, ut volitae, *non necessario* sint termini voluntatis divinae : ratio illa est, quia res, ut *volitae,* sunt res secundum quod *sunt in seipsis* et secundum hoc sunt mere *contingenter;* res vero ut *cognitae* sunt res secundum quod sunt intentionaliter *in cognoscente* et secundum hoc sunt *necessario* in Deo. « Sicut divinum esse in se est necessarium, ita et divinum velle et divinum scire : sed divinum scire habet necessariam habitudinem ad scita, non autem divinum velle ad volita. Quod ideo est quia scientia habetur de rebus, secundum quod sunt in sciente; voluntas autem comparatur ad res secundum quod sunt in seipsis. Quia igitur omnia alia habent necessarium esse secundum quod sunt in Deo, non autem secundum quod sunt in seipsis, habent necessitatem absolutam, ita quod sunt per seipsa necessaria: propter hoc Deus quaecumque scit, ex necessitate scit, non autem quaecumque vult, ex necessitate vult ».

(2) Cf. S. THOMAS, *o. c.,* Q. XX. a. 2.

(3) Ita REMER, *o. c.,* t. II, p. 409.

440. inaequaliter,

2° Deus *inaequaliter* amat existentia ex parte boni quod illis vult, non ex parte intensitatis actus quo vult (1).

Magis amatur ille cui volumus majus bonum, quamvis non magis intensa voluntate. Amor autem Dei est causa bonitatis rerum: res autem aliae sunt *magis bonae* aliis: ergo quibusdam entibus Deus vult majus bonum quam aliis: haec inaequalitas amoris est ex parte boni quod vult Deus.

Ex parte autem *actus* quo vult Deus bonum *nulla* est *inaequalitas:* quia amat uno et simplici actu voluntatis, semper eodem modo se habente.

441. meliora magis amat.

3° Deus semper *magis amat meliora :* etenim « Deum magis amare aliquid, nihil aliud est quam ei majus bonum velle: voluntas enim Dei est causa bonitatis in rebus. Et sic, ex hoc sunt aliqua meliora, quod Deus eis majus bonum vult. Unde sequitur quod meliora plus amet » (2).

442.

PROPOSITIO TERTIA. **Nullum malum per se vult Deus; sed mala naturae vult per accidens, etiam mala poenae; mala autem culpae seu peccata non vult, sed permittit tantum.**

Quum in complexu rerum existentium dentur mala, quumque illa a Deo dependeant, inquirendum est utrum et qua ratione sint objectum volitionis divinae: cui quaestioni respondetur per quatuor asserta enuntiata in propositione.

443. Mali notio,

Sed praemittenda est notio *mali.*

Malum *formaliter* consideratum est *privatio boni,* scilicet carentia alicujus boni in subjecto cui hoc bonum positive debetur (3).

divisio:

Licet variae sint divisiones *mali* (4), triplex occurrit malum considerandum, videlicet *naturae, culpae, poenae.*

malum naturae,

Malum *naturae* est privatio alicujus formae sive perfectionis (vel in essendo, vel in operando) convenientis alicui enti physico. Ita caecitas, claudicatio, etc. sunt mala naturae animalis (5).

culpae,

Malum *culpae* est privatio rectitudinis moralis in actione libera, seu privatio ordinis ad finem ultimum.

poenae.

Malum *poenae* est privatio alicujus boni delectabilis, quam *ratione culpae* patitur creatura contra naturalem appetitum voluntatis (6).

444. Nullum malum per se et directe vult Deus,

Demonstratio.

1° *Deus nequit* VELLE PER SE *ullum malum.*

Etenim velle per se malum significat directe appetere malum reduplicative ut malum est. Jamvero prorsus repugnat non solum in Deo sed in omni

---

(1) Ita S. THOMAS, l. c., a. 3.
(2) S. THOMAS, l. c., a. 4.
(3) Cf. S. THOMAS, *o. c.,* Q. XLVIII, a. 3.
(4) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 225
(5) Notemus oportet malum naturae hic designare non tantum privationem formae materialis et defectum in operatione materiali, sed etiam privationem formae immaterialis et defectum in operatione immateriali; inde ignorantia, error, morum rusticitas, non culpabiles, reducuntur ad malum naturae. Consequenter hîc sub nomine mali naturae veniunt et malum *in natura,* nempe privatio formae pertinentis ad rei *integritatem;* et etiam malum *in operatione* tum *naturae,* tum *artis.*
(6) Cf. card. BILLOT, *De personali et originali peccato,* p. 76.

ente ut malum reduplicative tamquam malum appetatur. Etenim ratio appetibilis seu ratio propter quam formaliter appetitur aliquid est ratio boni: quum autem malum formaliter sit privatio boni, omnino impossibile est ut unquam malum reduplicative qua tale directe appetatur ab aliquo ente (1).

2° *Deus potest* VELLE PER ACCIDENS *malum* NATURAE.

445. vult per accidens malum naturae,

Velle per accidens malum significat velle per se aliquod bonum cui conjungitur aliquod malum, nempe cui conjungitur privatio alicujus boni. Ita, v. gr., fornicator vult per se delectationem et per accidens deformitatem culpae ac amissionem gratiae.

Sed omnino hîc notandum est quod: « Nunquam appeteretur malum nec etiam per accidens, nisi bonum, cui conjungitur malum, magis appeteretur quam bonum quod privatur per malum » (2). Et sane, consideremus ipsum actum voluntatis quo aliquis hic et nunc vult per se aliquod bonum et per accidens aliquod malum bono amato conjunctum: quid hoc importat?

Quum malum sit privatio alicujus boni, ille, qui per accidens vult malum, vult etiam privari se aliquo bono, puta B, quod hîc et nunc incompossibile est cum altero bono, puta A, quod per se amatur. Ergo qui vult per accidens malum, ille ita vult bonum A ut pro ejus assecutione vel conservatione sinat se privari bono B. Jamvero quando voluntas ita amat unum bonum ut pro eo habendo sinat se privari alio bono; talis voluntas primum bonum magis amat quam alterum. Hoc exemplis supra indicatis illustremus. Si homo per se vult conservari sanitatem et per accidens amputari aliquod membrum, magis amat sanitatem quam usum membri quod aufertur. Similiter qui per se vult fornicationem et per accidens deformitatem culpae, ille magis amat delectationem fornicationis quam ordinem ad Deum, aliis verbis magis amat hîc et nunc creaturam quam ipsum Deum.

Hoc posito, imprimis sequitur Deum posse velle per accidens malum naturae. Etenim *a)* naturae voluntatis cujuslibet non repugnat ut, quum velit per se aliquod bonum, velit etiam per accidens malum quod cum illo bono conjungitur: hoc ex supra dictis patet.

b) Praeterea non repugnat in Deo ut quoad malum naturae verificetur haec conditio de qua statim dicebamus, videlicet quod qui vult per accidens malum debet magis amare aliquod bonum quam illud bonum cujus privatio est per accidens volita. Etenim mala naturae multa naturaliter proveniunt ex hoc quod res creatae agunt secundum propriam formam et secundum leges a Deo statutas: nam propter contrarietates et repugnantias quae sunt in rebus una est alterius corruptiva (3). Ita vel animalia, vel plantae, vel mineralia, sive visibiliter sive invisibiliter quoad nos agentia secundum propriam formam, saepe alterant hominis corpus illudque corrumpunt. Igitur ut Deus possit velle per accidens mala physica sic fieri, requiritur

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, 1. Q. XIX, a. 9.
(2) S. THOMAS, *o. c.*, l. c. Cf. BUONPENSIERE, *o. c.*, n. 1071.
(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.*, L. III, c. 71.

et sufficit ut Deus magis amet « servari ordinem naturae » (1) quam bonum physicum alicujus particularis entis servari. Jamvero nemo non videt omnino tum sapientiae, tum potentiae Dei convenire ut Deus velit servari ordinem naturae ex quo mira Universi pulchritudo enascitur, quae Dei perfectionem enarrat: imo nemo non videt Deo convenire ut magis amet hanc pulchritudinem Universi quam bonum physicum entium particularium. — Praeterea quum malum physicum in homine possit esse materia circa quam versantur plures virtutes ut fortitudo, patientia, misericordia, quumque perfectio moralis multo sit praestantior quam physica perfectio, ideo Deo etiam omnino convenit ut volens per se moralem hominis perfectionem velit per accidens mala fieri physica.

446. vult etiam malum poenae;

3° *Deus potest velle malum* POENAE.

Ille vult per accidens malum poenae qui amat ordinem justitiae magis quam bonum humanum quo quis reus privatur per poenam. Atqui Deus justitiam suam plus amat quam bonum quodlibet creaturae. Ergo Deus potest velle per accidens malum poenae. Praeterea malum *poenae, qua tale,* potest Deus velle *ut medium.* Etenim malum *naturae, qua tale,* non potest velle Deus, nisi *per accidens* (non ut medium), sed malum *poenae qua tale,* nempe formaliter consideratum ut id, quo obtineatur correctio rei vel reparatio ordinis justitiae, potest Deus velle formaliter ut *medium* ad hunc finem (2).

447. non vult malum culpae,

4° *Deus non potest velle per accidens malum* CULPAE.

« Deus amat suam bonitatem magis quam bonitatem cujusvis creaturae. Sed qui vult per accidens malum culpae, amat bonitatem Dei minus quam bonitatem creaturae. Ergo impossibile est quod Deus per accidens velit malum culpae » (3).

448. sed permittit illud;

5° *Deus* PERMITTIT *malum* CULPAE.

Permittere hic nihil aliud importat quam velle non impedire. Nempe quum creatura intellectu praedita sit libera et ita quidem ut etiam valeat libere sese convertere ad commutabile bonum et sese per hoc avertere ab incommutabili bono, permittit Deus, nempe non impedit, quominus ita deficienter agat creatura.

449. haec permissio non repugnat perfectioni divinae.

Ratio autem cur sapientiae, potentiae, sanctitati divinae non repugnet talis permissio in hoc est quod malum culpae est per accidens *ordinabile* ad bonum: quatenus videlicet ex malo culpae consequitur per accidens aliquod bonum. V. gr. ex ipsa persecutione tyrannorum consequitur martyrium, quod eximius est fortitudinis actus. Praeterea ex omni peccato consequitur per accidens manifestatio divinae perfectionis et consequenter gloria Dei: etenim quatenus Deus parcit peccatori poenitenti ostendit suam

(1) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I. Q. XIX, a. 9.
(2) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De origine mali deque miseriis hujus vitae propter Deum tolerandis*, in *Collat. Brug.*, t. XIX, fasc. ultim.
(3) BUONPENSIERE, *o. c.*, n. 1073.

clementiam, quatenus vero punit peccatorem impoenitentem ostendit suam sanctitatem et nominatim justitiam.

Notemus bene illa bona quae per accidens sequuntur ex malo culpae non esse *finem* propter quem Deus vult permittere mala culpae, quatenus nempe Deus volens antecedenter vel voluntate antecedente illa bona, ideo tanquam *medium* permittat mala culpae. Illa bona nihil aliud sunt quam *conditio sine qua non* permissionis peccatorum, quatenus Deus non permitteret fieri peccata, nisi sciret talia bona ex illis esse secutura (1).

Quaeri potest an et qua ratione Deus velit tentationes. 449bis. *Quomodo Deus velit tentationes.*

1°) Tentatio *active* spectata et *formaliter* ut est actio impellendi moraliter aliquem ad peccatum committendum nequit esse in Deo, sicut docet S. Jacobus in epistola, I, 13. Impellere aliquem ad peccatum est peccare: quod Deus nequit velle. Sed Deus *permittere* potest ut daemones et homines tentent alios, sicut Deus potest permittere generatim peccata.

2°) Tentatio *passive* spectata, quatenus est impulsio seu motio quam aliquis subit ad malum morale committendum, *per se* non est malum morale sed est connaturalis effectus appetitus sensitivi et intellectivi: tentationem ita materialiter spectatam vult Deus saltem *per accidens* quatenus naturales operationes hominum vult et aliorum entium quae agunt in homines.

Sed tentatio passive sumpta et *formaliter* prout est inclinatio ad peccatum *permittitur* a Deo, quatenus non vult impedire illam inclinationem; simul autem vult Deus, voluntate signi, ut tentatus resistat tali inclinationi, et vult, voluntate beneplaciti, sufficiens auxilium dare ut tentatus possit resistere tali inclinationi.

Corollarium. *Deus non est causa efficiens per se ullius mali; sed est causa efficiens per accidens mali physici et mali poenae; nullo autem modo est causa mali culpae seu peccati.* 450. *Qua ratione Deus vult malum, eodem modo est causa ejus.*

Omnium rerum quandocumque existentium causa efficiens est Deus per scientiam prout haec adjunctam habet voluntatem (n. 382 ss.): igitur eatenus Deus est causa efficiens alicujus, quatenus illud vult; inde sequitur Deum eatenus esse *causam* mali quatenus illud *vult*. Inde conclusio, quam in corollario enuntiamus, infertur ex propositione modo demonstrata.

Eadem porro conclusio statuitur ex consideratione mali, prout illud in subjecto invenitur. 451.

1. Quum omne malum sit privatio boni, et proinde entis, sequitur *nullum agens* posse esse *per se causam efficientem mali* cujuslibet, quia nullum agens, qua *agens*, potest directe efficere privationem entis (2).

2. « Omnis privatio subjecto cuipiam inducitur per violentiam agentis extrinseci, cujus influxu res trahatur extra dispositionem suam naturalem » (3). Hîc porro influxus est operatio naturalis unius entis in aliud, quae operatio habet aliquem effectum positivum, ex quo sequitur privatio bonae dispositionis naturalis : ideo Deus est causa efficiens per se *operationis* creaturae et effectus positivi qui immediate sequitur ex illa operatione; et causa per accidens mali physici. — Eadem ratione Deus est causa mali physici, quod inducitur ut poena propter culpam.

(1) Inde posito quod sit peccatum, vult Deus bonum quod ex peccato consequitur : ex quo sequitur quod velit Deus mala facta ordinare, non autem quod velit ea fieri. Cf. S. THOMAS, *in I Sent.*, D. XLVI, q. 1, a. 4.

(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 226.

(3) ID. *ibid.*, n. 228.

3. Peccatum actuale est formaliter aversio libera a Deo tamquam ultimo fine; haec porro aversio inest electioni homini, qui libere vult hoc, quod hîc et nunc non potest velle. Haec electio specificatur seu *determinatur ad hoc,* quia *ipsa voluntas sese determinat ad hoc:* ideo causa propria et unica peccati est homo eligens (1) : ergo Deus nullo modo est causa peccati, ne per accidens quidem. — Iterum animadvertas quod si ipse Deus electionem hominis physice praedeterminaret ad unum, Deus esset causa peccati: quia ipse efficeret electionem *terminari* praecise ad *hoc:* in hac autem terminatione electionis consistit deformitas quae est propria peccati. Cf. suprà, n. 417-419.

Ratio differentiae inter malum naturae et malum culpae, quoad eorum originem a Deo, consistit in hoc quod malum naturae, licet per accidens, tamen *necessario* sequitur ex Dei operatione; malum vero culpae non necessario sequitur ex operatione divina, sed provenit a causa libera creata quae et quatenus est causa *determinativa* suae electionis. Quapropter Deus est causa *per accidens* mali *naturae,* non est causa mali culpae (2).

452. De fide est Deum non proprie causare peccata.

Nota. *De fide* est peccata humana ut a propria causa procedere ab homine, non a Deo, quippe qui permissive se habet ad peccata. « Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli: A. S. » (3).

§ II.

De divisione volitionis divinae.

453. Dei voluntas dividitur:

Sicut divinae scientiae (cf. suprà, n. 374), ita et volitionis seu voluntatis (4) divisio desumitur unice ex parte *objectorum* ad quae terminatur volitio Dei.

1° in necessariam et liberam;

1° Voluntas *necessaria* et *libera.*

Necessaria dicitur quatenus necessario terminatur ad bonum, quod est ipsa divina bonitas; *libera,* quatenus, non necessario, sed ex electiva determinatione terminatur ad bona, nempe ad res distinctas a Deo (cf. suprà, n. 435).

454. 2° in absolutam et conditionatam;

2° Voluntas *absoluta* et *conditionata.*

Absoluta est qua Deus decernit aliquid independenter ab omni conditione, ut v. g. creationem mundi, vel consequenter ad conditionem jam verificatam, ut mortem Adae post peccatum commissum.

Conditionata est qua aliquid decernit sub conditione adhuc suspensa, ut v. g. salutem omnium hominum, si sancta morte decedunt.

---

(1) Quod recte dicit CAJETANUS, *In Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 9, n. V : « Malum culpae non est effectus reducibilis in causas superiores; sed pro propria causa habet ipsum peccantem ut sic ».

(2) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I-II, Q. LXXIX, a. 1, demonstrat quod Deus non potest esse directe vel indirecte causa cui imputetur peccatum.

(3) *Conc. Trid.* Sess, VI, can. 6, *Enchir.,* n. 816.

(4) Quando sermo est de creaturis, nomen *voluntas* proprie significat *facultatem* volendi, nomen *volitio* proprie significat *actum* volendi, saepe tamen nomine *voluntas* designantur operationes voluntatis. In Deo non datur *formaliter facultas* volendi, sed eminenter tantum; datur autem formaliter *volitio,* seu *actio* volendi. Attamen ad actum volendi designandum in Deo, adhibetur plerumque nomen *voluntas,* nominatim quando traditur divisio quae, ratione rerum volitarum, attribuitur Deo.

3° Voluntas *antecedens* et *consequens*.

455. 3° in antecedentem et consequentem : significatio formalis,

Haec distinctio aliter ab aliis theologis exponitur.

1) Sententia S. Thomae :

a) Distinctionis praedictae declaratur SIGNIFICATIO FORMALIS.

Antecedens dicitur voluntas quae respicit aliquid prouti in se est, et abstracte seu absolute ab omnibus adjunctis quae possent hanc rem circumdare. *Consequens* dicitur voluntas quae respicit aliquid cum circumstantiis quae illud circumdant.

Ratio autem ponendi distinctionem inter voluntatem antecedentem et consequentem est quia aliquid, secundum quod absolute consideratur, potest esse bonum, quod tamen, consideratum cum aliquo adjuncto, jam non est bonum: inde *aliter* cadere potest sub voluntate aliquid quod consideratur in se ipso tantum, et *aliter* idem quod consideratur sub adjunctis; consequenter aliquis potest velle voluntate antecedente id quod non vult voluntate consequente, sed cujus contrarium vult, et sic habetur *oppositio in volito* inter antecedentem et consequentem voluntatem.

Porro *antecedens* dicitur illa voluntas quae est de re *per se*, h. e. ratione sui ipsius, bona; *consequens*, illa quae est de re *per accidens* bona: id enim quod est *per se* est *prius* eo quod est *per accidens*.

Audiamus S. Thomam: « Unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod *absolute* consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout *cum aliquo adjuncto* consideratur, quae est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi; et malum est eum vivere. Unde potest dici quod judex justus *antecedenter* vult omnem hominem vivere; sed *consequenter* vult homicidam suspendi. Similiter Deus *antecedenter* vult omnem hominem salvari; sed *consequenter* vult quosdam damnari, secundum exigentiam suae justitiae » (1).

Aliud exemplum tradit S. Thomas: « Exemplum de mercatore qui vult omnes merces suas salvare *absolute*, et hoc voluntate *antecedente*. Sed si consideret salutem, non vult omnes merces per comparationem ad alia salvare, sc. *quando cum salute* [*mercium*] *sequitur submersio navis*. Et haec est voluntas *consequens*. Sic in Deo salus omnium hominum in se considerata habet rationem ut sit volibilis... et sic ejus voluntas est *antecedens*. Sed si consideretur bonum justitiae, et quod peccata puniantur, sic non vult. Et haec est voluntas *consequens* » (2).

456. objectum.

b) Voluntatis antecedentis OBJECTUM est *salus* omnium hominum, voluntatis vero consequentis objectum, est *damnatio* quorumdam. Sic habetur vera *oppositio in volitis : salus* enim omnium opponitur *damnationi* quorumdam, deinde utrumque potest esse volitum a Deo: nam salus omnium

(1) *Sum. theol.*, I, Q. XIX, a. 6, ad 1.

(2) *Comment. in I ad Tim.*, c. II, lect. 1. Hanc distinctionem desumpsit S. Thomas e S. JOANNE DAMASCENO, *De fide orthodoxa*, L. II, c. 29. Cf. S. THOMAS, *In I Sent.*, Dist. XLVI, Q. I, a. 1; Dist. XLVII, a. 1-3; *De veritate*, Q. XXIII, a. 2; Q. XXVIII, a. 3, ad 15; CAPREOLUS, *In I Sent.*, dist. XLV, Q. I, concl. 4ª, t. II, p. 576; JUNGMANN, *De Deo*, n. 237, in nota (nam in textu aliter explicat distinctionem); KLEUTGEN, *De ipso Deo*, n. 617; card. BILLOT, *De Deo*, thes. XXVII.

est *in se,* abstracte ab adjunctis, bona et eatenus volita a Deo, damnatio quorumdam est, *propter adjuncta,* bona et eatenus volita a Deo.

Non datur oppositio in volitis, si consideratur *salus omnium* et *salus quorumdam,* nempe praedestinatorum : est eadem res bona, licet considerata secundum diversa rationis signa, quae in Deo distinguimus. Ut autem detur ratio distinctionis voluntatis divinae *ex parte volitorum,* requiritur ut *opposita* sint volita: nempe ut res quae *in se* est bona et proinde volita, non jam sit bona et volita si consideratur *cum adjunctis,* sed mala, inde ut contrarium ejus sit bonum et volitum (1).

457. Ulterior explicatio: voluntas antecedens est velleitas,

c) Voluntas antecedens recte dicitur *velleitas,* quia est voluntas *secundum quid* tantum (2); haec tamen velleitas non est mera fictio vel affectio omnino inefficax (3) : nam ad voluntatem Dei antecedentem consequitur quod hominibus omnibus concedit Deus media sufficientia salutis : etenim damnatio quorumdam, quae est objectum voluntatis consequentis, est propter peccatum, quod ex homine solo est, non ex Deo. « Ipse autem defectus peccati, quo aliquis redditur dignus poena in praesenti vel in futuro non est volitus a Deo neque voluntate antecedente neque voluntate consequente, sed est ab eo solummodo permissus » (4). Cf. suprà, n. 447 s... « Unde ex principali intentione miseretur [Deus] sed punit quasi praeter intentionem voluntatis antecedentis, secundum voluntatem consequentem » (5).

458. conditionata.

d) Tandem « voluntas antecedens potest dici voluntas *conditionata;* nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinae, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis quae exiguntur ad rectum ordinem in salutem » (6)

459. Sententia aliorum theologorum.

2) Sententia aliorum theologorum.

Dissensus, qui circa distinctionem praedictam viget inter auctores, consistit praesertim in assignando objecto ad quod terminetur voluntas.

a) D. Alvarez, *De auxiliis,* L. III, disp. 34, n. 3-5, divisionis praedictae formalem significationem tradit eamdem quam suprà exposuimus, sed quoad materialem significationem, censet *primo,* non requiri quod Deus voluntate antecedente velit *oppositum* ejus quod vult voluntate consequente, *deinde,* tam salutem eorum, qui salvabuntur, quam damnationem eorum, qui damnabuntur, esse objectum voluntatis

---

(1) Haec est sententia S. Thomae, uti constat ex locis citatis. — Nihilominus S. Thomas, *in III Sent.,* dist. XXXII, Q. I, a. 2, alio sensu adhibet praedictam distinctionem, nominando *consequentem* tum Dei voluntatem qua vult absolute electis visionem beatificam, tum Dei voluntatem qua vult absolute reprobis bonum naturae (ad 4). Haec distinctionis expositio non invenitur in operibus scriptis post librum modo citatum.

(2) « Neque tamen id quod antecendenter volumus, simpliciter volumus, sed secundum quid. Quia voluntas comparatur ad res secundum quod in se ipsis sunt : in seipsis autem sunt in particulari [h. e. prout res vestiuntur omnibus ipsarum adjunctis]. Unde simpliciter volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Unde potest dici quod Judex justus simpliciter vult homicidam suspendi; sed secundum quid vellet eum vivere, scilicet in quantum est homo. Unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas. Et sic patet quod quidquid Deus simpliciter vult, fit; licet illud quod antecedenter vult, non fiat ». S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 6, ad 1.

(3) Diligenter distinguas duplicem velleitatem; unam quae est omnino sterilis, et in simplici quodam affectu consistit; aliam quae includit voluntatem efficacem dandi id quod ad consecutionem finis requiritur, puta sufficientia media salutis. Et talem voluntatem antecedentem ponimus in Deo, ad omnium hominum salutem quod spectat ». Card. BILLOT, *o. c.,* l. c.

(4) S. THOMAS, *De veritate,* Q. XXIII, a. 2.

(5) ID. *o. c.,* Q. XXVIII, a. 3, ad 15.

(6) ID., *In I Sent.,* Dist. XLVI, Q. I., a. 1, ad 2.

consequentis; *tertio,* damnationem damnandorum esse objectum voluntatis divinae consequentis *antecedenter ad omnem cognitionem divinam de peccatis illorum:* secundum Alvarez, Deus vult quosdam homines damnari quia per hoc manifestatur justitia divina in reprobis et simul major splendor misericordiae in electis; haec porro manifestatio est majus bonum quam salus quorumdam hominum. Unde si consideratur salus omnium hominum *cum hoc adjuncto* quod, si omnes salvarentur, non esset illa manifestatio divinae perfectionis et sic careret magno bono ordo universi, vult Deus, voluntate *consequente,* quosdam homines salvari, quosdam vero damnari. Haec explicatio admitti non posse videtur utpote incompossibilis cum doctrina asserente Deum voluntate antecedente velle seriò omnes homines salvos fieri.

b) Alii theologi (1) censent etiam *non opponi* objectum voluntatis antecedentis et objectum voluntatis consequentis, tenentque voluntatis consequentis objectum esse *et* salutem salvandorum *et* damnationem damnandorum, insuper utrumque esse a Deo volitum *consequenter* ad cognitionem divinam de meritis vel demeritis hominum: hujus autem explicatio dependet a sententia quam defendunt illi theologi circa praedestinationem.

c) De Baets, *o. c.,* p. 144 ss., docet requiri *oppositionem* inter objectum voluntatis antecedentis et objectum voluntatis consequentis; deinde distinguit duplicem voluntatem consequentem: unam, quae est de *condendo* rationabili ente quod praecognoscitur *lapsurum* a fine, *si condatur;* alteram, quae est de *damnando* tali ente futuro. Haec est valde subtilis distinctio. Ut possit lector aequum ferre judicium de illa opinione, referimus verba quibus praelaudatus auctor exponit suam sententiam: « Triplex vero scientiae signum de eodem objecto distingui valet.

Primum signum in quo Deus novit ens liberum factibile, secundum propriam naturam cui naturae determinatus proportionatur finis per apta media attingendus.

Secundum, in quo novit Deus talem naturam individuam et liberam, *si conderetur* (*hypothetice ergo*), usuram sic vel aliter mediis sibi collatis ut ad finem proprium perveniret, atque per ea ad finem perventurum vel non.

Tertium vero, in quo Deus *absolute praevidet* hunc hominem, qui erit in quadam temporis differentia, usurum vel abusurum determinato modo hisce mediis, et ita fore praemio vel poena dignum...

Praelucente *scientia de re secundum formalem ejus naturam,* finemque et media correspondentia, intelligitur Deus ipsam rem, finem et propter finem media velle: et haec est voluntas *antecedens.* — Sed praelucente *hypotheticorum scientia,* et manifestante tale ens, si creetur, a suo fine defecturum, jam in objecto et proinde in voluntate concipitur aliqua oppositio, quae est in eo quod Deus, manente voluntate prima, creet ens ad finem, *quamvis sit a fine lapsurum.* Et haec est voluntas consequens. — Quae tamen oppositio non eadem est ac illa quae habetur consequenter ad tertium signum scientiae, in quo *praevidens Deus absolute* abusum mediorum, hominem, quem propter finem creavit quamvis lapsum ejus praesciens, jam damnationi addicit. Quae rursus est *consequens voluntas,* sed *alia* ».

460. 4° in voluntatem beneplaciti et signi: significatio formalis,

4° Voluntas *beneplaciti* et voluntas *signi.*

a) Voluntas *beneplaciti* est volitio *proprie dicta,* est nempe actus quo Deus aliquid vult (sive absolute, sive conditionate).

Voluntas *signi* est aliquid quod *apud nos* solet esse *signum nostrae volitionis* et quod *metaphorice,* per metonymiam, in Deo dicitur voluntas (2). V. gr. quando homines jubent aliquid, communiter *volunt* ut hoc fiat ab illis quibus hoc imponitur, adeoque praeceptum objective sumptum est signum nostrae volitionis. Porro praeceptum divinum,objective sumptum, dicitur *metaphorice voluntas* Dei; quia Deus jubet omnes homines ipsum colere,

(1) Inter quos JUNGMANN, *De Deo,* n. 237; PESCH, *o. c.,* n. 321.

(2) Distinctio voluntatis divinae in voluntatem beneplaciti et signi non est distinctio *rei,* sed *vocis* in suas significationes ». CAJETANUS. *In Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 11.

ideo dicitur: Deus *vult* ut omnes homines ipsum colant, *voluntas* Dei est ut omnes colant ipsum. Haec autem non est voluntas proprie dicta: nam volitioni proprie dictae, quae in Deo est, nemo resistere valet: si enim Deus proprie et absolute vellet seu decerneret ut id quod praecipit ab hominibus fieret, hoc eveniret. Nunc vero, licet Deus multa jubeat ac alia prohibeat, tamen non pauci haud faciunt quod praecipitur, faciunt autem quod prohibetur: hoc permittit Deus.

Ad rem S. Thomas : « Deus potest dici velle aliquid dupliciter. Vel proprie et sic dicitur velle illud cujus voluntas vere in eo est, et quod sibi complacet : et haec est voluntas *beneplaciti*. Dicitur etiam aliquid velle metaphorice eo quod ad modum volentis se habet, in quantum praecipit, vel consulit vel aliquid hujusmodi facit. Unde ea in quibus attenditur similitudo istius rei ad voluntatem Dei, voluntates ejus metaphorice dicuntur et quia tales sunt effectus dicuntur signa » (1).

461. voluntas signi non est in Deo, sed a Deo,

b) « Voluntas signi non est in Deo, sed a Deo : est enim aliquis Dei effectus talis, qualis solet apud nos voluntas hominis designari » (2). V. gr. praeceptum divinum, objective spectatum, et manifestatum hominibus (sive per naturalem hominum rationem, sive per Dei revelationem fiat manifestatio) dicitur voluntas Dei.

462. voluntas signi non est directum signum volitionis divinae.

c) Bene notemus voluntatem signi non esse *signum voluntatis* divinae, proprie dictae, ac si id quod dicitur voluntas signi esset, qua tale, directum signum volitionis proprie dictae in Deo existentis. Quod explicat S. Thomas : « Signa voluntatis [nostrae] dicuntur voluntates divinae, *non quia sunt signa quod* DEUS *velit,* (3); sed quia ea quae in NOBIS solent esse signa volendi, in Deo divinae voluntates dicuntur. Sicut punitio non est signum quod in Deo sit ira; sed punitio, eo ipso quod in nobis est signum irae, in Deo dicitur ira » (4).

463. Quinque sunt signa quae dicuntur voluntas.

Signa quibus consueverunt homines manifestare volitionem suam sunt quinque, scilicet *operatio,* quando aliquis per seipsum directe facit id quod vult; *permissio,* quando aliquis non impedit alterius operationem; *praeceptum* et *prohibitio,* quando aliquis vult, inducendo obligationem, aliquid obtinere per alium, vel ne aliquid fiat impedire; *consilium,* quando aliquis vult aliquid obtinere suadendo aut exhortando. Haec sunt quinque quae, respectu Dei, dicuntur voluntas (5).

464. Voluntas signi quando-

Ulterior explicatio.

a) Voluntas signi non distinguitur contra voluntatem beneplaciti per

(1) *In I Sent., dist.* XLV, a. 4; cf. dist. XLVII, a. 2. Eamdem sententiam exponit S. Thomas, *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 11, ibique exponit quod metaphora, de qua hîc agitur, desumitur ex similitudine *effectus:* apud nos, v. gr., punitio est effectus et signum irae, inde punitio a Deo inflicta dicitur ira Dei; pariter praeceptum est effectus et signum humanae voluntatis, inde praeceptum a Deo datum dicitur voluntas Dei.

(2) *De veritate,* Q. XXIII, a. 3, ad 3.

(3) Quapropter non rite tradunt notionem voluntatis signi auctores qui dicunt : « voluntatem signi esse voluntatem Dei ut per signa *ad extra* manifestatam ».

(4) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 11, ad 2. Cf. *De veritate,* Q. XXIII, a 3.

(5) V. gr. « Qui enim fecerit *voluntatem* Dei, hic frater meus est, ὃς ἂν ποιήσῃ το θέλημα τοῦ θεοῦ..». h. e. qui observaverit praecepta, prohibitiones, Dei, hic frater meus est. *Marc.* III,35.

hoc quod est *impleri* vel *non impleri,* ac si voluntas beneplaciti diceretur ea quae semper impletur, voluntas vero signi, quae nunquam impletur.

que, non semper, adimpletur.

Voluntas enim beneplaciti, si est absoluta, semper impletur, non semper si est conditionata, ut infrà dicetur.

Voluntas signi quandoque adimpletur, quandoque non: v. gr. Dei *praecepta, prohibitiones, consilia,* quandoque adimplentur, quandoque non (1). Etiam quandoque praecipit Deus aliquid quin *velit* rem praeceptam fieri, sicut apparet in praecepto Abrahae imposito de immolando filio. *Nunquam vult* Deus id quod *permittit. Operatio* autem, considerata in termino ad extra producto, est realiter id quod vult Deus, voluntate beneplaciti.

465. voluntate beneplaciti Deus semper aliquid vult circa id quod est voluntas signi,

β) Licet Deus non semper velit *id* fieri quod praecipit, aut consiliatur, licet Deus nunquam velit *id* quod permittit, tamen circa illa *vult aliquid.* « Cum enim Deus praecipit aut prohibet, *vult* nos *obligari* et hac sua voluntate efficit ut ordinatio rationis seu sapientiae suae vera sit lex et ordinis moralis fundamentum inconcussum. Cum consulit vult perfectiora, quae non praecipit, ostendere, atque ad ea sectanda provocare: quo ea, quae lex perfectionis dicitur, existit, et copia nobis fit ad majorem cum divina sapientia similitudinem et conjunctionem contendendi. Cum permittit, vult, non sane ut ea, quae improbat et vetat, fiant, sed tamen, ut ab iis perpetrandis non impediamur nec concursu ejus, sine quo operari nequimus, careamus » (2). — Unde si consideratur *objectum* voluntatis beneplaciti et objectum voluntatis signi, quaedam est voluntas signi quae nunquam incidit in idem objectum cum voluntate beneplaciti, scilicet *permissio;* quaedam autem voluntas signi semper incidit in idem cum voluntate beneplaciti, scilicet *operatio;* aliae vero voluntates signi quandoque in idem incidunt, quandoque non, scilicet *praeceptum, prohibitio, consilium* (3).

466. inde semper conformis esse potest nostra voluntas voluntati beneplaciti Dei.

γ) « Atque hinc tandem intelliges, quomodo habeamus unde corformentur voluntates nostrae divino beneplacito: aut volendo illud ipsum quod Deus vult, aut certe volendo id quod ipse vult nos velle. Quisquis enim assumit, ut normam, divinas prohibitiones, divinaque praecepta vel consilia, certus esse potest, se id velle ac nolle quod ut velit vel nolit, Deo est placitum; et haec est conformitas *in ratione regulae.* Nunc autem quod attinet ad conformitatem *circa ipsum objectum volitum,* oportet etiam nos acquiescere, ubicumque divini placiti objectum nobis innotescit; acquiescere, inquam, ea saltem voluntate quae dicitur *ut ratio,* quidquid repugnet quandoque voluntas *ut natura,* juxta exemplum a Domino Jesu Christo traditum, cum dixit: *Transeat a me calix iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (*Matth.* XXVI, 39) » (4).

---

(1) Cf. S. THOMAS, *De veritate,* Q. XXIII, a. 3 ad 6.
(2) KLEUTGEN, *De ipso Deo,* n. 616. Cf. S. THOMAS, l. c.
(3) Cf. S. THOMAS, *l. c.,* in fine articuli; card. BILLOT, *De Deo,* thes. XXIX.
(4) Card. BILLOT, thes. XXIX, p. 272. Legatur S. THOMAS, *De veritate,* Q. XXIII a. 6 et 7, ubi solvit quaestionem: « Utrum voluntatem nostram divinae teneamur conformare voluntati » et affirmativae responsionis rationem altissimam exponit his verbis : « Tantum unumquodque habet de esse, quantum ei [Deo] per similitudinem appropinquat; secundum vero quod ei dissimile

467. **Adnotatio.** Ex dictis sequitur :

1° Voluntas consequens, cujus objectum est solùm damnatio reproborum, est *pars* voluntatis *absolutae beneplaciti* et opponitur voluntati antecedenti, quae est *conditionata* voluntas *beneplaciti.*

2° Voluntas beneplaciti *absoluta* ut objectum habet omnia quandocumque existentia: omnia bona, *per se;* mala physica, *per accidens;* non habet, ut objectum, peccata, quae sunt mere permissa, quaeque Deus improbat.

3° Voluntas *beneplaciti* subdividitur in
voluntatem *necessariam* vel *liberam,*
voluntatem *conditionatam* vel *absolutam,*
voluntatem *antecedentem* vel *consequentem.*

ARTICULUS III^us^. **De modo et de efficacia volitionis divinae.**

468. *Res exponenda.* Quum suprà, n. 382 ss., exponebamus ea quae pertinent ad modum *cognitionis* divinae, labor noster praecipue huc spectabat ut intelligeretur quo modo res a Deo distinctae sint in Deo secundum illorum esse *intentionale,* secundum intentionalem similitudinem quae requiritur ad cognitionem; nunc vero circa modum *volitionis* divinae explicare conabimur quo modo Dei volitio *terminetur* ad *esse reale* rerum distinctarum a Deo (1).

Imprimus agendum est de libertate, deinde de causalitate, quae propriae sunt divinae voluntatis.

469. *Notio libertatis electionis.* LIBERTAS, de qua hîc agitur, est libertas *indifferentiae* seu *electionis,* quae est *physica* proprietas voluntatis.

Suprà, n. 416, dedimus notionem libertatis indifferentiae, qualis haec competit *humanae* voluntati. Per analogiam ad illam oportet efformemus nobis notionem libertatis quae Deo convenit.

Removenda est a Deo omnis imperfectio, ut infrà explicabitur, n. 475.

Sed in Deo habetur plene ratio in qua consistit essentialiter perfectio libertatis indifferentiae, scilicet *activa determinatio* ad unum objectum prae alio volibili; seu *electio* qua quis vult hoc prae alio volibili, consequenter *speciale* illud *dominium* quo volens *se ipsum determinat* ad unum prae alio.

Haec perfectio describitur in Deo, modo simili quo describitur nostra libertas indifferentiae, dicendo : Deus facit quae vult, eligit, agit secundum consilium suum, seu propositum, etc.

---

invenitur, ad non esse accedit : et sic de omnibus quae in Deo et in creaturis pariter inveniuntur, dici oportet; unde et intellectus ejus omnis cognitionis est mensura, et bonitas omnis bonitatis, et ut specialius loquar, bona voluntas omnis bonae voluntatis. Ex hoc ergo unaquaeque voluntas bona est quod divinae voluntati conformatur. Unde cum quilibet teneatur ad habendam bonam voluntatem, tenetur pariter ad habendam voluntatem divinae voluntati conformem ».

Perutiliter legetur S. FRANCISCUS SALESIUS, *Traité de l'amour de Dieu,* L. VIII et IX, praesertim L. VIII, c. 3 et L. IX, c. 6, etiam *Entretiens spirituels, Entretien de la confiance :* his in locis non tradit formalem significationem distinctionis inter voluntatem beneplaciti et signi, sed bene indicat *objecta* utriusque voluntatis et praecipue modum quo homo suam volitionem reddat conformem utrique voluntati divinae.

(1) Cf. S .THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 6, ad. 2.

Libertas indifferentiae est illa *specialis perfectio,* quam modo descripsimus, quaeque communiter vocatur libertas sine addito. Sed libertas, generice vel universalissime sumpta, dicit omnem immunitatem a vinculo seu impedimento. Inde sumitur *privative* vel *positive.* « Privative dicit solam immunitatem a servitute, impedimento, vinculo cogente seu coarctante; positive dicit quamdam potestatem seu dominium oppositum praecise isti servituti seu immune ab hujusmodi vinculo seu impedimento » (1).

470. Ulterior explicatio, in qua distinguitur libertas absolute dicta a libertate electionis.

Inde in Deo agnoscitur perfectissima libertas, quatenus in ipso formaliter et eminenter verificatur omnis ratio perfectionis quae in notione libertatis continetur.

1° Habetur in Deo omnimoda immunitas ab omni vinculo, imo ab omni dependentia ab extrinseco in toto divino esse et operari. Inde habetur perfectissima spontaneitas in actu voluntatis divinae quo Deus *naturaliter* amat semetipsum: sic verificatur elementum negativum libertatis.

2° Volitio divina est etiam consideranda quatenus consequitur ad divinam *cognitionem,* qua Deus perfectissime intelligit *rectitudinem* amoris suimetipsius: secundum hoc Deus amat semetipsum propter rectitudinem illius amoris et ita *vult se velle,* seu vult se amare semetipsum: haec est *libertas absoluta* (2). Hîc verificatur elementum positivum libertatis, seu dominium in actum voluntatis, licet hic actus, etiam quatenus terminatur ad suum objectum, sit necessarius, necessitate immutabilitatis, quatenus Deus non possit non amare semetipsum.

3° Tandem actus divinus volendi, consequenter ad cognitionem qua Deus cognoscit possibilia, seu entia a se distincta, potest terminari ad illa objecta, quatenus Deus velle potest existere quaedam extra se vel non existere. Haec autem est *libertas electionis,* de qua nobis est agendum.

471. Deus est liber libertate electionis; hoc est de fide,

PROPOSITIO PRIMA. **Deus in iis quae extra se agit liber est libertate electionis.**

Haec propositio est *de fide.* Etenim Concilium Vaticanum definivit : « Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam » (3).

Canon 5 dicit : « Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse quam necessario amat se ipsum... A. S. » (4).

Demonstratio.

472. hoc demonstratur: A) ex S. Scriptura,

A. EX S. SCRIPTURA.

1. In V. T. describitur libertas electionis in Deo : in *Ps.* CXXXIV, 6 « Omnia quaecumque voluit Deus fecit »; apud *Danielem,* IV, 17, ubi dicitur dare *cuicumque voluerit* potestatem regendi homines; apud librum *Sap.,* XI, 10-25, ubi describitur Deus potentia sua posse variis modis punire homines,

(1) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicae,* in *Collat. Brug.,* t. V, p. 366. In hac dissertatione, secundum doctrinam S. Anselmi, S. Bonaventurae et S. Thomae, exponitur profundissime id quod pertinet ad essentiam et operationem libertatis, tum in creatura, tum in Deo. V. praesertim p. 373, 589, 645, 652 ss.

(2) Quae aliquo modo habetur etiam in Beatis fruentibus intuitiva visione Dei.

(3) Sess. III. *Const. de fide catholica,* c. 1, *Enchir.,* n. 1783.

(4) *Enchir.,* n. 1805.

sed secundum sapientiam et voluntatem suam, nempe libere, omnia, etiam poenas peccatorum, ordinare debito ordine et proportione (1).

2. In N. T., S. Paulus, pluribus epistolarum locis, docet eventus quos Deus operatur ad extra, dependere ab ordine quem Deus libere voluit et assumpsit, seu elegit : « Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma elegit Deus, ut confundat fortia. » *1 Cor.* I, 27 (2); de distributione charismatum quae Deus largitur, dicit : « Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » *Ibid.*, XII, 11.

Loquens de illis qui ad Christum conversi sunt, docet hunc esse effectum praedestinationis seu liberae ordinationis Dei, qui omnia operatur pro libitu secundum decreta voluntatis suae : « In quo [Christo] etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum ejus [Dei] qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae ». *Ephes.*, I, 11 (3). Beneficia sua Deus pro libitu largitur vel subtrahit hominibus : « Cujus vult [misereri] miseretur, et quem vult [indurare] indurat » *Rom.*, IX, 18 (4).

473.
B) *ex Traditione,*

B. Ex Traditione.

1. Apud antiquiores Patres et Scriptores ecclesiasticos, libertas Dei continetur in assertione de modo quo res creatae sunt a Deo.

Athenag.,

Ita Athenagoras, *De resurrectione mortuorum,* n. 12, P. G., t. VI, col. 996, docet Deum *nulla indigentia* creasse hominem, sed consilio suo praelucente, ad suam bonitatem manifestandam: in quo implicite dicitur Deum *non necessario,* proinde libere, creasse.

« Deus autem nec frustra hominem fecit, est enim sapiens, nullum autem sapientiae opus inutile; nec ad proprium suum usum, nulla enim re indiget; qui autem nulla omnino re indiget, sua ei opera nihil ad proprium usum attulerint. Sed nec ob aliquam rerum a se creatarum hominem condidit. Nihil enim ex iis, quae ratione et judicio utuntur, ad alterius sive superioris sive inferioris usum creatum est aut creatur, sed ad propriam eorum, qui creantur, vitam et perpetuitatem... Quam ob rem si nec sine causa nec frustra creatus est homo (nihil enim inter divina opera inutile, quantum ad auctoris consilium spectat) nec ad ipsius creatoris usum, nec ad alterius cujuspiam rei ab ipso conditae; liquet Deum, si prima et latius patens consideratur ratio, propter se ipsam elucentem in omnibus ipsius operibus bonitatem et sapientiam adductum fuisse, ut hominem faceret; si vero propior et ipsis hominibus creatis interior ratio spectetur, propter ipsorum vitam quae quidem non breve aliquod tempus succendenda, ac postea omnino exstinguenda sit » (5).

S. Iren.,

S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, L. II, c. 1, n. 1, P. G., t. VII, col. 710, explicite dicit: « Neque ab aliquo motus, sed sua sententia et liber fecit omnia [Deus] ».

Idem dicit, *o. c.*, c. 30, n. 9, col. 822, et L. III, c. 8, n. 3, col. 868.

Tertul.,

Tertullianus Dei libertatem in creando nitide affirmat, *Adv. Hermogenem*, n. 14-16.

---

(1) Cf. Beelen, *Boek der Wijsheid,* in h. l.

(2) Valor hujus argumenti non est in solo vocabulo *elegit,* sed in toto ratiocinio quo Apostolus manifeste docet Deum, non necessitate naturae, sed, praelucente intellectu, eligere media quae vult, illaque sic adhibere ut finis attingatur quem sibi proposuit.

(3) Cf. Van Steenkiste, in h. l.

(4) Cf. Van Steenkiste, in h. l.

(5) Haec Athenagorae verba, et reliqua ejusdem pericopae, optime exprimunt finem ad quem homo conditus est a Deo, dignitatemque humanam.

S. Hippolytus, *Contra Haeresim Noëti,* n. 10, P. G., t. X, col. 817, libertatem Dei in creando describit (1). *S. Hipp.,*

2. Saeculo IV et deinceps Patres magis excultam et distinctam notionem tradunt de libertate divina.

S. Athanasius, occasione haeresis Arii, propugnat Verbum esse *natura* genitum a Deo Patre; entia vero creata dependere a *deliberativa volitione* Dei. *Contra Arianos Oratio* III, n. 61-63 (2). *S. Athan.,*

S. Basilius, *Hom. I in Hexaemeron,* n. 2 et 7, P. G., t. XXIX, col. 8 et 17, clare edicit mundi existentis Deum esse causam per voluntatem electivam. *S. Bas.,*

S. Ambrosius, *De fide,* L. II, c. 6, n. 48, P. L., t. 16, col. 369, citans textum Apostoli *1 Cor.,* XII, 11, adjungit: « Prout vult, inquit, hoc est pro liberae voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio ». *S. Ambr.,*

S. Augustinus, *Enarratio in Ps. CXXXIV,* n. 10, P. L., t. XXXVII, col. 1745, sic loquitur: « Inconcusse credere et tenere debemus quoniam, quidquid creaturarum in coelo, quidquid in terra, quidquid in mari et in omnibus abyssis, a Domino factum est; quia *omnia quaecumque voluit fecit in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* [*Ps.* 134, 6], sicut jam diximus. Non omnia quae fecit, coactus est facere, sed *omnia quaecumque voluit fecit.* Causa omnium quae fecit voluntas ejus est. Facis tu domum quia, si nolles facere, sine habitatione remaneres; necessitas cogit te facere domum, non libera voluntas... Deus bonitate fecit, nullo quod fecit eguit: ideo *omnia quaecumque voluit fecit* ». His verbis explicat specialem perfectionem divinae libertatis, qua Deus, non solum non physica necessitate creavit res, sed etiam nulla propria indigentia vel proprio commodo motus. Hanc eamdem sententiam exprimit docendo: « In eo vero quod dicitur, *Vidit Deus quia bonum est,* satis significatur, Deum nulla necessitate, nulla suae cujusquam utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est, id est, quia bonum est ». *De civitate Dei,* L. XI, c. 24, P. L., t. XLI, col. 338. *S. Aug.,*

Libertatem divinam asserit et describit Augustinus his locis quibus propugnat omnimodam *gratuitatem* praedestinationis hominum salvandorum, qui *eliguntur* inter alios ad salutem. Cf. *De diversis quaestionibus ad Simplicianum,* L. I, Q. II, n. 13; *De correptione et gratia,* c. 7-10, praesertim *De praedestinatione Sanctorum,* c. 18, n. 36; *De dono perseverantiae,* c. 21, c. 24.

3. Quum Abaelardus (1079-1142) varios propugnaret errores, inter quos erat etiam negatio perfectae libertatis indifferentiae in Deo (3), damnatus fuit in concilio Senonensi (*Sens,* in Gallia), an. 1140, quam condemnationem confirmavit Summus Pontifex Innocentius II, an. 1141. Inter damnatas propositiones, duae spectant rem nostram: « Quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore, quo facit et non alio ». « Quod Deus nec debeat nec possit mala impedire » (4). *Innoc. II,*

4. Tandem Hermes (1775-1831), propterea quod docuit necessitatem creationis, improbatus est a Gregorio XVI (5); propter eumdem errorem Günther (1783-1863) damnatus est a Pio IX (6) et contra ejusdem falsam sententiam statuta est, in Concilio Vaticano, definitio, quam suprà, n. 471, retulimus. *Greg. XVI, Pius IX;*

---

(1) Origenes, ut videtur, censet Deum necessario creavisse quaedam, non esse liberum, libertate electionis, circa hoc quod creet, vel nihil creet, proinde ab aeterno exstitisse creaturas, secus non esse immutabilem; tamen Deum esse liberum in determinando quaenam entia sit creaturus. V. *De Principiis,* L. I, c. 2, n. 10, L. III, c. 5, n. 3, L. II, c. IX, n. 6. Cf SCHWANE, *Histoire des dogmes,* (trad. BELET, t. I, p. XXXIV, t. II, p. 187 ss.; BARDENHEWER, *Patrologie,* p. 133.

(2) Cf. SCHWANE, *o. c.,* t. II, p. 140 ss., 326 s.

(3) Cf. SCHWANE, *o. c.,* t. IV, p. 218; PORTALIÉ, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Abélard,* col. 45 s .

(4) *Enchir.,* n. 375 s.

(5) *Enchir.,* n. 1620.

(6) *Enchir.,* n. 1655.

474. C) *ex ratione.*

C. EX RATIONE.

Deus potest aeque velle esse creaturas ac non esse illas, ergo est liber libertate electionis.

Consequentia est evidens.

Antecedens declaratur : Deus non necessario vult creaturas : nam, uti suprà, n.436, declaravimus, unicum objectum ad quod necessario terminatur voluntas divina, seu quod necessario vult actu et amat est ipse Deus. Praeterea potest Deus velle res a se distinctas, quia potest, volendo se velle et aliis communicare suum bonum : nam, ratione omnipotentiae, valet res a se distinctas existentia donare, deinde bonitatis communicatio est aliquid conveniens omni bono et proinde appetibile Deo : ergo potest Deus velle existere creaturas, quatenus praelucente cognitione, *determinat se* ad volendum illas (1).

475. **Ulterior explicatio.**

1° Per analogiam ad humanam libertatem est nobis intelligenda divina libertas, proinde ab hac sunt removendi duo defectus qui necessario consequuntur limitatam voluntatem et libertatem.

Libertas divina excludit potentiam ad actum,

a) Libertas indifferentiae in creatura importat *potentiam ad plures actus* diversos : « Creata enim voluntas sic se habet ad utrumlibet ut non eadem actualitate terminari possit, tam ad unum quam ad alterum oppositorum. Constat autem libertatem ejusmodi non esse nisi entis potentialis, mutabilis et limitati : *potentialis quidem,* quia de potentia procedentis ad actum; *mutabilis* etiam, quia habentis actum quo posset carere, et carentis eo quem posset habere; *limitati* demum, quia semper determinati ad unam operationem exclusa altera quae pariter erat in potestate voluntatis » (2).

Illa imperfectio removenda est a divina libertate, quia Deus est essentialiter et omnino actus absolute purus, prorsus immutabilis, infinitus in perfectione. Cf. suprà, n. 175, 202 ss., 232.

peccabilitatem;

b) Altera imperfectio libertatis creatae consistit in hoc quod haec respicit etiam ultimum finem, quatenus potest eligere circa illud bonum in quo realiter consistit ultimus finis, nempe Deus, et consequenter peccare (3).

Haec imperfectio neganda est de Deo, quippe qui necessario amat semetipsum. Cf. suprà, n. 435.

476. *continetur in summa actualitate et eminentia divini velle.*

2° Hisce positis dicendum est quod actus liber in Deo non est, sicut in creaturis, operatio contingenter a voluntate procedens, sed est ipsissima necessaria atque immutabilis volitio, qua Deus vult seipsum, prout *secun-*

(1) Deus etiam liber est in eligendo determinatum ordinem rerum ex multis possibilibus complexibus : omnes enim possibiles rerum ordines perfecte cognoscit Deus, nullumque necessitate naturae vult, proinde unum velle potest prae aliis, seu eligere. Haec perfecta libertas etiam sese extendit ad originem mundi, nempe ad momentum quo incipit esse.

(2) Card. BILLOT, *De Deo,* thes. XXVI, p. 253 s.

(3) Haec libertas dicitur contrarietatis, utpote se habens ad contraria, nempe ad morale bonum ac malum. Haec imperfectio auferri potest a creatura et de facto auferetur per intuitivam Dei visionem. Videsis Leonis XIII encycl. « Libertas », *Acta,* t. III, p. 99.

dario terminata per modum arbitrii ad *esse* vel *non esse* boni contingentis et participati (1).

Inde libertas arbitrii *formaliter inest ipsi Deo,* quapropter divina volitio fomaliter libera dicitur denominatione *intrinseca,* et non tantum extrinseca; etiam Deus dicendus est liber *ab aeterno,* et non tantum ex tempore (2).

Quae quum ita sint, concludimus Deo inesse formaliter libertatem electionis secundum rationem perfectionis simplicis, quam praedicta libertas importat, nempe *dominium* voluntatis quo *eligit* inter objecta ab intellectu proposita ut indifferentia, nempe ut bona, quae non sunt ultimus finis nec necessario connectuntur cum ultimo fine. Haec perfectio Deo tribuitur tamquam contenta in ratione *summae actualitatis et eminentiae divini velle,* ita ut exercitio praedicti dominii nulla divinae volitioni actualitas vel accrescere vel decrescere intelligatur. Hoc autem *quomodo* sit assequi non sufficimus, quia propriam rationem *actus absolute puri* nescimus. Hoc solum declarare valemus non contineri evidentem contradictionem in asserta de Deo libertate indifferentiae. Objectiones quae opponuntur solvuntur praecipue distinctione inter *terminationem intentionalem* actus volitionis ad objectum, et *physicam entitatem* illius actus. Cf. suprà, n. 241.

477. Voluntas divina est causa rerum.

PROPOSITIO SECUNDA. **Libera Dei volitio est causa rerum; illius vero nulla est causa, sed ratio volendi.**

Demonstratio.

1ª pars propositionis facile probatur : omnium enim rerum a se distinctarum Deus est prima causa efficiens incausata (suprà, n. 64); jamvero Deus, quia infinite perfectus, agit per cognitionem et volitionem : scientia Dei est causa rerum, quatenus objectum ejus secundarium est complexus *formarum intelligibilium* omnium rerum possibilium (suprà, n. 353), sed haec scientia sola non est actu causa rerum. Non facit esse res, nisi *adjuncta voluntate,* quae libere *determinat,* h. e. decernit efficaciter seu *imperat* existentiam quarumdam rerum.

Inde *scientia* divina est causa rerum ut *dirigens,* quà concipitur forma rerum; *voluntas,* ut *imperans,* quia forma, ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc ut sit vel non sit in effectu, nisi per voluntatem (3).

2ª pars propositionis probatur.

478. volitionis divinae nulla est causa: nec efficiens

a) Nihil extra Deum potest esse causa efficiens volitionis divinae, ut patet.

b) Intra ipsum Deum, nulla actio potest esse causa efficiens alterius : quia omnis Dei operatio est realiter idem ac ipsum Esse divinum. Specia-

(1) Cf. SUAREZ, *Disputationes metaphysicae,* disp. XXX, sect. 9, praesertim n. 37, *Opera,* t. XXVI, p. 127; BILLUART, *De Deo,* diss, VII, a. 4, p. 245 ss.; SCHIFFINI, *Theol. nat.,* n. 505; card. BILLOT, *o. c.,* Thes. XXVI, p. 251 ss.

(2) Cf. Supra, n. 236, 322, 439; card. BILLOT, *o. c.,* p. 258.

(3) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 4, ad 4. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. V, v. 103 ss.

liter autem circa volitionem : Deus enim unico actu vult et finem et omnia quae sunt ad finem. Unde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, ita velle finem non est ei causa volendi ea quae sunt ad finem (1).

nec finalis,

c) Nec ulla *causa finalis* esse potest relate ad volitionem divinam : volitio enim divina est necessario in actu, terminata ad ipsum bonum infinitum, et est realiter idem ac infinitum bonum : secundum hoc, non datur in Deo *causalitas* finis (2). — Quantum ad res a se distinctas, quas libere vult Deus, non datur causalitas finalis: nam illarum bonitas, utpote finita, non potest esse nisi *participata* ab infinita bonitate, proinde nequit proprie movere Deum ad volendum, seu excitare concupiscentiam in Deo; aliis verbis : « Primo agenti, qui est agens tantum, non convenit agere [aut velle] *propter acquisitionem* alicujus finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quae est ejus bonitas » (3).

479. sed ratio.

3ª *pars.* Licet Deus nequeat agere *propter finem acquirendum,* adeoque licet Deo nequeat esse *causa* volitionis, potest tamen ei esse *ratio* volitionis. Imprimis bonitas ipsa divina est ratio volendi alia : nam alia a se vult Deus tamquam ea quae sunt ad finem, tamquam ea quibus communicatur sua bonitas (4). Deinde inter volita habetur ordo a Deo intentus, quatenus vult *unum esse propter aliud,* v. gr. entia irrationalia propter rationalia; inde entia rationalia sunt Deo *ratio* volendi entia carentia ratione, nec Deus posset creare irrationalia sola, non producendo etiam rationalia (5).

480.

Corollarium 1um. *Aliter Deus amat res ac nos amamus res.*

Etenim actu amare seu velle bonum alicui est Deo efficere res esse bonas, et eatenus Deus amat res quatenus efficit ipsis bonum, ita ut *amor Dei sit causa bonitatis rerum.* E contrario, nos amamus quatenus appetimus bonitatem rerum ipsarum, et eatenus nos amamus res quatenus res in se ipsis sunt bonae, ita ut *bonitas rerum sit causa amoris nostri.*

481.

Corollarium 2um. *Actus quo Deus vult creaturas collective sumptas est amor benevolentiae; attamen recte dicitur Deus amare irrationalia amore concupiscentiae, quatenus irrationalia concupiscit rationalibus, non autem sibi.*

PRAENOTANDUM.

Dupliciter distinguitur amor benevolentiae et concupiscentiae.

Distinctio inter amorem concupiscentiae et amorem benevolentiae adhibetur *dupliciter:* primo quidem secundum *terminos duos* actus amoris, deinde ut designentur *duo actus* amoris specifice diversi.

1. Omnis actus amoris in duo tendit, scilicet in bonum *quod* quis vult et in subjectum *cui* quis hoc bonum vult : amare enim est velle *bonum alicui* (6).

---

(1) S. THOMAS, *l. c.*, a. 5.

(2) Eatenus aliquid est *causa,* quatenus est principium per se *influens esse* in aliud. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 272.

(3) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XLIV, a. 4, cf. card. BILLOT, *de Deo,* thes. XXV, p. 246 ss.

(4) Cf. S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 86; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, in *Collat. Brug.*, t. VI, p. 433 ss.

(5) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, l. c.

(6) Inde distinctio inter *finem qui* et finem *cui* : cf. *Collat. Brug.* T. II, p. 63; DE JAEGHER, *o. c.*, n. 289.

Porro amor, quatenus terminatur ad bonum *quod* quis vult, dicitur *concupiscentiae;* amor, quatenus terminatur ad subjectum *cui* quis vult bonum, dicitur *benevolentiae* (1). Ita v. gr. quando quis sibi desiderat scientiam, tunc scientiam amat amore concupiscentiae, seipsum amore benevolentiae; quando aliquis desiderat scientiam alteri (unice ut hic alter illo bono gaudeat) tum iterum scientiam amat amore concupiscentiae, alterum amore benevolentiae (2).

Attamen amor *aliter* terminatur ad bonum *quod* quis vult et aliter ad subjectum *cui* quis bonum vult. Etenim subjectum *cui* volumus bonum amatur secundum se et propter se, in eoque sistit amor; sed id *quod* volumus amatur non secundum se et propter se sed *propter alterum* scilicet ut alii enti hoc bonum adveniat. Inde dicit S. Thomas: « Amor quo amatur aliquid ut *ei* sit bonum est amor *simpliciter;* amor autem quo amatur aliquid *ut sit bonum alterius* est amor *secundum quid* » (3).

2. Eadem distinctio plerumque adhibetur ad designandos *duos actus* amoris secundum quos amans se habere potest ad amatum: nempe *concupiscentiae* dicitur amor quo quis *sibimetipsi* vult bonum, et *benevolentiae* dicitur amor quo quis *alteri* vult bonum. Ita v. gr. si quis desiderat Deum ut Ejus possessione evadat *ipse* beatus, amat Deum amore concupiscentiae; si autem quis complacet sibi in Deo *quia* est in se infinitum Bonum et gaudet de hac infinita Dei perfectione, tunc amat Deum amore benevolentiae. Si quis desiderat et curat sanitatem servi sui ut commodum ex ejus servitio percipiat, tunc servum amat amore concupiscentiae; si e contrario servi sanitatem desiderat et curat unice ut servus gaudeat bona valetudine, sic servum amat amore benevolentiae (4).

DEMONSTRATIO.

1. Deus amat creaturas collective sumptas amore *benevolentiae,* scilicet actus amoris quo Deus prosequitur creaturas est actus amoris benevolentiae. Ratio est quia Deus tantum amat creaturas in quantum vult ut bonitas divina *communicetur aliis;* Deus nequit velle *sibi* aliquod commodum, aliquod beatitudinis augmentum ex creaturis: consequenter non *sibi* concupiscit creaturas.

482. Amor quo Deus vult creaturas, collective sumptas, est benevolentia, sed irrationalia concupiscit rationalibus.

2. Sed si actus divini amoris considerantur *termini,* tunc datur locus distinctionis adhibitae sensu quem primo loco exposuimus. Etenim creaturas *irrationales* in tantum vult Deus in quantum illas ordinat in commodum creaturarum intellectualium: ergo amor Dei terminatur ad creaturas irrationales tamquam ad bonum *quod* vult *aliis:* ergo Deus creaturas irrationales amat amore *concupiscentiae,* quatenus illas *aliis* concupiscit (5). E contrario amor Dei terminatur ad creaturas intellectuales tamquam ad personas *quibus* Deus vult bonum, et illae non ordinantur in utilitatem aliorum entium: ergo Deus intellectuales creaturas amat amore *benevolentiae,* non concupiscentiae.

---

(1) Amor benevolentiae dicitur etiam amor *amicitiae,* quia amico aliquis vult bonum : attamen amicitia proprie dicta addit supra amorem benevolentiae « quod sit benevolentia *mutua, mutuo cognita,* et *fundata in communione boni* ». *Collat. Brug.,* T. VII, p. 316.

(2) Quum omne bonum quod volumus necessario velimus alicui, ideo nullus amor concupiscentiae est quin etiam sit benevolentiae; et rursus quum non possimus amare subjectum quin ipsi aliquod bonum velimus, ideo nullus amor benevolentiae est quin sit etiam concupiscentiae.

(3) *Sum. theol.,* I-II^{ae}, Cf. XXVI, a. 4. — Haec quae hucusque exposuimus docet S. Thomas *Sum. theol,* I, Q. XX, a. 1 ad 3 et I-II^{ae}, Q. XXVI, a. 4; cf. CAJETANUS, *Comment.* in hh. ll.; card. BILLOT, *De Ecclesiae Sacramentis,* T. II, p. 118.

4) Cf. de his notionibus ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Annotat. in tr. de virt. theo.,* praesertim nn. 385 et 386.

(5) Haec docent S. THOMAS in III, D. XXX, Q. I, a. 1, ad 1 et 2; *Sum. theol.,* I, Q. XX, a. 2, ad 3; FERRARIENSIS, *In Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 91; TOLETUS, in I, Q. XX, a. 2; SYLVIUS in I, Q. XX, a. 2. — Apud S. Thomam leguntur haec : « Deus proprie loquendo non amat creaturas irrationales amore amicitiae, sed amore *quasi concupiscentiae* » I, Q. XX, a. 2, ad 3. Hoc vocabulum *quasi* omittitur in uno codice et in quibusdam editionibus; sed si admittitur hoc vocabulum scriptum fuisse a S. Thoma non inde exsurgit difficultas contra ea quae supra exposuimus; explicatur enim hoc vocabulum *quasi,* dicendo quod S. Thomas voluit indicare aliter in Deo haberi concupiscentiam et aliter in nobis, et praeprimis removendam esse a Deo omnem imperfectionem quae importari videtur nomine *concupiscentia,* v. gr. anxietatem desiderii.

483. PROPOSITIO TERTIA. **Volitio Dei absoluta semper impletur; haec tamen non omnibus volitis imponit necessitatem, sed quibusdam tantum.**

Volitionem Dei absolutam semper impleri infertur ex S. Scirptura,

Demonstratio 1ae partis.

A. S. SCRIPTURA plures exhibet textus quibus asseritur perfecta efficacia divinae volitionis, cui nihil resistere potest; alios vero textus quibus exhibetur oppositio quaedam et resistentia divinae voluntati (1).

a) Ad primam classem pertinent : « Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini : quocumque voluerit inclinabit illud ». *Prov.* XXI, 1.

« Recordamini prioris saeculi quoniam ego sum Deus et non est ultra Deus et non est similis mei : Annuntians ab exordio novissimum et ab initio quae necdum facta sunt, dicens : consilium meum stabit et omnis voluntas mea fiet ». *Isa.,* XLVI, 9-10. Praeclare hîc affirmatur a Deo per prophetam praescientia divina necnon omnimoda efficacia volitionis divinae; consilium, nempe decretum Dei circa eventus futuros, non perturbatur et cuncta secundum illud ad amussim fiunt (2).

Mardocheus efficaciam divinae voluntatis proclamat in oratione sua : « Domine, Domine, rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israël... Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuae ». *Esther,* XIII, 9, 11.

b) Ad secundam classem pertinent : Deus alloquitur populum Israël : « Quid est quod debui facere vineae meae et non feci ei? an quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas? » *Isa.,* V, 4.

Hîc docetur populi resistentia voluntati Dei et auxiliis ejus datis ut recte ageret populus.

S. Stephanus judaeos increpat dicendo : « Vos semper Spiritui Sancto resistitis » *Act.,* VII, 5.

Concludendum est textibus primae classis asseri omnimodam efficaciam voluntati divinae *proprie* et *simpliciter* dictae, nempe voluntati *absolutae;* textibus vero secundae classis exhiberi resistentiam ad voluntatem vel metaphorice dictam (quae est voluntas signi) vel conditionatam.

484. demonstratur ex ratione.

B. EX RATIONE.

1° Deus est infinite perfectus in cognitione et in potentia : omnia possibilia cognoscit necnon omnia media quibus obtineri potest finis quilibet possibilis; ex altera parte, omnia possibilia, distributive sumpta, efficere potest; ergo si absolute vult aliquid esse, hoc est vel erit, secundum determinationem divinae volitionis.

2° S. Thomas, *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 6, ostendit directe *non posse impediri* quominus sit id quod Deus vult: Deus enim est *causa efficiens* suprema et universalissima, a qua omnis alia causa efficiens omnino dependet in suo esse et in sua virtute, etiam in omni operatione: quatenus ad hanc movetur et in ea dirigitur a Deo: ergo hoc fit, quod Deus absolute vult fieri.

(1) Cf. ILLmus L. JANSSENS, *De Deo uno,* t. II, p. 251.
(2) Cf. KNABENBAUER, in h. l.

ADNOTATIO. Voluntas beneplaciti *antecedens,* quia est conditionata (cf. suprà, n. 457) et voluntas *signi,* quia est metaphorice dicta (cf. suprà, n. 464) non semper adimplentur.

485. Homo nunquam simpliciter recedit a voluntate Dei.

Licet homo *peccando* agat *contra* voluntatem *signi,* licet *resistat* auxiliis ipsum moventibus ad bonum, ideoque, si in peccato moriatur, faciat ut non adimpleatur divina voluntas *antecedens,* tamen homo *nunquam simpliciter recedit* vel *sese substrahit a voluntate Dei.* Nam si recedit ab illo ordine secundum quem duceretur ad salutem, labitur in alterum ordinem secundum quem damnatur (1).

Demonstratio 2ae partis.

486. Volitionem divinam quibusdam effectibus, non omnibus, necessitatem physicam imponere demonstratur.

Haec secunda pars ponitur propter actus liberos creaturae rationalis, ad explicandum scilicet cur remaneant *intrinsece liberi* seu cur *contingenter* egrediantur e causa sua proxima, licet sint objectum volitionis absolutae Dei et consequenter infallibiliter eveniant. Quum contingentia opponatur necessitati, dicitur Deus non omnibus volitis imponere necessitatem (nempe non imponit necessitatem actionibus liberis), sed quibusdam tantum (nempe actionibus necessariis).

Quod ita demonstratur : « Necessitatem rebus imponere nihil aliud est quam facere ut res e suis causis *necessario* proveniant; atqui hoc non facit divina voluntas respectu omnium volitorum suorum. Cum enim per decretum suum transfert quaedam e statu possibilitatis in statum existentiae, fertur super ipsa secundum modum cognitum in scientia simplicis intelligentiae, per quam divina decreta regulantur. In scientia autem simplicis intelligentiae, quidam effectus repraesentantur secundum modum necessitatis, scilicet ut procedentes a causis necessariis et natura sua determinatis ad unum; quidam vero, ut procedentes e causis liberis habentibus dominium sui actus. Ergo voluntas divina fertur super quasdam res secundum modum necessitatis, volens ipsas esse et esse necessario; super quasdam vero alias, secundum modum contingentiae, volens ipsas esse et esse contingenter. Sed hoc est imponere quibusdam rebus necessitatem, procurando ut *necessario* eveniant; quibusdam vero non, procurando ut citra necessitatem eveniant. Ergo non omnibus volitis suis divina voluntas necessitatem imponit [sed quibusdam tantum] » (2).

487. De mente S. Thomae.

S. Thomas, *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 8, quaerit *utrum voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat,* et respondet: « Divina voluntas quibusdam volitis necessitatem imponit, non autem omnibus ».

In explicatione hujus asserti docet tribuendum esse efficaciae divinae voluntatis quod alii effectus sint necessarii, alii vero contingentes (3). « Cum igitur voluntas

(1) Cf. S. THOMAS, *De veritate,* Q. XXIII, a. 2; *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 6; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. V, p. 105 ss. De voluntate Dei salvifica agemus infrà.

(2) Card. BILLOT, *De Deo,* thes. XXVIII, p. 268.

(3) Apud theologos inquiritur quaenam sit formalis ratio qua Deus sit *prima radix contingentiae:* de hac disquisitione videsis BUONPENSIERE, *o. c.,* n. 1065 ss.; DE BAETS, *o. c.,* p. 138 ss.

divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quae Deus vult fieri, sed et quod *eo modo* fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter, ut sit ordo in rebus, ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias quae deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causae proximae sunt contingentes; sed propterea quia Deus vult eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos praeparavit ».

Ex his sequitur doceri a S. Thoma :

1° quod creati effectus omnes sunt objectum volitionis divinae etiam secundum *modum* quo fiunt, nominatim quod Deus vult alia evenire *necessario,* alia *contingenter* seu libere.

2° quod ratio sufficiens illius differentiae non est ponenda tantum in hoc quod causae proximae effectuum sunt aliae necessariae, aliae contingentes; sed illius differentiae *causa prima* et *adaequate sufficiens* est ipsa voluntas divina quae statuit quaedam fieri necessario, quaedam autem contingenter, et *ideo* praeparavit causas proximas, alias *necessario* agentes, alias *contingenter.*

3. Attamen ex hoc non sequitur posse fieri effectus necessarios absque causa proxima necessaria, et effectus contingentes absque causa contingenti; e contrario, ratio proxima effectus necessarii est egressus e causa proxima *necessaria,* necnon ratio proxima effectus contingentis est egressus e causa proxima *contingenti.* Effectus enim eveniunt *necessario* vel *contingenter* « *secundum conditionem proximarum causarum* », ut explicite dicit S. Thomas (1).

4. Quapropter menti S. Thomae contradicit omnis sententia quae efficacitatem volitionis divinae in electionem creaturae intellectualis ita explicat ut auferatur vera contingentia illius operationis. Atqui opinio de *praedeterminatione physica* vere tollit illam contingentiam : nam praedeterminatio physica causam proximam volitionis physice praedeterminat et *ad exercitium* actus volendi et *ad* ipsam *specificationem* seu ad *terminationem ad unum objectum :* hoc posito, actio volendi egreditur *necessario* e causa proxima, non jam contingenter.

S. Thomas, qui in locis hîc citatis, docet effectus eatenus esse necessarios quatenus egrediuntur e causa proxima *necessario* agente, et effectus eatenus esse contingentes, quatenus egrediuntur e causa proxima *contingenter* agente, eamdem omnino doctrinam tenet, ulteriusque explicat, quando loquitur de modo quo Deus *moveat* voluntatem, I-II, Q. X, a. 4: « Sic Deus ipsam [voluntatem] movet, quod *non ex necessitate ad unum determinat,* sed remanet motus ejus *contingens* ». Motus voluntatis remanet contingens quia *ipsa voluntas,* non Deus, *determinat* motum *ad unum prae altero.* Cf. supra, n. 417 ss.

488. Dei volitione absoluta eveniunt actus liberi necessitate infallibilitatis, vel consequentiae.

Nota. Locuti sumus hucusque de necessitate qua quidam effectus *necessario egrediuntur ex causa proxima;* alii vero effectus egrediuntur *contingenter* ex causa sua proxima.

Attamen effectus contingentes, nominatim electiones creaturarum liberarum, eveniunt *necessitate antecedente hypothetica.* Etenim omnes res, in quacumque temporis differentia *existentes,* dependent a voluntate absoluta Dei, seu a decreto voluntatis absoluto, quo Deus ab aeterno statuit talem determinatum rerum complexum (a Deo perfecte cognitum) esse futurum. Quum illud decretum sit omnino efficax et immutabile, omnia, quae sunt ejusdem objectum, non possunt non evenire: haec est necessitas infallibilitatis, quae « relativa est et magis afficit *consequentiam* quam ipsum consequens » (2).

---

(1) *O. c.,* Q. XXIII, a. 4, ubi quaerit : « Utrum providentia rebus provisis imponat necessitatem ». Idem, quoad substantiam, docet S. Thomas, *Quodlib.,* XI, a. 3.

(2) DE JAEGHER, *o. c.,* n. 103, 3.

Sed volitio divina, licet efficax et immutabilis, non tollit contingentiam effectuum quorumdam: nam efficacia divinae voluntatis exigit, ut non solum sit id quod Deus vult esse, sed etiam ut sit *eo modo, quo* Deus vult illud esse; atqui Deus vult quaedam esse contingenter; ergo volitio Dei absoluta non aufert physicam contingentiam, nominatim contingentiam quae est modus essentialis quo eveniunt actiones liberae (1).

ARTICULUS IV^us^. **De sanctitate Dei.**

Notio vulgaris et confusa sanctitatis *personalis,* seu perfectionis moralis quae personis solis inest, importat duo, scilicet *immunitatem a peccato* (quae nota est *negativa*), et *rectitudinem* operationis in *ordine morali* (quae est nota *positiva*). Haec porro rectitudo consideratur ut *habitualis,* nempe ut constantia et firmitas in bono, qua universa vita ad virtutis praescriptum exigitur. 489.

Illa perfectio non univoce est in Deo et creaturis, sed analogice; attamen est *formaliter* in Deo : in Deo enim adest formaliter immunitas ab omni peccato, imo omnimoda impeccabilitas; et absoluta rectitudo moralis, ut infra explicabitur ulterius.

PROPOSITIO. **Deus est formaliter sanctus.** 490.

Haec propositio est *de fide :* continetur enim explicite in universali praedicatione Ecclesiae.

Demonstratio.

A. EX S. SCRIPTURA.

1° In V. T. « Sancti estote, quia ego sanctus sum ». *Lev.,* XIX, 2. Hoc loco (2) Deus exhortatur populum Israël ad observanda praecepta moralia, non mere legalia, ergo ad vitanda peccata proprie dicta. Quapropter hoc in loco, asseritur de Deo saltem perfecta immunitas ab omni peccato.

Anna, in cantico suo, reddens gratias Deo, ejus tres perfectiones enumerat, inter quas sanctitatem : « Non est sanctus ut est Dominus... et non est fortis sicut Deus noster... Deus scientiarum [h. e. omnisciens] dominus est ». *1 Reg.,* II, 2.

Pluribus in locis asseritur Dei rectitudo moralis in operando, sive generice spectata, sive specialiter circa unam alteramve virtutem, necnon interna ejus aversio (3) ab omni malo morali.

Ita *Deuter.,* XXXII, 4, dicitur Deus perfectus in operando, fidelis in promissis, justus et rectus.

In *Ps.* V, 5-7, describitur Dei aversio ab omni iniquitate : « Quoniam

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 85. Cf. suprà, n. 411.

(2) Eadem verba « Sancti estote, quia ego sanctus sum » habentur etiam *Lev.,* XI, 44 : ibi autem monitio illa sequitur expositionem a Deo factam de munditia et immunditia mere *legali:* inde hanc directe intendere videtur Deus illo in loco. Attamen « cum legalis illa munditia tota esset Hebraeis a Deo praecepta, ejus etiam observatio homines efficaciter manuducebat ad moralem munditiam et sanctitatem » DE HUMMELAUER, in h. l., p. 434.

(3) Suprà n. 432, diximus *odium* peccati non esse *formaliter* in Deo, sed ipsi inest *eminenter tantum* in voluntate seu amore boni moralis.

non Deus volens [amans] iniquitatem tu es. Neque habitabit juxta te malignus : neque permanebunt [non poterunt se sistere] injusti [insani et impii] ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus » (1).

Ps. CXLIV, 17 : « Justus [est] Dominus in omnibus viis suis et sanctus [h. e. misericors] in omnibus operibus suis ».

Maxime apud *Isaiam* (2) describitur et laudatur Dei sanctitas : nominatim in visione, qua obtuitus est Deum, humana specie indutum et majestate regia in throno sedentem, coram quo seraphim adstantes clamabant alter ad alterum : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus ». VI, 3 (3).

Ex cognita sanctitate Dei movebatur etiam apud Hebraeos quaestio quomodo fieri posset ut impii saepe hac in terra immunes sint a miseria et felices: cf. *Ps.* LXXII; quomodo justi possent calamitatibus affici: cf. *Job,* XXIX-XXXVII.

491. 2° In N.T., Christus affirmat moralem Dei perfectionem, quando discipulos hortatur ut perfecto modo observent normam agendi a se propositam : « Estote ergo perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est ». *Matth.* V, 48. Specialiter Dei misericordiam asserit et justitiam, *Luc.,* VI, 36; XVIII, 71. Deum vocat sanctum et ab ipso postulat ut sanctos reddat discipulos suos : « Pater sancte, serva eos... serves eos a malo; sanctifica eos in veritate ». Jo. XVII, 11, 15, 17.

S. Paulus docet : nullam iniquitatem esse apud Deum. *Rom.* IX, 14; Deum iratum esse erga peccatores eosque punire: *ib.* I, 18, IX, 22, etc. (4); justitiam suam, *Rom.* III, 24-26, et benignitatem seu misericordiam manifestare in opere nostrae reconciliationis ac redemptionis, *Rom.* V, 8-9; *2 Cor.,* V. 18-19 (5); justitiam exercere in retribuendo praemium pro operibus salutaribus : « Bonum certamen certavi... In reliquo reposita est mihi corona justitiae quam reddet mihi Dominus... justus judex ». 2 *Tim.,* IV, 8.

S. Petrus adhortando fideles ad vitam vere christianam, Dei sanctitatem exhibet ut causam exemplarem et rationem impellentem sanctitatis nostrae : « Filii obedientiae [i. e. obedientes doctrinae evangelii et voluntatem Dei perficientes] [sitis] non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis : sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum : et ipsi in omni conversatione sancti sitis : quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum ». I Petr. I, 14-16 (6).

---

(1) Ideo Deus judicabit homines et puniet perversos: cf. v. gr. *Sophon.,* I, 2-6; *Eccli.,* XXXVI, 1-5.

(2) Cf. MANGENOT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de theol. cath.,* art. *Dieu,* col. 989 ss.

(3) Solemne illud assertum exprimit altissimam *naturae* divinae perfectionem et simul innuit *Personarum trinitatem* in voce ter repetita : Sanctus.

(4) Cf. PRAT, *La théologie de saint Paul,* t. II, p. 317 ss.

(5) Cf. *Collat. Brug.,* t. XVII, p. 512 ss., PRAT, *o. c.,* t. I, p. 280 ss.

(6) Cf. CAMERLYNCK, in h. l., p. 98.

S. Jacobus docet Deum non esse causam peccati, nec ipsum ad malum tentari posse, nec ad peccatum allicere alios. *Jac.*, I, 13-14.

S. Joannes, dicendo « Deus est charitas », *1 Jo.* IV, 8, nempe essentiam Dei esse perfectum amorem, simul docet absolutam rectitudinem omnis volitionis divinae, proinde absolutam sanctitatem Dei.

Objectiones. Doctrinae modo expositae contradicere videntur alii textus S. Scripturae, quorum praecipuos seorsim considerabimus. *492. Objectio ex. Exod., IV, 21*

1. Deus Moysi imponendo officium agendi cum Pharaone ad liberandum populum, et explicando qua ratione illo munere fungi deberet, inter alia, haec dicit : « Vide, ut omnia ostenta, quae posui in manu tua, facias coram Pharaone : ego [vero] indurabo cor ejus et non dimittet populum. » *Exod.*, IV, 21 (1). Ergo Deus asseritur volens iniquitatem et causans peccatum : quod repugnat sanctitati.

Respondetur : negatur consequentia et consequens.

Etenim verbis citatis non includitur conclusio quae nobis opponitur.

Nam *a)* alias dicitur cor Pharaonis esse induratum vel ingravatum postquam viderat mirabilia facta a maleficis (*Exod.*, VII, 13, VIII, 19); alias dicitur Pharao ipse ingravavisse cor suum (*Ib.*, VIII, 15), auxisse peccatum et sic magis induratum esse cor ejus (*Ib.*, IX, 34), confessum esse suam culpam : « Peccavi in Dominum Deum vestrum et in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice et rogate Dominum Deum vestrum ut auferat a me mortem istam ». *Ib.*, X, 16-17. E quibus omnibus fit evidens, Deum ita obdurare Pharaonem, ut tamen Pharao etiam vere obduret se ipsum. Scilicet, quamdiu Pharao gemit sub poena, paratus est ad populum dimittendum; ablato flagello mutat mentem : Deus hoc praesciens aufert flagellum, atque ita Pharaonem indurat (2).

b) Induratio igitur, subjective spectata, nempe in corde seu voluntate Pharaonis, est effectus qui dependet a libera volitione Pharaonis. Ille tamen effectus attribuendus est Deo, quia reipsa dependet a Dei consilio et providentia : inde dicitur Deus indurare cor Pharaonis. Hic modus loquendi, quo alicui attribuitur aliquis effectus, licet hujus non sit proprie causa efficiens, non raro occurrit tum in S. Scriptura, tum in omnibus linguis (3) : effectus v. gr, attribuitur illi qui est tantum permittens illum vel occasionem praebens illi.

c) Ergo assertio : « Deus indurat cor Pharaonis » non determinate significat Deus est proprie causa efficiens illius indurationis vel voluntate proprie dicta vult illam indurationem; sed significat : Deus tali agit ratione, qua de facto induretur cor Pharaonis. Remanet ulterius inquirendum quo modo illa induratio dependeat a Deo. In casu, haec dependentia importat

(1) Idem dicitur aliis in locis, v. gr. *Exod.*, VII, 3; IX, 12 etc.
(2) Ita DE HUMMELAUER, *Commentarius in Exodum et Leviticum*, p. 61.
(3) Cf. VAN DE PUTTE, *De Exodus*, (in 't dietsch vertaald), bl. 17.

quod Deus voluerit *permittere* (1) peccata Pharaonis et non dederit illi talia auxilia, nempe auxilia *efficacia,* quibus cooperaturus fuisset Pharao (2). Sed praeceptum illi a Deo datum et multiplicia miracula coram illo patrata, tendebant natura sua ut induceretur voluntas Pharaonis ad concedendam liberationem populi Hebraei.

493. Objectio ex Marco, IV, 10-12.

2. « Et cum [Christus] esset singularis [i. e. solus], interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim parabolam [i. e. interrogaverunt de parabola, qualis esset haec parabola]. Et dicebat eis : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt : *ut videntes videant et non videant; et audientes audiant et non intelligant; nequando convertantur et dimittantur eis peccata* » *Marc.*, IV, 10-12.

Inde objicitur : Christus hîc exponit ordinationem divinam, secundum quam quibusdam hominibus veritas *tantum in parabolis* proponitur *eo fine* ut non credant, ut non convertantur : ergo vult Deus peccatum illorum.

Respondetur iterum negando consequentiam et consequens. Ad explicanda autem illa verba Christi non datur consensus interpretum. Exponemus primo sententiam quae nobis praeplacet. Verba, quae in textu citato italicis typis excuduntur, sunt citatio, quoad substantiam, ex libro Isaiae (3). Christi sententia sic paraphrastice exprimi posse videtur : Vobis [nempe duodecim Apostolis et discipulis fidelibus qui Christo sincere adhaerebant] datum est a Deo habere specialem cognitionem necnon participationem de regno Dei, quod est mysterium, res celata; aliis vero qui foris sunt [nempe hominibus qui sunt extra coetum vestrum, quia non sunt bene dispositi nec Christo sincere adhaerent] non datur illa specialis notitia de regno Dei, sed illud illis tantum ope parabolarum proponitur : ut ita adimpleatur illud quod vaticinatum est ab Isaïa : nempe quod illi audientes parabolas non percipiant plene sensum earum, consequenter non credant et non convertantur.

Secundum hanc interpretationem, Christus hîc manifestat ordinationem divinam, vi cujus aliis majus auxilium ad salutem conceditur quam aliis; quapropter quibusdam praeordinatur a Deo medium salutis melius, nempe specialis magisque perfecta notitia de regno Dei; aliis vero medium inferius, nempe cognitio proposita ope parabolarum. Ergo hîc non docet Christus

---

(1) Concedi posse videtur quod Moyses, quum audierit et scripserit verba Dei dicentis : « indurabo cor Pharaonis », non explicite cogitaverit de mera permissione divina, quia forsitan non habuerit notionem omnino distinctam de voluntate Dei *permissiva* prout haec distinguitur a voluntate proprie dicta seu effectiva, et quod asseruerit dependentiam indurationis Pharaonis a Deo, quin ulterius cogitaverit de modo illius dependentiae.

(2) Secundum hoc dici potest Deus *negative* esse causa indurationis, nempe non agendo : quatenus vult non concedere auxilia quibus cessaret vel non existeret induratio. « Deus proprio judicio lumen gratiae non immittit illis in quibus obstaculum invenit. Unde causa subtractionis gratiae est non solum ille qui ponit obstaculum gratiae, sed etiam Deus, qui, suo judicio, gratiam non apponit ». S. THOMAS, *Sum. theol.*, I-II, Q. LXXIX, a. 3.

(3) « Et dixit [Dominus]: vade et dices populo huic:, audite audientes et nolite intelligere, et videte visionem et nolite cognoscere; excaeca cor populi hujus et aures ejus aggrava et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat et convertatur et sanem eum » *Isa.*, VI, 9-10.

datam esse quibusdam solam parabolarum notitiam *eo fine* ut non convertantur, ac si voluisset Deus illorum peccatum et *ideo* adhibuisset parabolas ut medium inefficax ad conversionem; sed hoc docet quod illis hominibus tantum in parabolis notificatur regnum Dei, quia illis non concessa est major et perfectior notitia quae conceditur aliis (1).

Per hoc non excluditur id quod docetur in theologia de voluntate salvifica Dei erga omnes homines, de qua infra erit sermo, et de sufficientia auxiliorum omnibus concessa (2).

494. Alii interpretes censent, Christum docere parabolas turbis proponi *in poenam* peccati, nominatim obstinationis qua renuebant adhaerere Christo sicut oportebat. « Cum itaque Christi doctrinam non susceperint eo quo oportuit modo, in poenam ulterior eis institutio subtrahitur. Atque in poenam Christus ulteriorem atque explicitam doctrinam illis non tradit; sed veritatem illis proponit quasi velamine obtectam. Praevidet illos non esse intellecturos; nihilominus eo modo docet. Quare illorum hac in re caecitatem velle dicitur, quae simul est poena quam meruerunt » (3).

In hac sententia solvitur etiam objectio nobis proposita contra sanctitatem Dei: nam Deus non vult peccatum, sed tantum *poenam* peccati: haec porro poena consistere potest in subtractione gratiae, sive externae, sive internae. Ergo non officit sanctitati divinae quod Deus, quum *permiserit* incredulitatem culpabilem illorum hominum, *voluerit* illos puniri, per hoc quod tantum parabolis proponerentur illis veritates de regno Dei.

Attamen huic interpretationi opponuntur praecipue duae graves difficultates: prima quidem, quod supponitur parabolas esse natura sua obscuras, nec aptas quibus rite edoceantur turbae de eo quod cognoscere debent; secunda, quod illa ratio docendi non componi posse videtur cum dignitate Christi, cum ejus munere praedicandi veritatem ad populum ut ille credat et poenitentiam agat (4).

495. *Deus nequit velle peccatum, sed ordinare illud potest.*

Nota. Deus nequit velle peccatum, ne ut medium quidem ad bonum : sed quum permittat peccatum, potest illud *ordinare* in aliquod bonum, seu *velle ut peccatum fiat occasio alicujus boni :* v. gr. incredulitas judaeorum eorumque exclusio a regno Dei fuit, secundum Dei providentiam, occasio conversionis populorum gentilium. Hoc docet S. Paulus, *Rom.* XI, 11-24. Etiam in aliquo individuo, peccatum ab ipso commissum potest, secundum Dei providentiam, fieri occasio egregiae poenitentiae et magnae sanctitatis.

B. Ex Traditione. 496.

Nemo dubitat quominus Christiani semper crediderint Deum esse sanctum. Jam in antiquioribus documentis, quibus Christianorum fides manifestatur, explicite asseritur sanctitas de Deo, idemque attributum saepe exprimitur in Ecclesiae precibus.

---

(1) Illam sententiam tenet P. Lagrange, *Evangile selon saint Marc,* Paris, 1911, p. 94 ss., quae sic compendio proponitur : « Les disciples, du moins dans Mc., ne font pas de réflexion sur le but des paraboles; il leur semble qu'elles contiennent autre chose que le sens propre, et ils demandent des explications. En les leur donnant, Jésus leur explique que c'est par une grâce spéciale qu'on leur communique un mystère refusé aux autres, dont la situation est comparée à celle du temps d'Isaïe. Les paraboles ne sont pas choisies pour qu'ils ne comprennent pas; mais ils sont réduits aux paraboles parce qu'il ne leur est pas donné de comprendre : ce que Mt. a suppléé expressément: *ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται.* Ils ne reçoivent pas un don suréminent, mais ils ne sauraient s'en plaindre, puisqu'il ne leur est pas dû, et qu'il ne convient pas qu'ils le reçoivent tant qu'ils se tiennent en dehors du groupe des disciples ».

(2) Cf. nostrum tractatum *De divina gratia,* n. 403 ss.

(3) Knabenbauer, *Commentarius in evangelium secundum Marcum,* p. 117.

(4) Cf. Lagrange, *o. c.,* p. 96 ss.

In *doctrina duodecim Apostolorum,* c. 10, n. 1 ss. refertur formula actionis gratiarum post sumptionem SS. Eucharistiae: illa incipit his verbis: « Gratias tibi agimus Pater sancte pro sancto nomine tuo... ».

Hymnus vespertinus Graecorum sic sonat: « Lumen hilare sanctae gloriae immortalis Patris, coelestis, sancti, beati, Jesu Christe; cum ad solis occasum pervenerimus, lumen cernentes vespertinum, laudamus Patrem et Filium et Sanctum Spiritum Dei. Dignus es temporibus omnibus sanctis vocibus celebrari, Fili Dei, vitae dator: quapropter te mundus glorificat » (1).

S. Justinus, *Apologia I,* n. 6, Dei sanctitatem describit dicendo: « Inde et athei appellamur; atque atheos quidem nos esse confitemur, si de opinatis ejusmodi diis agatur; secus vero, si de verissimo Deo agatur, qui est pater justitiae ac temperantiae ac ceterarum virtutum, in quo nulla admiscetur vitiositas.

Origenes, *Contra Celsum,* L. III, n. 70, impeccabilitatem divinam propugnat: « Dicimus autem nos, quemadmodum id, cujus nativa dulcedine res aliae dulcescunt, illas non potest amaras facere, quod contra suam naturam esset; neque id potest obscurare quod natum est ad illuminandum; ita nec Deum injuste facere posse. Haec enim potestas ejus divinitati contraria est et illi omnipotentiae, quam uti Deus habet ».

In hymno *Gloria in excelsis* (2), Christus, quatenus Deus, sic laudatur: « Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus ».

In multis orationibus invocatur Deus his verbis: « Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus ».

In adoratione Crucis, feria VI in Parasceve canit chorus: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.

Quod Isaïas audierat a Seraphim cantatum coram throno Dei, sc. « Sanctus, Sanctus, Sanctus... », id Ecclesia assumit in *Missa,* etiam in hymno *Te Deum.*

497. **Ulterior explicatio.**

1. De formali ratione sanctitatis divinae.

Praenotanda.

Uti suprà, n. 488, diximus, obvia notio sanctitatis, quam communiter habent homines, importat immunitatem a peccato et rectitudinem operationis in ordine morali. Haec porro notio ulterius est investiganda.

Quid actio moralis,

a) Moralis est operatio hominis quae et quatenus est *voluntaria;* eatenus autem est apud homines, hac in terra degentes, perfecte voluntaria, quatenus est *libera,* quatenus nempe est electio, procedens a *deliberante* ratione.

« Ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur », dicit S. Thomas (3). Illud porro *dominium* perfecte invenitur in actu *humano,* nempe in actu qui consequenter ad plenam deliberationem rationis elicitur a voluntate, scilicet in *electione.* « Ex hoc contingit quod homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest » (4).

Ad rem Schiffini: « Actus humanus... et actus moralis perinde accipiuntur: dicitur enim actus sive humanus sive moralis per habitudinem ad principium morum, seu voluntatem libere sub rationis dictamine operantem. Hinc etiam in exteriori judicio nulla sententia fertur neque condemnatoria, neque absolutoria de his quae constat sine deliberatione ulla contigisse, puta in amentia » (5).

---

(1) Rouët de Journel, *Enchiridion patristicum,* n. 108.
(2) De quo cf. *Collat. Brug.,* t. XVII, p. 259.
(3) *In II Sent.,* Dist. XXIV, Q. III, a. 2.
(4) S. Thomas, *Sum. theol., I-II,* Q. VI, a. 2, ad 2. Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali,* n. 3, 9.
(5) *Disputationes philosophiae moralis,* Augustae Taurinorum, 1891, T. I, n. 192, cf. n. 2.

b) Porro actus moralis est vel *bonus,* sive honestus, vel *malus.* Bonus, quando est conformis cum regula morum, quae proxime quidem est *recta ratio,* remote *lex Dei aeterna;* malus vero, si difformis est a praedicta regula.

moraliter honesta.

Moralitas igitur actuum nostrorum duo complectitur: libertatem indifferentiae et conformitatem vel difformitatem a regula agendi: hoc secundum est elementum quasi *formale,* primum vero quasi materiale. « Ex dictis intelligitur actum humanum praecise secundum se esse elementum quasi materiale moralitatis, in ordine vero proportionis ad finem vel disproportionis secundum rectam rationem haberi elementum formale moralitatis » (1).

c) Lex aeterna est ratio divinae sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum (2). Haec porro ratio seu ordinatio, in mente divina existens, nobis applicatur *ut regula agendi* tum per legem naturalem (3), tum per leges positivas (supernaturales et naturales); tum per consilia, quibus proponuntur actiones honestae, non obligatoriae, sed majorem perfectionem moralem inducentes. Omnis honestas moralis, uti diximus, consistit in conformitate actionis cum lege aeterna, seu in aptitudine actionis ad hoc ut per illam agens tendat in ultimum suum finem : haec est enim lex aeterna ut entia tendant ad ultimum finem a Deo illis praedefinitum.

498. Honestas moralis consistit in actionis liberae conformitate cum lege aeterna,

Porro ultimus finis proprius hominis, omnisque creaturae rationalis, est Deus cognoscendus et amandus (4) : inde eatenus moraliter honestus est actus humanus, (qui in libera volitione consistit vel ab ipsa dependet) quatenus elicitur vel imperatur amore erga Deum, vel aliquo saltem modo refertur ad Deum ut ad ultimum finem. Quum autem ad suum ultimum finem homo tendere debeat per multas operationes, specifice diversas ex formali objecto earum, ideo dantur multae virtutes, nempe habitus boni operativi, perficientes potentiam rationalem ad honeste operandum (5).

seu in actionis proportione cum ultimo fine agentis liberi.

Porro sanctitas, generice spectata, quae est rectitudo voluntatis circa ultimum finem, consistit in complexu omnium virtutum et admittit, ut patet, multos gradus perfectionis. Si consideratur mutua connexio virtutum earumque ad invicem dependentia, et intrinseca dignitas illarum, apparet praecipuam omnium esse charitatem : hac enim virtute conjungitur voluntas immediate cum Deo ultimo fine : charitas enim est virtus qua homo diligit Deum super omnia, quia est in semetipso infinite bonus (6).

499. Sanctitas consistit essentialiter in charitate erga Deum.

Ex quo tandem sequitur quod *sanctitas* consistit *principaliter* imo *essentialiter* in *charitate erga Deum* (7).

---

(1) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.,* n. 10.
(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I-II, Q. XCIII, a. 1; *De veritate,* Q. V, a. 1, ad 6.
(3) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 453 ss.
(4) Cf. SCHIFFINI, *Disputationes philosophiae moralis,* t. I, n. 24; *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 186, 251, 316.
(5) Cf. BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis,* n. 346 ss., 379 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De virtutibus cardinalibus,* t. I. p. XVIII ss.
(6) Cf. BOUQUILLON, *De virtutibus theologicis,* n. 400 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Annotationes* in opus mox citatum; card. BILLOT, *De virtutibus infusis,* thes. XXXI et XXXII.
(7) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* II-I, Q. CLXXXIV, a. 1 et 3; MAHIEU, *Probatio charitatis*[3], p. 16 ss., 51 ss.

500. Dei sanctitas consistit formaliter in amore divinae bonitatis,

Dei sanctitas consistit formaliter in amore divinae bonitatis.

Uti vidimus statim, sanctitas est rectitudo voluntatis circa ultimum finem et consistit in amore perfecto erga Deum : jamvero haec ratio invenitur formaliter in Deo : ipse enim necessario amat semetipsum ut bonum in se infinitum, nec aliquid a se distinctum amare aut velle potest nisi propter bonitatem suam communicandam (cf. suprà, n. 478): in hoc verificatur absolute rectitudo voluntatis circa ultimum finem, amor perfectissimus Dei, tamquam finis absolute ultimi. Inde habetur absoluta impeccabilitas.

quatenus Deus, quasi reflexe, rectitudinem illius amoris vult.

Licet ille amor Dei non sit liber, libertate electionis, tamen in eo verificatur *libertas absoluta,* quae consistit in hoc quod Deus, praelucente perfectissima cognitione de infinitate propriae bonitatis et de rectitudine amoris erga illam, *vult se velle semetipsum :* in hoc actu verificatur quoddam *dominium* agentis in proprium actum, quia praelucente cognitione de rectitudine illius actus, quasi *reflexe* vult voluntas se velle hoc : quatenus habetur illud dominium, eatenus habetur libertas absoluta, licet immutabiliter et physica necessitate terminetur amor ad objectum sic propositum ab intellectu (1) : in hoc habetur formaliter et reduplicative amor *rectitudinis.*

Illa *libertas absoluta,* de qua loquimur, verificatur etiam in homine (et in angelo) in statu *termini,* nempe quando homo donatur visione intuitiva Dei : tunc actus charitatis est physice necessarius, sed quia homo intellectu cognoscit formalem rectitudinem illius actus charitatis, etiam vult hanc rectitudinem et vult se amare Deum quia hoc est rectissimum. Consequenter ad illam intellectualem cognitionem habet *quoddam dominium* in suum actum volendi, quod dominium non habetur in amore voluntatis ut natura. Illud dominium hîc dicitur *libertas absoluta.*

Illud *dominium* voluntatis, de quo suprà diximus, est realiter diversum a dominio quod exercetur in actu *electionis,* qua voluntas ipsa physice sese determinat ad unum prae altero volendum. Unde non univoce, sed analogice, dicitur *liber* actus quo Deus vult se velle semetipsum propter rectitudinem illius amoris, et actus quo Deus vult creaturas existere.

501. Deo insunt formaliter quaedam virtutes morales, et hae proprie dicuntur de illo.

2. De virtutibus quae formaliter insunt Deo et ad sanctitatem ejus pertinent. (2).

Quum in nobis inveniantur habitus virtutum ordinis moralis, inquirendum est utrum tales etiam pertineant ad Dei sanctitatem.

Imprimis evidens est Deo inesse non posse habitus seu virtutes secundum rationem genericam, prout sunt *habitus* seu qualitates, et proinde accidentia (3).

Sed secundum quod dicunt *speciales quasdam perfectiones* voluntatis in ordine ad *operationem,* quaedam earum sunt quae nullam in suo conceptu

---

(1) Cf. S. Bonaventura, *In II Sent.,* Dist. XXV, P. II, Q. II, *Opera omnia,* t. II, p. 612; etiam *o. c.,* P. I, dub. III, p. 607; Illmus ac Revmus Waffelaert, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. V, p. 551, 553, 588. Cf. suprà, n. 470.

(2) Cf. Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 594 ss.; card. Billot, *De Deo,* c. II, q. 20-21, p. 273 ss.

(3) « Deo enim non convenit bonum esse per aliquid aliud ei superadditum, sed per essentiam suam, cum sit omnino simplex; nec etiam per aliquid suae essentiae additum agit, cum sua actio sit suum esse... Non est igitur virtus in Deo aliquis habitus, sed sua essentia ». S. Thomas, *Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 92.

involvunt vel supponunt imperfectionem : tales Deo formaliter insunt et proprie de illo praedicantur (1).

spectantes operationem ad extra,

Deus, quum formaliter sanctus sit charitate, qua semetipsum infinite diligit, nec aliquid a se distinctum velle aut operari possit nisi ratione bonitatis suimetipsius communicandae et proinde externae gloriae suae obtinendae, eatenus virtutes morales, modo supra explicato, possidet, quatenus *ad extra* operatur.

502. nominatim: liberalitas;

Deus potest libere velle operari ad extra : haec volitio est *benignitas* (2), quae procedit ex *benevolentia* (welwillendheid) et exsecutioni mandatur per *beneficentiam* (weldadigheid). Jamvero volitio divina, qua vult aliis bonum, talis est ut unice in aliorum commodum, non in suum proprium, velit bona communicanda, et solo amore ipsius beneficentiae : ille modus elargiendi sua bona est *liberalitas* (3).

503. misericordia;

Beneficentia autem liberalis potest specialiter consistere in subveniendo miseriis entium rationalium, seu in elargiendo bona quibus praecise mala physica aut moralia tollantur ab illis entibus vel minuantur : quatenus beneficentia in hoc consistit, vocatur *misericordia,* quae proinde definitur : prona et constans voluntas subveniendi miseriis aliorum. Misericordia porro complectitur *clementiam.* Quum misericordia importet *misericordem* esse superiorem illi cui subvenit, ideo misericordia formaliter convenit Deo ut aliquid *proprium* ipsi : quippe qui est maxime superior, imo supremus omnium, maximeque potens et volens aliorum miseriae subvenire (4).

Hoc bene notemus quod, tantum in sensu statim explicato, misericordia formaliter inest Deo. Si illud vocabulum sumitur sensu etymologico, importat tristitiam de malo alterius, seu compassionem et consequenter volitionem subveniendi illi misero : secundum hoc, misericordia non proprie, sed tantum metaphorice dicitur de Deo, ut docet S. Thomas, *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 91.

504. magnificentia;

Quum specialis ratio honestatis sit in hoc quod quis velit *magna* elargiri et efficere, ideo datur specialis virtus quae vocatur *magnificentia.* Haec formaliter inest Deo.

505. justitia.

Justitia est virtus quae recte ordinat ea quae sunt ad alterum, quatenus unicuique suum tribuit (5).

---

(1) « Sunt autem virtutes aliquae vitam activam hominis dirigentes, quae non circa passiones, sed circa *actiones* sunt, ut veritas [h. e. veracitas], justitia, liberalitas, magnificentia, prudentia, ars [ars, ut sic, non ad genus *morale* pertinet, nec est virtus *moralis*]. Cum autem virtus ex objecto vel materia speciem sortiatur; actiones autem, quae sunt harum virtutum materiae vel objecta, divinae perfectioni non repugnent, nec hujusmodi virtutes *secundum propriam speciem* habent aliquid propter quod a divina perfectione excludantur ». ID., l. c., c. 93.

(2) Benignitas est prona et constans voluntas aliis benefaciendi; benignitas, in *actu secundo*, non habetur in Deo nisi decreto voluntatis divinae communicandi aliis bonum. Benignitas Dei dicitur etiam bonitas *relativa,* distincta ratione a bonitate *absoluta,* quae est ipsa infinita Dei perfectio in se. Cf. MAHIEU, *o. c.*, p. 545 ss.

(3) Circa liberalitatem, necnon circa alias virtutes, quas formaliter inesse Deo dicimus, observandum est quod illae virtutes, apud homines, dirigunt actiones quae respiciunt *res humanas,* ut pecuniam, et ab eis speciem sumunt. In Deo autem illae virtutes sunt universalioris extensionis, respiciuntque omnia bona, tum naturalia, tum supernaturalia, quae Deus elargitur. Cf. S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 93, in fine.

(4) Cf. S. THOAMAS, *Sum. Theol.*, II-II, Q. XXX, a. 3.

(5) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De Justitia,* t. I, n. 5 ss.

Justitia porro distinguitur triplex : *legalis,* quae ordinat actiones singulorum ad bonum commune seu qua unusquisque reddit quod debitum est reipublicae; *distributiva,* quae bonum commune ordinat ad singulos seu qua rector reipublicae communia bona et onera distribuit inter membra secundum eorum dotes, dignitatem et meritum; *commutativa,* quae dirigit actiones mutuas privatorum, seu qua unicuique particulari redditur, secundum aequalitatem omnimodam, quod ipsi ex jure stricto debetur.

non tamen simpliciter dicta,

Ad Deum quod attinet, praeobservandum est non posse haberi in Deo respectu creaturae, justitiam simpliciter dictam : etenim justitia, simpliciter dicta, importat obligationem, proprie dictam, unius ad alterum : jamvero, quum Deus sit absolutissimus Dominus creaturae, omnisque ejus operationis, etiam liberae, non potest creatura habere jus, proprie dictum, erga Deum, nec Deus potest obligari ad tribuendum aliquid creaturae : quidquid enim est creatura vel facit, non est simpliciter *suum* et proinde nequit unquam Deus esse debitor creaturae.

sed secundum quid,

Sed ex hypothesi quod Deus velit libere et ex mera benevolentia condere creaturas, tunc exsurgere potest in Deo propter proprias perfectiones (v. gr. propter sapientiam et sanctitatem) *exigentia* tribuendi creaturis ea quae debentur ipsarum naturae et operationibus. Secundum hoc Deus est debitor *sibi* ut det creaturae id quod dignum est : sic verificatur ratio justitiae secundum quid (1).

praesertim distributiva,

Hoc posito, justitia *distributiva* proprie convenit Deo quatenus « aequalitatem proportionis servat in communicatione bonorum suorum, dans unicuique secundum suum modum » (2). Verumtamen in hoc attendere oportet quod, in rebus naturalibus, ipse modus uniuscujusque est ab auctore naturae determinatus; in voluntariis autem, quidquid est boni est a Deo volente et promovente; quidquid vero mali, non est quidem a Deo volente, sed tamen permittente. Et ideo justitia distributiva in Deo, nihil aliud est quam voluntas dandi unicuique secundum regulam divinae suae sapientiae, in qua decenter ordinati inveniuntur diversi gradus rerum naturalium, decenter etiam provisa promotio quorumdam in bono, tum permissio casus aliorum ex abusu liberi arbitrii » (3).

506. quae complectitur remunerativam et vindicativam;

Porro justitia distributiva complectitur tum *remunerativam* tum *vindicativam : remunerativam* exercet Deus, quatenus, secundum normam a se statutam, utpote aequissimus aestimator meriti uniuscujusque, dat singulis mercedem proportionatam operibus bonis seu meritoriis (4) : inde dicit S. Paulus : « In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi in illa die justus judex : non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus ». 2 *Tim.,* IV, 8. — *Vindicativam* exercet Deus, quatenus

(1) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.,* n. 12; S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXI, a. 1, ad 3.
(2) S. THOMAS, *in IV Sent.,* Dist. XLVI, Q. I, a. 1, sol. 1.
(3) Card. BILLOT, *o. c.,* p. 276.
(4) De conditionibus *meriti,* cf. nostrum tractatum *De divina gratia,* n. 359 ss.

peccatoribus infert poenam perfecte proportionatam numero et gravitati operum malorum.

In tribuenda mercede vel poena Deus servat perfectam aequalitatem proportionis, quatenus nec remuneratur infra meritum nec punit ultra demeritum : secundum hoc habetur quaedam ratio justitiae etiam *commutativae* (1).

Justitia vindicativa nec ita limitanda est ut poena solam emendationem rei, timoremque aliorum, non vero ultionem mali spectare dicatur; nec ita extendenda ut Deus dicatur non posse gratuito condonare peccata, sed tantum intuitu condignae satisfactionis (per Christum) praestitae (2).

507. veracitas;

Veracitas est virtus moralis quae veritatem in signis vult et procurat, cui opponitur mendacium.

Veracitatem esse formaliter in Deo diximus suprà, n. 267.

508. fidelitas;

Fidelitas est virtus moralis qua quis vult et procurat adimpletionem seu exsecutionem promissionis ab ipso factae.

Fidelitas formaliter inest Deo. Nam qui promittit id quod non statuit animo exsequi, mendax est. Deus hoc esse nequit. Qui vero non praestat id quod sincere promisit, iniquus vel certe inconstans est, nisi adjuncta rerum immutata excusent. Sed Deus tum, cum promittit, rerum adjuncta etiam futura praevidet. Ergo si non faceret, quod se facturum praenuntiavit, iniquus vel inconstans esset : quod repugnat (3).

509. prudentia.

Tandem *prudentia* (4), secundum praecipuum actum qui illi proprius est, nempe *praecipere* de agibilibus, et quatenus moderatur exercitium aliarum virtutum, adeoque ab ipsa est rectitudo et complementum bonitatis in omnibus aliis virtutibus, est etiam formaliter in Deo.

510. Quaedam virtutes dicuntur metaphorice de Deo,

Aliae virtutes morales recte dicuntur *metaphorice* de Deo : quia effectus ab illis productos in nobis sunt similes quibusdam effectibus a Deo productis. Ideo Deus dicitur *longanimis, patiens, mansuetus, zelotes, fortis, magnanimis* (5).

aliae ne metaphorice quidem.

Aliae virtutes morales ne metaphorice quidem dicuntur de Deo, quia inter illas et divinam perfectionem non datur similitudo quoad effectum vel quoad affectum. Ideo Deus non dicitur castus, sobrius, modestus; nec humilis, obediens.

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, II-II, Q. LXI, a. 1, ad 1.
(2) De utraque illa sententia, videsis KLEUTGEN, *o. c.*, n. 599 ss.
(3) Cf. KLEUTGEN, *o. c.*, n. 686.
(4) Cf. St. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXII, a. 1; II-II, Q. XLVII, a. 8, 11; *De virtutibus in communi*, Q. I, a. 6.
(5) De his S. THOMAS, *Sum. cont. Gent.*, L. I, c. 92; LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis*, L. XII, c. 20; ILLmus JANSSENS, *De Deo uno*, t. II, p. 354 ss.

Caput IV

De Providentia Dei.

511. Ordo dicendorum.

Consideratis his quae ad divinam *voluntatem* absolute pertinent, procedendum est ad ea quae respiciunt simul intellectum et voluntatem. Hujusmodi autem est providentia, quae respicit omnia entia a Deo dependentia : deinde, tamquam partes providentiae, dantur praedestinatio et reprobatio, quae respiciunt directe aeternam salutem hominum (1) : datur etiam praedestinatio et reprobatio angelorum; sed nihil speciale occurrit dicendum circa illud.

Quapropter praedictam materiam dividimus in tres articulos, quorum primus agit de providentia secundum se spectata, secundus de praedestinatione, tertius de reprobatione.

Articulus Ius. **De providentia secundum se spectata.**

512. Notio.

Notio providentiae obvia, qualis nobis in Sacra Scriptura exhibetur, importat divinam praescientiam et nutum seu liberam voluntatem, a quibus dependent et reguntur omnia : tum entia irrationalia eorumque operationes : tum rationalia eorumque liberae volitiones; divina praeordinatio facit et servat totum ordinem rerum, necnon curam de omnibus habet.

513. In Deo existere providentiam est de fide,

Propositio. *Est in Deo providentia.*

Haec assertio est de fide. Concilium Vaticanum definivit : « Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur et gubernat, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter* [cf. Sap., VIII, 1] » (2).

514. demonstratur A) ex S. Scriptura, 1°) ex V. T.

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura.

1° In V. T., saepissime describitur divina praeordinatio circa omnia : *Prov.* XVI, 1 et 9 docetur hominis quidem esse proponere et disponere agenda, sed a Deo dependere exsecutionem humanorum consiliorum; et, v. 33 asseritur sortes quae mittuntur, quibus aliquid determinetur, a Deo regi, ab ipso dependere quo modo casurae sint, et proinde ab ipso esse decisionem rei.

« Cor regis in manu Domini [Jahve]; quocumque voluerit inclinabit illud » *Prov.* XXI, 1 : rex qui nulli subditus est, sed omnibus dominatur, tamen omnino a Deo dependet in operando et Dominus regis animum flectit quocumque voluerit. Nulla sapientia aliquid valet contra Dei consilium, nec media de se apta possunt finem attingere, quin Deus pro lubitu

(1) Cf. S. Thomas, *Sum. theol.*, I, prolog. ad Q. XII.
(2) *Enchir.*, n. 1784.

tribuat prosperum successum *Ib.*, 30. Diversitas conditionis socialis inter homines dependet a dispensatione divina : « Dives et pauper obviaverunt sibi [h. e. occurrunt, unà vivunt], utriusque operator est Dominus » *Prov.*, XXII, 2.

In libro *Job* (1) addiscimus omnes eventus, tum qui nobis prosperi, tum qui nobis adversi sunt, a Dei ordinatione procedere, I, 1-II, 10; a Deo omnia gubernari, XXXVIII, 12-XXXIX, 32.

Ab *Isaïa* describuntur multi eventus, ut a Deo praeordinati et in futurum eventuri : v. gr., universalitas ac visibilitas regni Messiae, II, 1-4; consilium Dei quo statuit omnem potentiam dejici ut unum Emmanuelis regnum et sola ipsius majestas consistat, VIII, 1-9.

In *Ps.* LXXI prophetica exhibetur descriptio de glorioso regno Messiae futuri, ut parato a Deo; in *Ps.* LXXII docemur et impiorum felicitatem, et justorum tribulationem esse a Deo, neque repugnare divinae providentiae et justitiae (2).

In *Eccli.*, asseritur homines rectos a Deo probari et adjuvari in probatione II, 5, XXXII, 1; diversas hominum conditiones, hac in terra, dependere a Dei ordinatione, XXXIII, 10-3.

Sapientiae libro continentur praeclara quaedam dicta :

« Attingit [sapientia divina] a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter ». VIII, 1. Sensus est : sapientia divina ab una extremitate usque ad alteram universitatis rerum creatarum pertingit seu se extendit, ita ut nihil sit in quo ejus vigor et virtus sese non exserat ac manifestet; necnon omnino omnia administrat, non quidem violenter, sed convenienter ad rerum naturas (3). Etiam nonnisi omnibus ac singulis circumstantiis accuratissime consideratis agit Deus : « Omnia in mensura et numero disposuisti. » XI, 21. « Pusillum et magnum ipse fecit et aequaliter cura est de omnibus. » VI, 8. Sensus est : homines omnes, pusilli seu inferiores ac magni seu potentes, dependent a Deo et ab ipso reguntur aequali providentia.

515.
2°) Ex N. T

In N. T., Jesus pulcherrime exponit paternam curam quam de omnibus creaturis, maxime autem de hominibus, gerit Deus : volatilia coeli pascit Pater coelestis, lilia agri vestit; haec a fortiori praestat hominibus : ideo fiducia habenda est Deo, nec sollicitudo est primario ponenda in prospiciendo illis rebus. Cf. *Matth.* VI, 25-34.

Nec nimis timendum est ab impugnatione hominum : nam passer non cadit super terram quin cognoscat hoc et huic consentiat Deus; hominum autem omnes capilli capitis numerati sunt a Deo : ergo nihil, ne minimum quidem, accidit homini, absque praecognitione et praedefinitione Dei. *Id.*, X, 28-31.

---

(1) Cf. MANGENOT, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dieu*, col. 980 ss.
(2) De utroque psalmo cf. VAN DER HEEREN, *Psalmi*, p. 158 ss.
(3) Cf. CORNELY-ZORELL, *Commentarius in librum Sapientiae*, p. 299 ss.; S. THOMAS, *Sum. theol.*, I-II, Q. CX, a. 2.

S. Paulus docet universa esse facta et conservari a Deo, necnon fuisse ab ipso definitum quamnam terrae regionem et quamdiu quaeque gens incoleret. *Act.*, XVII, 24-26. — Apostolus explicat cur partialis exclusio Israëlitici populi a salute messianica non repugnet promissionibus olim a Deo factis, et quomodo Judaeorum infidelitas a Deo praecognita et permissa fuerit, necnon ordinata in bonum. *Rom.*, IX, 1-XI, 32. Hanc expositionem terminat divitias celebrans sapientiae Dei, qui viis, quas homo non intelligit, omnia ad semetipsum, nempe ad gloriam suam, ducit. *Ib.* XI, 33-36. — Ad *Coloss.*, I, 25 s., dicit se ordinatione divina constitutum fuisse ministrum ut evangelium praedicaret et ecclesiam extenderet, ut annuntiaret *mysterium* (sc. redemptionem) quod est res abscondita quidem hominibus per multa saecula, nunc autem manifestata, secundum Dei voluntatem. — Ad *Ephes.*, I, 4-6, dicit eos ab aeterno ad justificationem et adoptionem fuisse electos ac praedestinatos a Deo.

516. **Objectio.** S. Paulus, *1 Cor.*, IX, 9, scribit: « Numquid de bobus curat Dominus »? Ergo negat Dei providentiam circa boves.

R. Nego consequentiam. Ad textum autem quod attinet, dicendum quod « non agitur de generali providentia qua Deus omnes etiam minimas res curat et ad fines eis propositos adducit, sed de speciali illa, qua creaturae rationales etiam *positivis legibus* ad fines suos diriguntur. Id igitur vult Paulus, legem hanc [quae exprimitur his verbis: « Non alligabis os bovi trituranti » Deut., XXV, 4] non propter boves, sed propter Judaeos esse latam, eum nimirum in finem, ut Judaei non tantum discerent, quanta cum sollicitudine animalia ipsa, quorum opera utebantur, essent tractanda, sed ut simul ex ea concluderent, multo magis homines pro iis laborantes mercede sua esse dignos » (1).

517. B. Ex Traditione.

B) *ex traditione: S. Clem. Rom.,* S. Clemens Rom., *1ª epist. ad Cor.* (an circ. 96-98), c. XX, pulcherrime describit quomodo omnes res, ad diversa genera pertinentes, secundum normas statutas agant et harmonice ad invicem operentur, *dependenter a praeordinatione et voluntate Dei.* Dicit etiam, c. XXXII, 4, christianos ex voluntate Dei vocatos esse ad justificationem; hanc porro non esse per opera, quae ipsi operati sunt, « sed per fidem per quam omnipotens Deus ab initio omnes justificavit ».

epist. ad Diognet, *Epist. ad Diognetum* (saec. II) explicat cur Christi religio, quae vera est et a Deo procedit, post tam longum tempus apparuerit in mundo: hujus ratio est quia Deus decrevit primo patefieri infirmitatem moralem, qua homo laborat; deinde autem, tempore a se statuto, suam manifestari benignitatem et potententiam. C. IX, 2.

Athen., Athenagoras, *De resurrectione* (an. circ. 177), n. 18, docet quicumque Deum ut creatorem universi profitentur, eos etiam credere oportere in coelo et in terra nihil cura et regimine destitui, sed providentiam creatoris ad omnia entia invisibilia et visibilia, parva et magna extendi.

Theoph. Antioch., Theophilus Antiochenus, *Ad Antolycum* (circ. 181) docet Deum providere et gubernare omnia, L. I, n. 4 et hoc esse proprium Dei; deinde res a Deo ordinatas sic describit:

« Considera, o homo, ejus [Dei] opera, tempestatum statis temporibus vicissitudines aëris mutationes, astrorum attemperatum cursum, dierum et noctium mensium et annorum rite descriptas vices... tum providentiam (*πρόνοιαν*), qua Deus cibum omni carni praeparat, tum servile obsequium, quod homini ab omnibus praes-

(1) Cornely, *Comment.* in h. l., p. 246 s.

tari jussit... Solus ille Deus est, qui lucem ex tenebris fecit, qui lumen thesauris suis eduxit, et receptacula austri ac thesauros abyssi et terminos maris fecit ».

S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, L. II, c. XXVI, n. 3, docet omnia et singula entia, quoad omnia quae ad illa pertinent, dependere a Deo: confitetur enim, « quia nihil omnino horum quae facta sunt et quae fiunt et fient scientiam Dei fugit ,sed per illius providentiam unum quodque eorum et habitum et ordinem et numerum et quantitatem accepere et accepisse propriam ». *S. Iren.,*

Minucius Felix, in opere cujus titulus *Octavius* (scripto probabiliter infrà 180-192) (1), c. 17 et 18, eloquentissime describit varias hujus mundi aspectabilis creaturas, tenebrarum ac lucis vices, temporum ac frugum ordinem, operantium rerum ad invicem subordinationem: a Deo haec omnia decerni, disponi ac gubernari concludit. *Minuc. Fel.,*

« Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum tam perspicuum cum oculos in coelum sustuleris et quae sunt infra circaque lustraveris quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur ?... c. 17.

« Quod si ingressus aliquam domum, omnia exculta, disposita, ornata, vidisses, utique praesse ei crederes dominum et illis bonis rebus multo esse meliorem: ita in hac mundi domo, cum coelo terraque perspicias providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum parentemque ipsis sideribus et totius mundi partibus pulchriorem. Ni forte, quoniam de providentia nulla dubitatio est, inquirendum putas, utrum unius imperio an arbitrio plurimorum coeleste regnum gubernetur; quod ipsum non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de coelo » c. 18. Deinde concludit unicum esse Deum « qui universa, quaecumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat » *ib.*

Clemens Alex., *Stromata*, L. V, c. I, n. 6, docet manifestam esse Dei providentiam ex aspectu omnium rerum aspectabilium. *Clem. Alex.*

Tertullianus in opere *Adversus Marcionem*, L. II, propugnat Creatorem mundi esse unicum verum Deum, praeditum omnibus proprietatibus quas Marcionitae tribuebant illi quem ut *bonum* Deum agnoscebant, cui opponebant malum auctorem mundi. In illo libro Tertullianus asserit etiam *providentiam* Dei, ostenditque Dei bonitati, ratione dispositionis rerum, praescientiae atque potentiae non repugnare liberum hominis arbitrium ac peccatum ejus, necnon diversas operationes, quae Deo attribuuntur in S. Scriptura (2). Nominatim, loquens de poenitentia secundum quam Deus dicitur poenituisse se quod constituerit Saulem regem (*1 Reg.*, XV, 11), docet per hoc non excludi providentiam, nempe praescientiam et praeordinationem hujus facti in Deo, sed omnino necessarium esse in Deo providentiam. « Nemo enim te sustinebit improvidentiam adscribentem Deo ei quem Deum non negans confiteris et providum. Haec enim illi propria divinitas constat ». c. 24. In *De poenitentia*, c. I, nitide asseruerat: « Deus omnium conditor nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit, nihil non ratione tractari intelligique voluit » (3). *Tertul.*

S. Augustinus in opere *De civitate Dei* copiose et praeclare disserit de providentia divina, v. gr., L. I, c. 8-10, L. VII, c. 39. *S. August.*

Liturgicae orationes saepe ad providentem Deum elevant mentes: v. gr. « Deus qui dierum nostrorum numeros temporumque mensuras majestatis tuae potestate dispensas... » (4). — « Sensibus nostris, Domine, Spiritum tuum sanctum benignus infunde, ut tibi semper simus devoti, cujus sapientia creati et providentia gubernamur ». « Deus cujus arbitrio omnium saeculorum ordo decurrit... ». « Deus qui omnium rerum tibi servientium naturam per ipsos motus aeris ad cultum tuae majestatis instituis ». « Benedic, Domine, hos fructus novos uvae sive fabae, quos. tu, Domine, per rorem coeli et inundantiam pluviarum, et tempora serena atque tranquilla ad maturitatem perducere dignatus es... » (5). *518. Liturgia.*

(1) Cf. BARDENHEWER, *Patrologie*, p. 57.
(2) In illis explicandis non omnia omnino accurate dicuntur.
(3) Cf. D'ALÈS, *La théologie de Tertullien*, p. 56 ss., 66 s., 260 ss.
(4) *Sacramentarium Leonianum*, Cambridge, 1896, p. 125.
(5) *Sacramentarium Gelasianum*, Oxford, 1894, p. 129, 254, 260, 294.

« Rector potens, verax Deus, Qui temperas rerum vices... » (1).

« Deus qui coelestia simul et terrena moderaris... ». « Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur » (2).

Praeterea Sanctorum supernaturalis sanctitas, illorumque opera, ut martyrium, paedicatio evangelii, Ecclesiae doctrinae defensio, institutio ordinis religionis, exhibentur ut effectus quos ipse Deus, *mediantibus Sanctis ab ipso praeordinatis et dispositis,* producit. « Omnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium et martyrum palma... » Omnipotens sempiterne Deus, qui eligis infirma mundi ut fortia quaeque confundas... » (3). — « Deus qui inter caetera potentiae tuae miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti... ». « Deus qui universum mundum beati Pauli Apostoli praedicatione docuisti... » « Deus, qui Ecclesiam tuam beati Thomae, Confessoris tui, mira eruditione clarificas et sancta operatione fecundas... » « Deus qui Indiarum gentes beati Francisci praedicatione et miraculis Ecclesiae tuae aggregare voluisti... » « Deus qui Ecclesiam tuam B.: meritis, foetu novae prolis amplificas... ». « Deus, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimae genitricis tuae Sponsum eligere dignatus es... » (4).

519. Objectio. **Objectio.** S. Hieronymus, *Comment. in Habacuc,* I, 14, videtur negare providentiam Dei sese extendere *ad omnia.* Dicit enim: « Caeterum absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur, quae cimicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent et qui de minoribus majorum praedae cedere debeant ». Quibus verbis negata videtur tum omniscientia tum providentia ad omnia sese extendens.

R. 1. Etiamsi haec negavisset S. Hieronymus, opinio ejus non valeret contra consensum moraliter unanimem Patrum in illa re.

2. Licet modus loquendi, in pericopa suprà citata, non sit accuratus, tamen sententia Hieronymi non falsa demonstratur. Nam si contextus consideratur, hic videtur sensus: Dei providentia, sicut ejus potentia, reipsa ad omnia entia sese extendit, sed non aequaliter ad rationabilia et ad irrationabilia: de rationabilibus est in Deo *specialis* providentia nominatim de *singulis* hominibus, de irrationabilibus vero generalis dispensatio et ordo. Notanda sunt haec verba, quae sequuntur textum allatum : « Non simus tam fatui adulatores Dei ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus [quae potentia est ad ima extendenda], in nos ipsos injuriosi simus, *eamdem* rationabilium quam irrationabilium *providentiam* esse dicentes ».

520. C) ex ratione.

C. Ex ratione.

« Quicumque facit aliquid propter finem, utitur illo ad finem. Ostensum est autem, quod omnia quae habent esse quocumque modo sunt effectus Dei [cf. suprà, n. 382, 477] et quod Deus facit omnia propter finem, qui est ipse. Ipse igitur utitur omnibus dirigendo ea in finem; hoc autem est gubernare. Est igitur Deus per suam providentiam omnium gubernator » (5).

521. Coram Deo nihil fortuitum,

Corollarium. *Coram Deo, utpote prima omnium causa, nihil evenit fortuito; nec datur fatum independens a Deo.*

Ex praecedentibus constat omnia omnino entia, eventusque omnes esse effectus divinae providentiae ac gubernationis, nec aliquid existere posse quin ingrediatur ordinationem a Deo statutam, et quidem ab aeterno, quum ab aeterno Deus cognoscat et velit immutabiliter.

---

(1) *Breviarium Romanum,* hymnus ad Sextam.
(2) *Missale Romanum,* Orat. Dom. II post Epiph.; et Dom. VII post Pentec.
(3) *Sacramentarium Gelasianum,* p. 196, 204.
(4) *Missale Romanum,* passim.
(5) S. Thomas, *Sum. cont. Gent.,* L. III, c. 64.

1. « *Casuale* aut *fortuitum* vocatur id quod accidit praeter intentionem causae. Multa fortuito eveniunt respectu causarum particularium, quae tamen a causa magis universali providentur seu intenduntur, quemadmodum v. g. occursus duorum servorum, qui, uno ignorante de altero, diriguntur in eamdem domum, fortuitus est respectu servorum, sed non respectu domini, qui hoc praeordinavit. Quum autem Deus sit causa universalissima, cujus providentia omnes causas secundas ordinavit nihil est fortuitum aut casuale relate ad divinam providentiam » (1).

2. Si per *fatum* intelligatur aliqua praedeterminatio cui ipse Deus subditus esset, aut quae actibus humanis necessitatem imponeret (quemadmodum de dispositione siderum, in qua quisque conceptus est vel natus, quidam ethnici somniabant) fatum admittere impium est, quum repugnet independentiae absolutae Dei et causalitati omnino primae, quae propria est ipsi (2). *nec fatum independens*

Si vero per nomen fatum intelligitur ipsa ordinatio causarum secundarum ad determinatos effectus producendos, provisos divinitus tunc datur fatum, nec differt a gubernatione divina (3).

NOTA 1° Quemadmodum, uti suprà, n. 384, explicuimus, divina scientia, prout adjunctam habet voluntatem, quibusdam rebus necessitatem imponit, quibusdam non; ita est dicendum de providentia. *522. Providentia non tollit libertatem electionis,*

Inde actiones liberae creaturarum rationabilium, *secundum ipsum modum libertatis proprium* voluntati, sunt effectus providentiae, nec, ex hac parte, ullo modo destruitur libertas indifferentiae.

Circa hoc, notemus responsum datum a S. Thoma, *Sum. theol.*, I, Q. XXII, a. 2, ad 4. Homo subditur divinae providentiae et ita quidem ut omnes et singuli *actus* ejus, etiam *liberi*, ab aeterno praeordinentur a Deo, et, in tempore, regantur a Deo, ita ut infallibiliter eveniat id quod divinitus fuerit provisum. Nihilominus « non praefigitur ei [homni] virtus operativa determinata ad unum », ait S. Thomas: ideoque homo est liber, et « ipse semetipsum dirigit in finem ». Igitur actiones liberae producuntur ab homine et *non egrediuntur ex facultate physice determinata ad unum:* non igitur est ponenda, in ipsa facultate operativa, entitas quae physice praedeterminet voluntatem ad unum volendum prae alio. Actus liberi, ab homine ponendi, sunt certo praeordinati et praedeterminati in *mente divina,* quatenus Deus hunc ordinem rerum elegit, in quo hi actus liberi ponerentur, et non alii; sed, ut hic ordo realis fiat, Deus non praedeterminat physice humanas voluntates ad unum. Actus liberi a providentia Dei dependent, quatenus « providentia hominis continetur sub providentia Dei, sicut causa particularis sub causa universali ». Ita scilicet Deus homines dirigit in usu liberi arbitrii, « quo consiliantur et eligunt creaturae rationales » ut infallibiliter licet non physice praedeterminata, voluntas, *sese determinet ad hoc prae alio,* adeoque eligat. Cf. S. THOMAS, *De veritate,* Q. VI, a. 3, ad 3; suprà, n. 415, 420.

2° *Ordo providentiae non excludit efficiam et utilitatem orationis impetratoriae.* *523. nec efficaciam aut utilitatem precum;*

Nam Deus ordinavit non solum qui effectus fiant sed etiam ex quibus

(1) VAN NOORT, *De Deo Creatore,* n. 61. Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXII, a. 2, ad 1. Q. CXVI, a. 1.
(2) Cf. VAN NOORT, l. c.; S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei,* L. V, c. 1-8.
(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. CXVI, a. 2-4.

causis et quo ordine proveniant. Inde disposuit Deus propter orationes ab homine faciendas sese daturum esse bona : quapropter propriam *efficaciam* habent et retinent deprecationes nostrae. Nec per hoc contradicitur *immutabilitati* providentiae et volitioni divinae : cf. suprà, n. 239 (1).

Quodsi dixeris providentiam liberalissimi Dei saltem *inutilem* vel superfluam reddere orationem deprecatoriam, « dicendum quod Deus nobis multa praestat ex sua liberalitate etiam non petita; sed quod aliqua vult praestare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem, ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem » (2).

524. imperfecte cognoscitur a nobis.

3° *Viae providentiae saepe ignotae sunt nobis.*

« Existentiam divinae gubernationis tum revelatione tum ratione novimus, sed leges seu vias ejus maxima parte ignoramus... Nec mirum, non aliter eas cognoscere possumus nisi aut revelatione pandantur, aut ipsa ordinis exsecutione patescant. Jam revelatio hac de re pauca admodum manifestat, executio vero ordinationis provisae pro exigua tantum parte a nobis percipitur. Quantum enim ad praesentia latent nos multa; quantum ad praeterita, quae statum praesentem pepererunt, latent plura; quantum ad futura, ad quae praesentia disponunt, latent fere omnia. Et ita facile intelligitur, quod multa, quamvis ordinatissima sint, nobis inordinata, superflua, nociva videri possint » (3).

525. Ulterior explicatio de essentia providentiae, quae est ratio perductionis rerum in finem,

Ulterior explicatio de essentia Providentiae.

Ex dictis manifestum est id, quod vocatur providentia, importare et intellectionis et volitionis actum : jam inquirendum est in quo praecise consistat providentia et quaenam sit distincta ejusdem notio.

Providentia divina respicit tantum res quandocumque *existentes*. Porro attribuitur Deo per analogiam ad providentiam quae in homine invenitur : haec autem est praecipua pars prudentiae, cujus proprium est ordinare agibilia in finem; secundum hoc convenit Deo providentia, quae proinde est ratio ordinandorum in finem (4) seu, aliis verbis : *ratio perductionis rerum in finem, in mente divina existens* (5). Est nempe illa *ordinatio* (6) [*le plan*] secundum quam omnes res producuntur, conservantur, moventur a Deo, tamquam a Prima Causa, ut finis ultimus, a Deo volitus, obtineatur seu realis fiat. Providentia enim divina praecipue res, *collective sumptas,* perducit ad *ultimum finem;* et, licet singula ad proprium finem ordinet, tamen permittere potest ut quaedam deficiant a fine proprio.

existens in intellectu,

Igitur providentia est essentialiter et formaliter in *intellectu* divino (7)

(1) Cf. MONSABRÉ, *Exposition du dogme catholique*, t. IV, *Le gouvernement divin*, carême 1876, 21e conférence.

(2) S. THOMAS, *Sum. theol.*, II-II, Q. LXXXIII, a. 2, ad 3.

(3) VAN NOORT, *o. c.*, n. 63. Tamen praeteritorum eventuum coordinatio nonnunquam elucet, v. gr. in historia Ecclesiae vel etiam in vita Sanctorum, ita ut in illa manifestetur Dei providentia.

(4) Cf. S. THOMAS, *De veritate*, Q. V, a 1 ss.; *Sum. theol.*, I, Q. XXII, a. 1 ss.

(5) Card. BILLOT, *o. c.*, p. 278. Cf. BOËTIUS, *De cons. phil.*, L. IV, prosa 6.

(6) Quando hîc dicitur *ordinatio*, non formaliter significatur ordinandi *actio* (ἐπίταξις) sed *terminus objectivus* qui per eam actionem constituitur (ἐπίταγμα) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 461.

(7) Cf. S. THOMAS, *De veritate*, Q. V, a. 1.

non in voluntate; sed praesupponit voluntatis actum, nempe volitionem finis. « Nullus enim praecipit de agendis propter finem nisi velit finem » (1).

distincta a gubernatione quae est in rebus.

Inde distinguendum est inter ipsam *providentiam* et ejusdem *executionem*. « Ad providentiam duo pertinent : scilicet ratio ordinis rerum provisarum in finem [h. e. ipsa dispositio, objective spectata, in intellectu divino existens, per quam res ordinantur in finem] et executio ordinis, quae *gubernatio* dicitur » (2).

526. Providentia, quantum ad praedefinitionem ordinis est immediate in omnes res; gubernatio vero saepe mediate exercetur.

Corollarium. *Dei providentia, quatenus est formaliter ratio ordinis praestabilita, est a solo Deo* IMMEDIATE *in omnes et singulas res; gubernatio autem importat quod alia regantur* MEDIANTIBUS ALIIS.

Deus *immediate* omnibus providet quia in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum, et quascumque causas aliquibus praefecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos. Unde oportet quod ordinationem omnium illorum effectuum in suo intellectu (practico) praehabuerit. Quantum autem ad gubernationem, haec partim est immediate a Deo (v. gr. quando Deus immediate elargitur homini internas illuminationes et inspirationes), partim mediate quando inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet (3). V. gr., in ordine physico, motus localis unius corporis coelestis dependet a situ, massa, motu corporis alius; in ordine morali : filii regendi sunt a parentibus, fideles ab illis qui in Ecclesia praediti sunt auctoritate regendi, docendi, sanctificandi.

527. Providentia differt a scientia,

Adnotatio. *De providentia comparata cum quibusdam aliis perfectionibus divinis.*

Ut data notio melius perspiciatur, comparemus providentiam cum quibusdam aliis quae in Deo ponuntur.

A. Providentia differt a SCIENTIA: tum a scientia *speculativa* quae est de ipso Deo et de omni objecto cognoscibili quod non est operabile; tum a scientia *practica simpliciter* dicta, quia haec est et de fine et de mediis ad finem, sed providentia est tantum de *iis quae sunt ad finem, secundum quod ordinantur ad finem;* tum a scientia *practica, secundum quid* dicta, quia haec est de omnibus possibilibus, eorumque variis ordinibus; providentia non est nisi de existentibus, in qualibet temporis differentia (4).

ab arte,

B. Providentia differt ab IDEA [et ab *arte*] (quae etiam in *intellectu* est): nam « idea, ex sua formali ratione, non praesupponit determinationem finis quae fit per voluntatem artificis : respicit enim artificiatum in *sua absoluta specie* consideratum. At vero providentia *ordinate* disponit res *ad finem praestabilitum* a providente, et adjunctam habet executionis voluntatem » (5).

a lege aeterna,

C. Providentia differt a LEGE AETERNA: lex aeterna enim se habet tamquam *principium* providentiae. Lex aeterna est « ratio divinae sapientiae secundum quod

(1) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXII, a. 1, ad 3.
(2) S. THOMAS, l. c., a. 3.
(3) Ita S. THOMAS, l. c.
(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 161.
(5) Card. BILLOT, *o. c.*, p. 278.

est directiva omnium actuum et motionum » (1) : Deus enim non solum est conditor omnium rerum sed etiam earum *gubernator:* quatenus est *conditor* omnium rerum, comparatur ad eas ut artifex, et ordinatio intellectu divino concepta, secundum quam omnia sunt condenda seu producenda in propriis essentiis, accidentibus et notis individuantibus, est *ars* divina; quatenus est *gubernator,* Deus comparatur ad res ut dirigens et movens: ordinatio autem, mente divina concepta, secundum quam singula, tum irrationalia, tum rationalia agere debent est *lex aeterna* (2): porro *secundum hanc supremam ordinationem* Deus *determinat* seu *decernit in individuo omnes suos effectus ad extra* quibus de facto ducantur creaturae ad illum finem realizandum quem Deus statuit et absolute vult. « Providentia in Deo proprie non nominat legem aeternam, sed aliquid ad legem aeternam *consequens:* lex enim aeterna est consideranda in Deo, sicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota, ex quibus procedimus in consiliando et eligendo; quod est prudentiae sive providentiae: unde hoc modo se habet lex intellectus nostri ad prudentiam sicut principium in demonstratione. Et similiter etiam in Deo lex aeterna non est providentia, sed providentiae quasi *principium* » (3). Ut bene perspiciatur legem aeternam esse principium providentiae, hoc consideretur quod cum *eadem lege aeterna* potuisset Deus *diversos rerum ordines* condere: v. gr. cum eisdem legibus physicis, quae nunc sunt, potuisset Deus constituere systema solare diversum a praesenti: hoc autem *providentiae* est quod Deus *de facto* talia creaverit, in talibus adjunctis, quibus ortum est systema solare quod nunc est. Idem dic de aliis entium generibus. Etiam quoad homines, eadem remanente lege naturali (imo eadem, quoad speciem, elevatione ad ordinem supernaturalem), potuisset Deus res ita ordinare ut alii homines salvi fierent quam illi qui nunc de facto salvabuntur : providentiae, formaliter praedestinationis (quae est pars providentiae) est quod nunc tales homines, tali sanctitate praediti, tali gradu aeternae beatitudinis fruentur.

a beneficentia. D. Providentia differt a BENEFICENTIA DIVINA : haec enim est voluntas communicandi bonitatem h. e. perfectionem divinam : jamvero beneficientia est principium providentiae : quia enim Deus vult aliis communicare bonum, ideo intellectu determinat *ordinationem* secundum quam est facienda communicatio: illa intellectus ordinatio est providentia.

528. Quaestio tractanda.

Scholion 1um. De salvifica Dei voluntate.

Haec quaestio spectat cognitionem tum ipsius voluntatis divinae, tum providentiae : etenim quaeritur *primo,* utrum et qua ratione *velit* Deus omnes homines salvos fieri; *deinde,* supposita responsione affirmativa, qualiter *exsecutioni* mandetur praedicta voluntas, seu quibus mediis *proviserit* Deus ut omnes possint salvi fieri.

---

(1) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I-II, Q. XCIII, a. 1.

(2) Cf. VAN DEN BERGHE, *De legibus, Brugis,* 1904, p. 14 ss. — Omnia entia participant legem aeternam, inquantum scilicet ex *impressione ejus legis* habent *inclinationes* in proprios actus et fines. Creaturae *irrationales* participant legem aeternam in quantum habent suam naturam cum facultatibus operativis: naturâ, tamquam principio remoto; facultatibus operativis, tamquam principiis proximis, inclinantur in proprios actus et fines. Sed creaturae *rationales,* qua tales, aliter participant legem aeternam, nempe *intellectualiter* seu *rationaliter,* in quantum *cognoscunt* sese *obligari* ad bonum faciendum et malum vitandum, et in quantum ratione cognoscunt *diversa praecepta* quibus obstringuntur ab Auctore Naturae: haec participatio legis aeternae est *lex naturalis.* Cf. S. THOMAS, *o. c.,* I-II, Q. XCI, a. 2, Q. XCIII, a. 5, Q. XCIV, a. 5.

(3) S. THOMAS, *De veritate,* Q. V, a. 1, ad 6. — Inde patet obligationem moralem a *lege* formaliter derivari, non a providentia.

I.

PROPOSITIO. **Deus voluntate beneplaciti antecedente, quae est conditionata, vult omnes homines salvos fieri, etiam post lapsum Adami.**

529. Omnes homines vult Deus salvos fieri:

Haec generalis thesis est certa et communis.

hoc certum est.

In universali hac thesi implicite continentur diversae propositiones minus generales, quarum aliae alia nota theologica sunt determinandae. Propositio enunciata **a)** in quantum asserit Deum velle salutem non tantum praedestinatorum sed *saltem omnium fidelium,* est *dogma* fidei ex damnatione propositionis 5ae Jansenii (1) et ex symbolo Nicaeno-Const., in quo universa Ecclesia confitetur : « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis... crucifixus etiam pro nobis ». **b)** In quantum asserit, Deum velle salutem *saltem omnium adultorum* est theologice certa et ab omnibus fere theologis *fidei proxima* dicitur (2). Denique **c)** in quantum asserit Deum velle salutem omnium omnino hominum, inclusis *etiam iis infantibus, qui absque sua culpa sine baptismo decedunt* est doctrina *certa* et *communis,* contra Vasquez paucosque alios. — Ratio diversae qualificationis non tam stat ex parte fontium revelationis, sed tum ex defectu declarationis aperte definitoriae pro iis quae sub **b** et **c** comprehenduntur, tum imprimis ex specialibus difficultatibus, quibus haec duo puncta laborant (3).

Demonstratio.

530. Demonstratur: A) ex S. Scriptura. 1 Tim., II, 4-6;

A. EX S. SCRIPTURA.

1. « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes... pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum et acceptum est coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus ». *1 Tim.,* II, 4-6.

Si hujus pericopae verba considerantur et praesertim sensus elucens ex ratione asserti, constat hîc affirmari *universalem* esse Dei volitionem de salute hominum seu, aliis verbis, omnium et singulorum hominum salutem intendi a Deo. Etenim docetur: 1) Deus vult omnes homines salvos fieri; nec in contextu limitatur hic sermo ad aliquem hominum ordinem vel ad aliquam conditionem; praesertim non est sermo de solis fidelibus, sed imprimis de infidelibus; 2) ratio quare velit Deus omnes homines salvos fieri assignatur : est nempe quia unus seu unicus est Deus et unicus mediator inter homines et Deum; hic porro mediator est Christus, qui et quatenus semetipsum dedit redemptionem pro omnibus. Igitur *unicus* Deus, qui est Deus *omnium,* et cui omnium curam incumbit, vult *omnium* salutem, et vult

(1) Jansenii damnata propositio est haec: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse ». Damnatio autem sic effertur : Declarata et damnata [propositio] uti falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et *haeretica* », *Enchir.,* n. 1096.

(2) Et recte quidem: quia jam non probabilis adducitur ratio qua textus S. Scripturae, quos infrà citabimus, ita explicentur ut non sese extendant ad omnes homines, saltem adultos. Ad rem facit propositio damnata ab Alexandro VIII: « Dedit seipsum Christus pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis sed pro omnibus et solis fidelibus ». *Enchir.,* n. 1294. Proscriptio spectat ultimam partem asserti, cujus contradictoria est tenenda: et *non* pro solis fidelibus; ergo etiam pro aliis, qui non sunt fideles.

(3) Ita VAN NOORT, *De gratia Christi,* n. 85. Idem tenent LAMBRECHT, *De Deo,* p. 221 s.; JUNGMANN, *De Deo,* n. 274-276.

consequenter medium, quo obtineri possit *omnium* salus : nempe mediationem Christi per mortem ipsius, necnon preces, quas Deus jubet fieri pro *omnibus*. — Hanc autem salutem vult Deus omnibus hominibus in Adamo prolapsis : pro his enim mortuus est Christus (1).

531. hic textus respicit etiam infantes.

Verba S. Pauli sunt intelligenda non solum de omnibus adultis sed etiam de infantibus. Etenim ipsi pertinent ad *omnes*, pro quibus orandum est, quorum Deus est creator, qui in Adamo mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est.

Quare rejicienda est exceptio quam ponit Vasquez, *In Sum. theol.*, I, Disp. XCVI, c. 3, n. 10, qui contendit incisum : *ad agnitionem veritatis venire* non spectare ad *infantes*, ideoque nec primum incisum, *vult omnes homines salvos fieri.*

Respondetur enim 1) vel illo inciso significatur *conditio* vel medium consequendae salutis, sicut *Matth.* XXVIII, 19; *Marc.*, XVI, 15 s. (ubi agitur de voluntaria agnitione doctrinae salutis) et tunc ex subjecta materia et ex analogia dogmatum liquet, eam in infantibus non praerequiri, ideoque propter hanc conditionem non restringi incisi principalis universalitatem. Verum 2) potest illa agnitio veritatis de ea intelligi in qua consistit *ipsa salus*, quae incohatur fide, consummatur visione. Quo sensu nulla difficultas. Vult enim Deus homines ad salutem venire ideoque ad agnitionem veritatis: et quidem, quamdiu parvuli sunt, habitu saltem fidei, si adolescunt, fide etiam actuali, et si adimpletis omnibus conditionibus decedunt, visione scilicet pro capacitate et qualitate subjecti (2).

532. ex universalitate Redemptionis.

2. Eadem veritas formaliter implicite docetur his textibus, quibus asseritur universalitas redemptionis Christi : si enim Christus mortuus est pro omnibus, h. e. ut omnes liberentur a statu peccati, oportet ut Deus ordinaverit redemptionem illam ad omnium salutem.

Porro pluribus locis exprimitur illa universalitas; « Pro omnibus mortuus est Christus ». *2 Cor.*, V, 15. — « Sicut enim unius [Adami] delicto multi (*οἱ πολλοί* = de menigte, la multitude) mortui sunt; multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures (*εἰς τούς πολλους* = op de menigte, sur la multitude) abundavit... Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem : sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi (*οἱ πολλόί*), ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi (*οἱ πολλόί*). *Rom.* V, 15, 18-19. Sensus est: sicut per actum peccaminosum (scilicet per inobedientiam) unius hominis, Adami, omnes homines constituti sunt peccatores, ita per actum virtuosum (nempe per obedientiam) unius hominis, Christi, omnes homines constituti sunt in conditione accipiendae justitiae : ergo mortuus est Christus in favorem omnium hominum, etiam infantium, quippe qui et ipsi, delicto Adami, constituti sunt peccatores. — « Et ipse [Jesus-Christus] est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro [peccatis] totius mundi [h. e. totius generis humani] ». 1 *Jo.*, II, 2.

---

(1) De textus interpretatione cf. CEULEMANS, *De parvulis qui sine baptismo moriuntur*, Lovanii, 1886, p. 4 ss.

(2) Ita HURTER, *Theol. dogm. comp.*, t. II, n. 103; cf. CEULEMANS, *o. c.*, p. 13 ss.

EX TRADITIONE (1).

533.
B) *Ex Traditione:*

1. Ante S. Augustinum.

Quidam Patres ex praecipuis, qui diversis in regionibus Ecclesiae, diversoque tempore vixerunt, universalem esse Dei voluntatem salvificam docuerunt; licet directe intendant loqui de adultis, non tamen excludunt infantes.

S. Hippolytus, *De Antichristo* (circ. 200), n. 3, P. G., t. X, col. 732, loquens de adultis docet quod Deus vult omnes homines salvare, omnes reddere filios Dei. — Idem propugnat Origenes, *Contra Celsum*, L. IV, n. 3-10, nominatim dicit homines, etiam ante adventum Christi, salvari potuisse : « Respondeo Deum numquam non voluisse ut homines justi fierent; id semper cordi habuisse : quippe qui animali rationis compoti et consectandae virtutis et recte faciendi occasiones praebuerit. Per singulas enim rationes Dei sapientia in animas, quas sanctas invenit, descendens amicos Dei prophetasque facit », n. 7, P. G., t. XI, col. 1038. — Omni tempore possibile fuisse hominibus bene dispositis recte vivere et salvari, docent etiam Eusebius et S. Athanasius (2).

S. Hipp.,

Orig.,

S. Gregorius Nys., *Adv. Apollinarem*, n. 29, P. G., t. 45, col. 1188, universalem esse Dei voluntatem salvificam affirmat et hoc exprimit probatque verbis S. Pauli *1 Tim.*, II, 4. — Praedictum assertum magis inculcat S. Joannes Chrysost., qui *In epist. ad Gal.*, c. II, n. 8, P. G., t. LXI, col. 646, redemptionis Christi universalitatem, absque ulla restrictione, docet; necnon ut rationem assignat tum quod omnes homines perierunt, tum quod victima, sc. Christus, pro tota natura humana oblata est. *In epist. ad Ephes.*, hom. 1, n. 2, P. G., t. LXII, col. 13, explicat quod Deus voluntate beneplaciti, quae est prima voluntas, vult ut non pereant homines, tamen quod opus salutis nostrae non est solius Dei benevoli, sed etiam hominis, qui libere cooperari debet. In hom. *de ferendis reprehensionibus*, n. 6, P. G., t. LI, col. 144, eamdem sententiam sic exprimit : « Necessitate ac vi neminem umquam adigit Deus, sed vult quidem omnes homines salvos fieri, nemini vero necessitatem inducit, quemadmodum et Paulus dicit : *Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Quomodo igitur non omnes salvi fiunt, si vult omnes salvos fieri? Quia non omnium voluntas ejus voluntatem sequitur, ille vero nemini vim infert ».

S. Greg. Nys.,

S. Jo. Chrys.,

S. Ambrosius, *De Caïn et Abel*, L. II, c. III, n. 11, P. L., t. XIV, col. 346, non aliter interpretatur textum Apostoli : *Qui omnes homines vult salvos fieri.*

S. Ambr.,

Ambrosiaster, *In 1 Tim.*, II, 4, P. L., t. XVII, col. 466, eamdem interpretationem tenet. Cui etiam S. Hieronymus, *In epist. ad Ephes.*, L. I, c. I, v. 11, consonat.

S. Hieron.,

2. S. Augustinus (3) quibusdam visus est negare doctrinam de universali voluntate Dei salvifica: illis non est hoc concedendum.

534.
S. August.,

Verum est a S. Augustino textum praecipuum de re nostra, nempe *1 Tim.*, II, 4-6, variis modis explicari et nullibi eo sensu quo exprimat vel includat universalem Dei voluntatem salvificam (4). Ratio hujus est quia S. Augustinus non admittit *modum loquendi* quo dicatur *voluntas* Dei ut terminata ad aliquid quod non adimpletur. Apud illum, voluntas divina designat semper voluntatem omnipotentem, efficacem, quae, apud theologos nunc

(1) De illis variis punctis, quae hac in materia sunt consideranda, cf. CAPÉRAN *Le problème du salut des infidèles, Essai historique*, in indice, v°; *volonté salvifique.*

(2) Cf. CAPÉRAN, *o. c.*, p. 78 ss.

(3) Hic amplectimur conclusionem quam exposuit cl. VAN CROMBRUGGHE, *La doctrine sotériologique de S. Augustin*, in *Revue d'histoire ecclésiastique*, 1904, t. V, p. 491 ss.; cf. etiam CAPÉRAN, *o. c.*, p. 128 ss.

(4) Cf. S. AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c. CIII.

dicitur absoluta, quae proinde semper adimpletur; non cognoscit Augustinus distinctionem inter voluntatem conditionatam et absolutam, antecedentem et consequentem, ideoque non vult ut dicatur : Deus vult omnes homines salvos fieri, eo sensu quo intelligatur *universalis* voluntas salvifica, quia de facto non omnes homines salvantur (1).

Nihilominus *ipsam doctrinae substantiam,* id quod continetur in asserto de universali Dei voluntate salvifica, tenet et docet ipse Augustinus : nempe a Deo ordinatam esse Christi redemptionem in salutem omnium omnino hominum, adeoque omnes omnino posse salvari (2).

Etiam explicite docet Augustinus pro *infantibus* mortuum esse Christum : « Et ideo Christus, quod et ipse confiteris, pro parvulis mortuus est, quia et *ad ipsos pertinet sanguis,* qui in remissionem fusus est peccatorum... Exordium vero parvulorum, ex quo nascerentur in Adam fuit; quo per peccatum vitiato atque damnato, alterum eis Christus, ex quo renascerentur, instituit ». *Cont. Jul.,* L. III, c. XXV, n. 58 P. L., t. 44, col. 732. « Merito ergo intelliguntur mortui [parvuli non baptizati] qui non habent vitam, pro quibus est Christus mortuus *ut habeant* » *O. c.,* LVI, c. IX, n. 27, col. 838. — In *Opere imperf. cont. Jul.,* L. II, n. 135 et n. 174, propugnat Augustinus quod si parvuli non mortui sunt in Adamo, nec pro ipsis mortuus est Christus, nec baptizandi sunt, inde concludit quod eadem est universalitas peccati originalis et eadem universalitas redemptionis Christi : adeoque pro omnibus hominibus, etiam pro infantibus, mortuus est Christus, ut omnes eant in justificationem.

535. 3. Post S. Augustinum.

Mediis in controversiis magis ac magis elucet tenendum esse Deum velle omnes homines salvos fieri.

S. Prosper (3) († 463?) non absque haesitatione et dubio valet solvere, ut videtur, difficultatem ab adversariis propositam ex universalitate redemptionis Christi et ex universalitate voluntatis salvificae Dei (4). Tenet S. Prosper esse dicendum quod Christus mortuus est pro omnibus hominibus, admittit tamen aliquam distinctionem :

« Cum itaque rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanae naturae susceptionem et propter communem in primo omnium homine perditionem; potest *tamen etiam dici pro his tantum crucifixus*

(1) Cf. ID., *l. c.,* ubi notatim haec dicit : « dummodo credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse; qui sine ullis ambiguitatibus, si *in coelo et in terra... omnia quaecumque voluit fecit* [*Ps.* CXIII, 11], profecto facere noluit quodcumque non fecit ». In eodem libro, c. XCV, eumdem versum citati psalmi referens, dicit : « Quod utique non est verum, si aliqua voluit et non fecit ».

(2) Cf. VAN CROMBRUGGHE, *o. c.,* p. 493 ss.; JACQUIN, in *Revue d'histoire ecclésiastique,* t. V, p. 740 ss. Agitur hîc tantum de ordinatione redemptionis Christi ad salutem omnium hominum, existente in mente divina; non agitur de eo quod haec ordinatio importat in ordine executionis, seu de modo quo possint omnes salvi fieri.

(3) Cf. JACQUIN, in *Revue d'histoire ecclésiastique,* t. VII, p. 269-300.

(4) Quum S. Augustinus et S. Prosper toti in hoc erant ut propugnarent omnimodam necessitatem gratiae ad salutem et simul omnimodam gratuitatem gratiae, quumque S. Augustinus defenderet praedestinationem esse omnino independentem a meritis, Deumque, sola voluntate omnipotenti et arcana, ex massa generis humani damnata, alios vocare ad gloriam, alios relinquere puniendos propter culpas, jam proponebatur difficultas: quomodo adhuc dici potest Deus *velle* omnes homines salvos fieri, Christum mortuum esse *pro salute omnium?*

quibus mors ipsius profuit ». *Resp. ad capitula Gallorum,* c. IX, P. L., t. LI, col. 165. Melius tamen respondet in *Resp. ad capitula objectionum Vincentianarum,* c. I, col. 177 s. ubi, quoad substantiam, distinctionem profert inter *virtutem pretii* redemptionis, sc. sanguinis Christi, et ejus *applicationem* ad homines: « Quod ergo ad *magnitudinem* et *potentiam pretii,* et quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi *redemptio* est *totius mundi.* Sed qui hoc saeculum sine fide Christi et sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt... Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, *habet quidem* IN SE *ut omnibus prosit,* sed si non bibitur, non medetur ». — Aliquam etiam restrictionem apponit ad assertum de universali voluntate salvifica : « Remota ergo hac discretione, quam divina scientia intra secretum justitiae suae continet, sincerissime credendum atque profitendum est Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est [1 *Tim.,* II, 4], sollicitissime praecipit ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur ». *O. c.,* c. II, col. 179.

Ex dictis elucet S. Prospero esse persuasum quod, secundum fidem catholicam, credenda sunt haec duo asserta : *Christus mortuus est pro salute omnium hominum, Deus vult omnes homines salvos fieri;* illisque verum subesse sensum. Praeterea in suo opere *Contra Collatorem,* scripto post alia suprà citata, non reprehendit Cassianum qui *Collat.* XIII, c. VII, P. L., t. XLIX, col. 909, asserit : « Qui enim ut pereat unus ex pusillis non habet voluntatem, quomodo sine ingenti sacrilegio putandus est, non universaliter omnes, sed quosdam salvos fieri velle pro omnibus ».

Ignotus nobis auctor operis *De vocatione omnium gentium,* circ. an 450, ut scopum intendit conciliare et ad unanimem sententiam reducere « defensores liberi arbitrii [hîc Semipelagianos] et praedicatores gratiae Dei ». Libro II, P. L., t. LI, col. 685 s., incipit his verbis : « Remotis abdicatisque omnibus concertationibus, quas intemperantium disputationem gignit animositas, tria esse perspicuum est, quibus in hac quaestione, de qua secundum volumen incipimus debeat inhaereri. Unum, quo profitendum est Deum velle omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire; alterum; quo dubitandum non est ad ipsam cognitionem veritatis et perceptionem salutis, non suis quemquam meritis, sed ope atque opere divinae gratiae pervenire; tertium quo confitendum est altitudinem judiciorum Dei humanae intelligentiae penetrabilem esse non posse; et cur non omnes homines salvet, qui omnes homines vult salvos fieri, non oportere disquiri ». Quum firmiter teneat auctor Deum velle omnes homines salvos fieri, etiam infantes, rite proinde distinguit inter Dei *dona generalia,* quae omnibus elargitur, et *specialia munera,* quae illis concedit qui de facto salvantur, etiam inter Dei *benignitatem generalem* et *misericordiam specialem. O. c.,* c. XIX-XXV, XXXI (1).

Postea saeculo V exeunte et saeculo VI non parva viguit controversia circa gratiam componendam cum libero arbitrio, necnon circa praedestinationem et consequenter circa universalem Dei salvificam voluntatem (2). Synodus Caricia- *Syn. Caric.*
censis I, an. 853, iterum statuit doctrinam catholicam: « Deus omnipotens *omnes homines,* sine exceptione, *vult salvos fieri,* licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum : quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum » (3).

Apud Patres Orientales non videtur ortam esse disputationem circa sensum tribuendum textui S. Pauli *1 Tim.* II, 4-6. S. Joannes Damascenus *S. Jo. Damasc.*
dilucide exposuit doctrinam catholicam, *De fide orthodoxa,* L. II, c. XXIX, his verbis : « Hoc itidem nosse oportet, Deum primaria et antecedente voluntate velle omnes salvos esse, et regni sui compotes fieri. Non enim

(1) Cf. CAPÉRAN, *o. c.,* p. 137 ss.
(2) Cf. CAPÉRAN, *o. c.,* p. 144 ss.
(3) *Enchir.,* n. 318.

nos ut puniret condidit, sed quia bonus est, ad hoc ut bonitatis suae participes essemus. Peccantes porro puniri vult, quia justus est. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur et beneplacitum, cujus ipse causa sit; secunda autem consequens voluntas et permissio ex nostra causa ortum habens... Eorum vero, quae in nobis sita sunt, bona quidem primario Deus vult et secundum beneplacitum, mala autem, quae revera mala sunt [i. e. mala moralia, peccata] neque primario neque consequenter vult, sed libero arbitrio permittit ».

Scholast. Scholastici deinde eamdem veritatem cum eadem distinctione voluntatis divinae propugnarunt : cf. S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. XIX, a. 6, ad 1. Cf. suprà, n. 455.

536. CONFIRMATUR EX RATIONE THEOLOGICA « Cum omnium hominum eadem natura, eademque origo sit, convenit ut sit omnium unus atque idem finis. Est autem finis de facto a Deo assignatus humanae creaturae, etiam post lapsum, finis aeternae vitae quae in clara Dei visione consistit. Ergo oportet [h. e. secundum rationem convenientiae] ut omnes et singuli homines ad bonum aeternae vitae dicantur ordinati, adeoque, ut quantum est ex divina directione, omnibus et singulis fiat potestas illuc perveniendi. Sed hoc ipsum quod est divinitus praeparari omnibus id unde possunt ad supernaturalem salutem pervenire, importat in Deo voluntatem antecedentem salutis omnium. Ergo dicendum est voluntatem salvificam sese ad omnes porrigere » (1).

II.

537. De modo quo voluntas Dei salvifica adimpletur Probavimus Deum velle, voluntate antecedente, omnes homines fieri salvos; jam inquirendum est de *exsecutione* illius volitionis, seu de *modo* quo secundum Dei providentiam res ita gubernentur ut possint omnes salvari. Circa hoc autem distinguendum est inter adultos et infantes.

quoad adultos, 1° ADULTI enim, quippe qui usum rationis habent, possunt et debent ipsimet *cooperari libere* ad gloriam aeternam obtinendam. Inde innixi documentis Revelationis asserimus Deum omnibus concedere auxilia actualia, saltem remote sufficientia, ut possint assequi *fidem,* quae est humanae salutis initium. Ulterior explicatio circa distributionem gratiae non est hujus loci (2).

538. quoad infantes. 2° INFANTES nequeunt ipsi cooperari ad propriam salutem, nec aliter salvari nisi aliquo remedio externo, iis ab aliis applicando : inde salus ipsorum proxime dependet a causis secundis quibus subjiciuntur, praesertim a parentibus vel a personis quibus curandi relinquuntur.

---

(1) Card. BILLOT, *De Deo uno,* (in prima editione) p. 238.

(2) Cf. *De divina gratia,* n. 403 ss.; VAN NOORT, *De gratia,* n. 95 ss.; CAPÉRAN, *Le problème du salut des infidèles, Essai théologique,* p. 32 ss. Circa mentem S. Thomae, cf. *Collat. Brug.* t. XIX, p. 542, ubi dijudicatur articulus BITTREMIEUX, *Die Lehre des H. Thomas über das Heil der Ungläubigen.*

Deus statim post lapsum protoparentum providerit aliquod remedium, quo justificari potuerint infantes (1); ex parte illius remedii, universaliter praeparati, nihil obstat quominus omnibus infantibus applicetur; inde vult Deus omnes infantes salvos fieri, voluntate conditionata, nempe dummodo illis conferatur remedium salutis, puta baptismus, cujus tamen applicatio dependet a causis secundis.

Jamvero ulterius inquiritur utrum salvificae Dei voluntati fiat satis per hoc quod cursui causarum secundarum, etiam mere physicarum, reliquerit Deus applicationem remedii salutis, an tenendum sit privationem remedii salutis nulli infanti accidere, nisi dependenter a culpa quaedam (distincta a peccato originali), sive parentum, sive aliorum.

Circa illam quaestionem duplex propugnatur sententia. Quidam theologi opinantur, in praesenti Providentiae ordine, applicationem remedii salutaris *nunquam impediri ex solo cursu naturae physicae,* sed semper subesse aliquem influxum causae liberae. Dicunt : nullus omnino infans a susceptione baptismi, etc. frustraretur, si omnes adulti semper debitam diligentiam adhiberent, cunctique ad quos pertinent (primo parentes et cognati, deinde etiam reliqui fideles) Deum pro salute infantium enixius deprecarentur (2). Haec sententia nec factis comprobatur, nec documentis ex Revelatione; defenditur a patronis suis, quatenus conantur demonstrare non nisi in illa hypothesi posse sustineri seriam esse in Deo salvificam voluntatem. Hoc argumentum non videtur nobis solidum.

Plerique theologi (3) tenent solas causas physicas, in statu naturae lapsae, saepius impedire quominus remedium salutis applicetur infantibus, eamque non-applicationem a Deo permitti, quia non vult mediis extraordinariis nempe miraculis, impedire naturalem cursum causarum physicarum. Vult nempe serio Deus salutem infantium, tametsi non ea voluntate, quae usque ad extraordinaria media se porrigat.

Scholion 2um. DE EXISTENTIA MALI ET DIVINA PROVIDENTIA.

539. Status quaestionis proponitur,

Ab antiquo surrexit cogitantibus hominibus difficultas circa originem mali et circa modum conciliandi multa mala in mundo existentia cum Dei providentia, aliisque divinis perfectionibus (4).

Quidam homines ad hoc devenerunt ut statuerent duo esse mundi principia, intellectu et voluntate praedita, quorum unum esset causa omnis boni, alterum vero omnis mali : haec doctrina vocatur *dualismus :* cf. suprà, n. 260.

---

(1) « Hujusmodi remedium, post Evangelium promulgatum, est sacramentum baptismi (cujus vices supplere potest baptismus sanguinis), ante Evangelium promulgatum fuit pro pueris Israëliticis quidem circumcisio, pro aliis vero ex communi theologorum sententia remedium naturae ». VAN NOORT, *o. c.*, n. 97.

(2) Hanc sententiam propugnavit CEULEMANS, *o. c.*, p. 73, aliique ab ipso citati.

(3) Inter quos, SUAREZ, *De providentia erga reprobos*, L. IV, c. 4; FRANZELIN, *De Deo,* thes. LIII, p. 520 ss.; JUNGMANN, *De Deo,* n. 297; card. BILLOT, *De Deo,* (in prima editione) p. 241; VAN NOORT, *o. c.*, n. 98.

(4) Circa hanc quaestionem perutiliter legetur praefatio quam scripsit H. Moisant ad opus DE BONNIOT, *Le problème du mal*[3], Paris, 1911 : ibi explicatur gravitas quaestionis, ejusdem complexitas, et beneficus influxus mysterii in hac re.

Alii dicunt ex existentia mali sequi non existere Deum, alii ex existentia mali scatere contradictionibus doctrinam philosophicam (quam ut sanam habet Ecclesia catholica) vel ipsam doctrinam revelatam (1).

probatur demonstrationem de Dei existentia deque ejus infinita perfectione fieri et firmam remanere, indepenenter a qualibet explicatione de origine mali.

Circa haec notemus : 1°) Demonstratur *a posteriori,* sed plena cum evidentia, *existere* aliquod Ens supremum, quod est primus motor immobilis, prima causa efficiens incausata, ens absolute necessarium, summum ens, causa prima efficiens intellectu praedita (2). Illa singula argumenta remanent in se inconcussa, et absolute firmam statuunt conclusionem, quae proinde necessario admittitur. Cf. suprà, n. 58-78, 256. Stat igitur demonstrata *existentia* Entis supremi, independenter a qualibet quaestione originis mali.

2° Illius Entis Supremi *natura* deinde inquiritur : pariter cum evidentia demonstratur illud esse infinitum in perfectione, nominatim infinite perfectum in scientia, in sanctitate, in potentia, etc. Iterum illae conclusiones remanent inconcussae sub principiis ex quibus inferuntur.

3° Igitur etiamsi nulla nobis suppeteret explicatio circa originem mali vel circa modum conciliandi malum cum Dei perfectione, tamen admittenda foret, utpote certo demonstrata, tum existentia Dei, tum ejusdem infinita perfectio. Porro quum inter vera non possit esse ulla contradictio, logice concluderetur non dari contradictionem inter haec : existere mala, existere Deum eumque esse infinitum in perfectione; concluderetur tandem *a nobis,* propter limitationem facultatis cognoscitivae ejusdemque debilitatem, non perspici connexionem vel potius non-repugnantiam inter vera suprà indicata.

4° Attamen non caremus omni cognitione circa originem mali et ejusdem rationem, adeoque valemus, negative saltem, difficultatibus respondere, nempe ostendere *objectiones,* quae proferuntur, *non valere ad demonstrandam ullam incompossibilitatem* inter existentiam mali et Dei perfectionem.

Sed praeobservemus oportet, ex malis hac in terra inspectis multas necnon diversas moveri objectiones contra Dei perfectionem : quae ut solvantur, considerandum est cui praecise attributo divino contradicere dicantur mala : utrum sapientiae, an beneficentiae, an misericordiae, an justitiae, an potentiae, an providentiae.

In praesenti, agimus solùm de *providentia,* cui nec PHYSICA, nec MORALIA mala, in mundo existentia, repugnare ostendemus.

540. Providentiae non repugnant mala physica,

1. Providentiae divinae non repugnat decernere fieri mala PHYSICA et eo modo ordinare res quo accidant *necessario* mala physica. — Nam Deus est provisor universalis et ideo convenit ut mala physica in individuis permittat vel per accidens velit, ne impediatur bonum totius universi :

(1) Incompossibilitatem mali cum divinis perfectionibus stabilire conatus est variis scriptis Petrus Bayle (1647-1706): de quo cf. OBLET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Bayle,* col. 488 ss.

(2) Haec ultima demonstratio desumitur ex *ordine,* qui realiter est in universo, et remanet firma, etiam si considerantur mala : haec enim non destruunt ordinem realem, qui, ut principium demonstrationis, assumitur.

corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem (1); sed non sunt contra naturam universalem : nam defectus unius cedere potest in bonum alterius et etiam totius universi : ideo Deus, quum sit universalis provisor ita res sapienter ordinat, talesque naturas et leges condit ut de facto accidant mala (2) : inde pulchritudini universi providet Deus tali modo ordinans corpora ut v. gr. ex aquis per solem efformentur nubes quibus venit pluvia, licet etiam ex hoc sequantur tonitrua quibus quandoque occidantur plantae, bruta et homines; iterum pulchritudini et ordini universi confert ut plantae natura sua aptae sint ad brutorum et hominum vitam sustentandam et sanitatem reddendam : ex quo sequitur quod plantae occidantur; pariter dic de brutis ipsis respectu hominum; etiam ad pulchritudinem universi confert ut homines, ratione utentes, bruta adhibeant et ubi, necesse sit, mala illis inferant, ad varias exercendas artes, necnon scientiam acquirendam.

Quando sermo est de malis, homines ante omnia cogitant de *dolore* sensibili: dolor sensibilis, stricto sensu, est affectio appetitus sensitivi consequens ad mali corporalis perceptionem quae fit per sensum externum praesertim per *tactum* (3). — Porro dolor ipse est occasio multorum bonorum: « De periculis monet et ad ea removenda inpellit. Animalium activitatem excitat, ingenium hominis stimulat, quod saepius in otio languesceret. Dum rectus facultatum usus delectationem affert, rectissime dolor est legis violatae naturalis sequela. Dolores sunt medium excellens quo possumus pro peccatis satisfacere. — Multis ac optimis virtutibus dant locum, patientiae, fortitudini, misericordiae. Virtutes nostras perficiunt dum nos supra materialia ad spiritualia elevant. Mala physica maxime prosunt homini ut intelligat solum Deum esse bonum absolute perfectum, neque quaerendam esse veram beatitudinem in bonis hujus mundi » (4). Quod diximus de dolore sensibili, etiam dicendum est de tristitia tum sensibili, tum spirituali.

Igitur mala physica, quatenus ex bono, physica necessitate, consequuntur, conferunt *per accidens* ad pulchritudinem universi : ideoque a Deo, quatenus est universalis provisor, haec mala ordinantur ad finem ultimum.

---

(1) S. THOMAS, I, Q. XXII, a. 2, ad 2 dicit quod aliter est judicandum de eo qui habet curam alicujus particularis et aliter de provisore universali: quia provisor *particularis* excludit defectum ab eo quod ejus curae subditur, *quantum potest;* non ita *universalis* provisor. Et hoc etiam verificatur, proportione servata, de hominibus inter quos habetur hierarchia. Quod exemplo illustrat P. Pègues: « Ainsi un prieur, dans un couvent, qui n'a qu'à s'occuper du bien de son couvent, fera tout son possible pour obtenir le personnel nécessaire à ce que son couvent fonctionne sans la moindre irrégularité. Mais s'il s'agit du Provincial, qui n'a pas à procurer que le bien de tel couvent, mais celui de la province, il pourra très bien laisser en souffrance tel point particulier en tel ou tel couvent, si le bien général de la province le demande ». *Commentaire français littéral de la Somme théologique,* t. II, p. 327.

(2) S. THOMAS, *l. c.*

(3) Cf. S. THOMAS, in III, Dist. XV, Q. II, a. 3, q. 2, ubi clarissime exponit differentias inter *dolorem* sensibilem, stricte dictum, et *tristitiam.* Cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 335 ss.

(4) *Collat. Tornac.*, t. XV (1908), p. 17. Cf. *Revue pratique d'apologétique,* t. VII, p. 845 ss De utilitate morali doloris ac adversitatis, cf. *De imitatione Christi,* L. I, c. 12, L. II, c. 12, L. III, c. 12, c. 18 s., c. 29; AERNOUDT, *De imitatione s. Cordis Jesu,* L. III, c. 4 ss.; GAY, *Vie et vertus chrétiennes,* t. III, *De la douleur chrétienne;* MONSABRÉ, *Exposition du dogme catholique,* t. IV, *Le gouvernement divin,* carême 1876, 22e conférence.

541. nec mala moralia.

II. Providentiae non repugnat permittere mala MORALIA, h. e. peccata. Nam homo et angelus naturaliter fruuntur libertate, quae est perfectio: sed quia sunt entia finita, naturaliter etiam possunt peccare : ipsum peccatum, quatenus est in esse *moris* (1), soli creaturae tribuendum est, non autem Deo, qui hoc tantum permittit, cf. suprà, n. 448. Adest tamen conditio sine qua permittere non posset Deus peccatum : nempe aliquod bonum quod per accidens consequitur ex peccato : v. gr. ex injustitia Judaeorum secuta est redemptio generis humani per mortem Christi; ex persecutionibus, fortitudo mirabilis martyrum; quandoque ex malitia hominum excitantur alii ad poenitentiam exercendam et satisfactionem; ex propriis peccatis homo quandoque magnam humilitatem exercet et movetur ad alias virtutes; ex peccatis consequitur in Deo exercitium misericordiae et etiam justitiae erga damnatos. Jamvero omnes hae sunt actiones bonae, quae occasione peccatorum fiunt et etiam ad pulchritudinem universi conferunt. Igitur peccata, quae mere permittuntur a Deo, tamen ab ipso, posito quod sint, ordinantur ad finem ultimum, quatenus *per accidens* ad pulchritudinem universi concurrunt (2).

Nota. Quandoque specialis movetur difficultas de malis, et nominatim de cruciatibus, quibus afficiuntur bruta animalia et infantes nondum adepti rationis usum : illis enim mala nequeunt esse utilia ad exercitium virtutis. Sed illa mala cruciatusque sunt sequelae virium naturalium agentium secundum leges statutas : illae leges bonae sunt et bonum est non impedire cursum naturae. Praeterea illa mala saepe sunt aliis hominibus occasio acquirendae cognitionis et exercendae virtutis.

Dubia quaedam non raro occurrunt etiam apud personas pias, quando mala hujus mundi considerant simul ac divinam perfectionem.

1° *Quum potuisset Deus mundum condere absque malis, cur hoc non fecit? Cur mala, saltem moralia, non voluit impedire?*

R. Ratio cur Deus hunc rerum ordinem, qui nunc existit, elegerit, nulla est alia quam ipsa Dei electio : illa fecit Deus quae voluit et quia voluit. Sed electio Dei est bona et digna Deo : etenim mala omnia praecognoscuntur a Deo et ordinantur ad bonum totius universi : ex malis enim, licet *per accidens,* tamen realiter, consequitur bonum : mala tum physica tum moralia sunt occasio existentiae bonorum tum physicorum tum moralium. Igitur quum Deus omnia perfecte sciverit et voluerit *per se* bonum quod resultat ex complexu rerum, existentia malorum, quippe quae ordinantur ad bonum universi et, ut *occasiones,* realiter, licet *per accidens,* conferunt ad bonum producendum, non opponitur ulli perfectioni divinae, neque cognoscitivae, neque volitivae.

Sed cavendum est ab illa cogitatione quod dolor, displicentia, tristitia hominis (vel alius creaturae) sit quasi summum malum, quod absolute deberet Deus impedire. — Imo malum morale seu peccatum quia et quatenus ordinatur ad bonum, potest Deus, qui est aequissimus aestimator rerum, permittere, quin ullo modo deficiat ab infinita sanctitate : sane, permittendo peccata, *vult* Deus ultimatim creaturarum *sanctitatem* (sive ipsorum peccantium per subsequentem conversionem, sive aliorum entium rationabilium), quae consistit in ipsa gloria Dei extrinseca. Damnatio autem aeterna, qua talis, est actus justitiae divinae, quae positive divinae sapientiae et sanctitati convenit, nec repugnat benignitati aut misericordiae (3).

---

(1) Cf. BILLOT, *De natura et ratione peccati personalis,* p. 138 ss.; Cf. *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 334 ss.

(2) Cf. ILLmus JANSSENS, *De Deo Uno,* Romae, 1899, p. 276 s., 379 s.

(3) Cf. *Collat. Brug.,* t. III, p. 138 ss.; t. VIII, p. 434.

2° *Nonne melior fuisset universus et consequenter opus magis dignum Deo, si mundus quidam exstitisset absque malis?* 542.

R. Multi possibiles sunt rerum ordines, in quibus nulla fuissent mala, et qui tamen fuissent minus boni, quam ordines in quibus existunt multa mala. Etenim bonitas vel pulchritudo universi aestimanda est ex bono quod ultimatim resultat, seu ex gloria Dei extrinseca quae obtinetur : jamvero mala physica ita de facto ordinantur ad bona physica ut ex hoc splendide manifestetur sapientia et potentia Dei; mala moralia etiam ita de facto ordinantur ad bona moralia, ut ad sublimem perfectionem perveniant multae animae et consequenter valde intensam gloriam Dei extrinsecam tribuant. Bene perpendamus *a*) unius animae heroïcam sanctitatem esse majorem Dei gloriam majusque bonum, quam multorum ordinariam vel mediocrem perfectionem; *b*) gloriam Dei extrinsecam et beatitudinem aeternam praedestinatorum non diminui ex damnatione reproborum : nam peccata, quae Deus *permittit* et quae sunt ratio exigitiva damnationis, non sunt indicia minoris potentiae vel sanctitatis in Deo, nec repugnant voluntati salvificae Dei (cf. suprà, n. 529), imo elargitio auxiliorum peccatoribus facta est mirabilis effectus misericordiae divinae: quod est argumentum glorificandi Deum, tandem nullam tristitiam experiuntur Beati ex cognitis peccatis et damnatione hominum (1).

Ex dictis concludetur : *a*) non ideo melior esset mundus, quia nulla existerent mala; *b*) non omnis mundus, in quo nulla fuissent mala, esset melior quam mundus qui nunc est; *c*) potuisset existere mundus, in quo non essent mala et qui fuisset melior quam praesens : sed ad melius vel ad optimum faciendum non tenetur Deus licet sit infinite perfectus.

3° *Nonne conveniens fuisset Deo ut, praecognita damnatione tot hominum et tot angelorum, abstinuisset a creando?* 543.

R. Negative.

Nam intrinseca Dei perfectio et beatitudo est prorsus eadem sive creet, sive nihil ad extra producat. Deinde ipsa Dei volitio, qua statuit suam communicare perfectionem aliis, adeoque condere entia rationabilia quae consequentur beatitudinem, est actio *positive conveniens* bonitati divinae, et positive conveniens est, qualiscumque sit quantitas seu mensura boni, quod communicandum decernit Deus; mala autem omnia, in omni possibili ordine, necessario ordinantur ad bonum; ergo in omni hypothesi possibili, creatio mundi est actio Deo positive conveniens et digna, propter quam laus et gratiarum actio debitae sunt. — Abstinere vero a creando non potest esse positive conveniens Deo.

Scholion 3um. INAEQUALIS BONORUM DISTRIBUTIO, PECCATORUM PROSPERITAS, JUSTORUM CALAMITAS, NIHIL PROBANT CONTRA DIVINAM PROVIDENTIAM (2). 544.

Praenotanda.

Felicitatis notione praemissa,

a) Hominis felicitas, quae est idem ac beatitudo (3), formaliter et subjective spectata, consistit *essentialiter* quidem in possessione Dei, *accidentaliter* vero in adeptione quorumdam bonorum creatorum, quae accidunt et subordinantur possessioni ipsius Dei (4).

In praesenti Providentiae ordine, hominis beatitudo est supernaturalis; obtinetur perfecte et complete in altera vita, quando homo intuitive cognoscit Deum, bonisque cum hac visione connexis fruitur et immunis est ab omni malo.

---

(1) Ratio est quia illa cognoscunt in Deo, nempe in essentia Dei intuitive perspecta, consequenter illa considerant sicut ipse Deus, consequenter nec beati habent tristitiam sicut nec Deus habet tristitiam de illis. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 134 ss.

(2) Cf. VAN NOORT, *De Deo creatore*, n. 70 s.

(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXVI, a. 1, ad 2.

(4) Materiam *de beatitudine* fuse et dilucide pertractat S. THOMAS, *Sum. theol.*, I-II, Q. I-V, cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 363 ss., 427 ss.; praesertim t. XIX, p. 186, 251, 316.

Illa beatitudo, hac in vita, inchoative, majori vel minori gradu, obtineri potest : consistit porro primario in exercitio virtutum infusarum, praecipue theologalium, et etiam, secundario, in quibusdam bonis sensibilibus. Potest hac in vita etiam haberi quaedam imperfecta beatitudo naturalis, consistens in naturali Dei possessione (per cognitionem scilicet et consequentem amorem) et in adeptione quorumdam bonorum temporalium (1).

Ad rem nostram quod attinet, perpendendum est nullum creatum bonum, nec ullum creatorum bonorum complexum, posse conferre homini *essentialem* felicitatem, et multo minus, completam. Igitur non potest aestimari felicitas hominum ex quantitate divitiarum, quas possident, vel ex honore, vel ex potestate, vel ex sensibilibus delectationibus, vel ex immunitate a malis physicis : cum illis omnibus habitis coexistere potest infelicitas magna (2), et in carentia illorum potest haberi magna beatitudo (3). Inde aliud omnino est quaerere num boni seu justi sint malis feliciores; aliud, num boni soleant esse malis ditiores ac honoratiores. Ad priorem quaestionem affirmative respondendum est, ad alteram non ita.

b) Inde hujus vitae felicitas aut bona temporalia non sunt *per se* praemium virtutis, nec in hoc mundo debent sancti accipere coronam justitiae quam repromisit illis Deus. Imo mala physica et carentia bonorum possunt esse occasio et medium majoris possessionis Dei et perfectionis moralis (4).

c) « Attamen, etsi de solis bonis exterioribus agatur, cavendum est ab exaggerationibus, quasi paupertas ac aerumnae solis fere justis reservarentur, malis vero vix non semper bona affluerent; teste enim experientia, de regula generali, bona et mala utrisque indiscriminatim obvenire solent... Nihilominus verissimum est pios subinde calamitatibus obrui, peccatores impudentes bonis abundare, et quum inaequalis ista, et secundum apparentiam, inepta bonorum distributio homines justos, ac praesertim afflictos, vehementer angere soleat (5), ostendendum est hanc inaequalitatem divinae providentiae non adversari » (6).

545. demonstratur non adversari divinae providentiae inaequalem bonorum distributionem,

Demonstratur assertum.

1° Distributio inaequalis bonorum ut plurimum resultat ex causis ordinis naturalis, tum necessariis tum liberis. Alii divitias sibi comparant, quia ingenio atque indole praestantes totis viribus incubuerunt negotiis; alii pauperes sunt, quia parentes substantiam suam luxuriando perdiderunt;

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 316 ss.

(2) Non solum hoc sensu quod in illorum bonorum possessione non invenitur essentialis beatitudo, ne inchoative quidem, sed etiam hoc sensu quod homines, illa bona adepti, saepe inquietudine animi, tristitia, taedio, remorsu conscientiae afficiuntur, passionumque servituti subjiciuntur; imo saepe ipsa illorum bonorum possessio fit occasio summae infelicitatis, v. gr. timoris anxii de amissione possibili illorum, tristitiae de actuali perditione alicujus rei, etc.

(3) Christus beatos dicebat homines hac in terra carentes bonis temporalibus. Cf. *Matth.*, V, 3-9.

(4) Inde sancti non solum *in* adversis et doloribus gaudent in Domino, sed *de* malis, quae patiuntur, laetantur propter bonum, quod patiendo percipiunt; nempe suimetipsius immolationem ex amore Dei.

(5) Cf. *Job*, XXI, 7; *Ps.* LXXII, 2; *Jerem.*, XXI, 1.

(6) VAN NOORT, l. c.

alii amentes aut hebetes nascuntur, quia a parentibus ebriosis procreati sunt; alii, propter corporalis complexionis indispositionem, inepti sunt ad scientiam acquirendam et ad altum in societate statum occupandum. Diversitas magna inter bona quibus varii homines donantur est igitur sequela legum naturalium (1) : has autem servari bonum est Deo et confert ad ordinem ac pulchritudinem universi; praeterea sicut mala sunt occasio boni (cf. suprà, n. 540 s.) ita etiam carentia vel parvitas boni. Tandem non conveniens foret Deo continuis miraculis impedire inaequalitatem bonorum inter homines : quod caeteroquin quandoque esset impossibile : si v. gr. divitiae proportionandae forent virtuti, quid accidere deberet in familia ubi maritus et pater est impius, uxor vero et filii innocui. Caeteroquin diversitas in exercitio perfectionis moralis secundum varietatem statuum ac conditionum, praesertim diversitas in supernaturalibus donis a Deo concessis, qualis in vita Sanctorum elucet, splendide manifestat sapientiam ac potentiam Dei qui unicam, quoad essentiam, sanctitatem producit sub tot formis accidentalibus tam inter se diversis.

546. *peccatorum prosperitatem.*

2° Peccatorum prosperitas nihil probat contra divinam providentiam, quia est sequela legum naturalium et quia in hoc mundo non est proprie locus et tempus poenae infligendae pro peccatis. Caeteroquin temporalium divitiarum possessio potest quandoque ordinari a Deo tamquam merces quorumdam operum moraliter bonorum, quae peccatores fecerunt. — Justorum adversitas et calamitas est etiam sequela legum naturalium; potestque ordinari a Deo in poenam peccatorum a justis commissorum, itaque et ita justi possunt hac in vita satisfacere pro peccatis suis; tandem potest adhiberi ut medium progressus magni in sanctitate acquirenda. — Nec mirum si cum impiis etiam pii patiuntur, quando publica mala afficiunt integrum populum vel plures nationes : nam praeter ea quae jam diximus de origine et de ordinatione malorum physicorum, considerandum est quod homines, licet justi, tamen aliquam partem habent in delictis aliorum, quae publicis flagellis puniuntur.

547. Ad rem S. Augustinus, *De civitate Dei,* L. I, c. 9, P. L., t. 41, col. 21 ss. : « Quid igitur in illa rerum vastitate [h. e. in devastatione Urbis patrata a Gothis sub Alarico, an. 410.] Christiani passi sunt, quod non eis magis fideliter ista considerantibus ad profectum valeret? Primo, quod ipsa peccata, quibus Deus indignatus implevit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, quamvis longe absint a facinorosis, flagitiosis atque impiis, tamen non usque adeo se a delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se judicent dignos. Excepto enim quod unusquisque, quamlibet laudabiliter vivens, cedit in quibusdam carnali concupiscentiae, etsi non ad facinorum immanitatem et gurgitem flagitiorum atque impietatis abominationem, ad aliqua tamen peccata vel rara vel tanto crebriora quanto minora : hoc ergo excepto, quis tandem facile reperitur, qui eosdem ipsos.

(1) « Neque his, quae de causis naturalibus diximus contradicit Christus dicens : *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus; et haec omnia adjicientur vobis* (Matth., VI, 33). Nam iis qui regnum Dei primo loco quaerunt, Dei providentia ordinarie necessaria vitae quasi naturaliter suppeditat; qui enim vere pii sunt, negotiis atque officiis suis diligenter incumbunt, ab excessibus rem domesticam saepe inutiliter consumentibus abstinent, paucisque esse contenti didicerunt ». VAN NOORT, *o. c.,* n. 71.

propter quorum horrendam superbiam, luxuriam et avaritiam, atque exsecrabiles iniquitates et impietates, Deus, sicut minando praedixit, conterit terras (*Isai.* XXIV, *et alibi*), sic habeat, ut habendi sunt? sic cum eis vivat, ut cum talibus est vivendum? Plerumque enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis et corripiendis male dissimulatur; vel cum laboris piget, vel cum eorum os coram verecundamur offendere; vel cum inimicitias devitamus, ne impediant et noceant in istis temporalibus rebus, sive quas amittere formidat infirmitas : ita ut, quamvis bonis vita malorum displiceat, et ideo cum eis non incidant in illam damnationem, quae post hanc vitam talibus praeparatur; tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in suis licet levibus et venialibus metuunt, jure cum eis temporaliter flagellentur, quamvis in aeternum minime puniantur. Jure istam vitam, quando divinitus affliguntur cum eis, amaram sentiunt, cujus amando dulcedinem peccantibus eis amari esse noluerunt...

Non mihi itaque videtur haec parva esse causa, quare cum malis flagellentur et boni, quando Deo placet perditos mores etiam temporalium poenarum afflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam; non quidem aequaliter, sed tamen simul : quam boni contemnere deberent, ut illi correpti atque correcti consequerentur aeternam; ad quam consequendam si nollent esse socii, ferrentur et diligerentur inimici : quia, donec vivunt, semper incertum est utrum voluntatem sint in melius mutaturi. Qua in re non utique parem, sed longe graviorem habent causam, quibus per prophetam dicitur : *Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram* (*Ezech.* XXXIII, 6). Ad hoc enim speculatores, hoc est populorum praepositi, constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata. Nec ideo tamen ab hujuscemodi culpa penitus alienus est, qui, licet praepositus non sit, in eis tamen quibus vitae hujus necessitate conjungitur, multa monenda vel arguenda novit, et negligit, devitans eorum offensiones, propter illa quibus in hac vita non indebitis utitur, sed plus quam debuit delectatur. Deinde habent aliam causam boni, quare temporalibus affligantur malis; qualem habuit Job : ut sibi ipse humanus animus sit probatus et cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat ».

ARTICULUS II^us^. De Praedestinatione.

548. Praedestinatio est divina praeordinatio salvandorum,

Notio. *Praedestinatio,* in sermone theologico, *sensu strictissimo* significat ordinationem Dei qua certos homines, (et angelos) ad salutem consequendam efficaciter ducit. Illa divina ordinatio importat tum intellectus actum, quo Deus praecognoscit quinam sint homines et quibus mediis sint salvandi, tum voluntatis actum, quo absolute vult illos modo determinato salvari. — Infrà dicetur in quo actu formaliter sit praedestinatio.

Praedestinare, secundum vocabuli etymologiam, generice et sensu lato intellectum, nihil aliud significare videtur nisi: rem aliquam mente et consilio ordinare ac transmittere in aliquem finem. Unde superior quispiam dicere solet de subdito suo: illum destino cathedrae, vel ministerio animarum, etc. Quo quidem loquendi modo, ostendit apud se conceptionem transmissionis talis subditi ad tale officium, cum voluntate exsequendi; et haec est quaedam providentia in mente superioris existens, seseque habens ut directivam executionis pro tempore opportuno (1).

Inde praedestinare hoc lato sensu dicitur etiam de Deo : « Sapientiam loquimur inter perfectos, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam *praedestinavit* Deus ante saecula in gloriam nostram ». 1 *Cor.*, II, 9 : h. e. sapientiam, quam Deus ab aeterno mente concepit et voluntate decrevit manifestandam et sic transmittere in finem, qui est gloria aeterna hominum.

(1) Ita card. BILLOT, *De Deo,* Q. XXIII, p. 283.

Etiam in sensu lato, quo de omni Dei ordinatione adhiberi potest, dicebatur in concilio Valentino, an. 855 : « Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam et praedestinationem impiorum ad mortem » (1).

549. *differt objective a providentia.*

2° Praedestinatio, sensu strictissimo, est igitur : « Quaedam Dei providentia, seu quaedam *ratio ordinis aliquorum in finem, in mente divina relucens.* Verum addit supra providentiam in communi certas determinationes. Nam *primo,* providentia in communi, est ratio ordinis creaturae in finem separatum qui Deus est, sive ordo ille impleatur per adductionem hominis ad suam aeternam beatitudinem, sive impleatur per permissionem defectionis ejus, et consequentem deputationem ad poenam. At praedestinatio non dicitur nisi de ratione ordinis creaturae rationalis in salutis finem, quae est consummata creaturae perfectio. — *Secundo,* providentia in communi, abstrahit ab hoc quod finis sit supernaturalis, vel non. Praedestinatio autem non dicitur, nisi respectu habito ad finem excedentem naturae proportionem et vires, scilicet respectu vitae aeternae, quae in Dei visione consistit. — *Tertio,* providentia in communi, versatur tam circa ordinem quem habet creatura ad suum finale bonum, quantum est ex voluntate Dei antecedente et conditionata, quam circa eventum seu consecutionis seu amissionis. Praedestinatio autem non continet ordinem in finem vitae aeternae, nisi ut conjunctum cum consecutionis eventu. Hinc denique *quarto,* providentia in communi, dici potest tam respectu ejus ad quod aliquis mittitur ex prima intentione providentis, quam respectu ejus ad quod mittitur ex supposita defectione liberi arbitrii, utputa si dicatur parari in providentia Dei, tam caelum quam infernum. Sed praedestinatio restringitur ad primum ex his duobus tantum » (2).

Ex dictis patet praedestinationem, ratione *objecti,* esse partem providentiae divinae, de qua egimus suprà, n. 512. ss.

3° *Status quaestionis.* Duo nobis sunt exponenda, scilicet primo doctrina catholica de praedestinatione; secundo ulterior dogmatis explicatio circa quam controversia viget inter theologos.

§ I.

Doctrina catholica.

550. *Existere in Deo praedestinationem.*

PROPOSITIO PRIMA. **Existit in Deo praedestinatio salvandorum,** id est, **ratio transmissionis eorum in finem vitae aeternae.**

Haec propositio est *de fide :* nam licet non fuerit explicite et directe definita in aliquo concilio oecumenico vel in aliquo documento pontificio, tamen explicite continetur in universali praedicatione Ecclesiae ut veritas ab omnibus credenda.

---

(1) *Enchir.,* n. 322.

(2) Ita card. BILLOT, *o. c.,* p. 285 « Praedestinatio quantum ad *duo* a providentia differt. a/ *Providentia* enim dicit *universaliter* ordinationem in finem; unde se extendit ad *omnia* quae a Deo in finem aliquem ordinantur, sive sint rationabilia sive irrationabilia, sive bona sive mala. *Praedestinatio* autem respicit tantum *illum finem* qui est principalis *rationali* creaturae, utpote

demonstratur: A) *ex s. Script.,*

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura.

1° Christus Dominus sententiam suam in ultimo judicio ferendam exhibens, ita loquitur : « Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt : venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi » *Matth.,* XXV, 34 (1). Hîc docetur aeternam felicitatem salvandis esse *paratam* a Deo — et quidem in ipsa mundi constitutione (2). Deus igitur praecognovit salvandos, illosque praeordinavit ad felicitatem, antequam existant, imo ab aeterno, ut ex aliis locis S. Scripturae constat. — Caeteroquin omnis divina cognitio et volitio est aeterna in Deo.

2° S. Paulus, *Rom.,* VIII, 28-30, docet quod Deus ipse efficit ut iis, qui ipsum diligunt, omnia cooperantur in bonum, et quos ipse vocavit et justificavit, hos etiam glorificabit : « Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit hos et glorificavit ».

Licet in illo textu interpretando diversae occurrant quaestiones, quarum solutio non eadem proponitur ab omnibus exegetis, tamen ut certam habemus, quoad substantiam doctrinae hîc assertae, explicationem hanc : diligentibus supernaturaliter Deum, omnia, etiam adversa, in specie persecutiones, cooperantur in bonum ultimum ipsorum : ipsorum scilicet, qui secundum Dei propositum, nempe secundum decretum absolutum voluntatis divinae, sunt vocati ad salutem. Nam homines quos Deus praecognovit et determinavit voluntate sua futuros esse conformes imaginis Filii sui, hos de facto vocavit efficaciter ad hoc, ad hanc conformitatem habendam, eosdem etiam de facto justos fecit, et eisdem de facto gloriam dabit (3).

In hoc igitur textu docetur divina praecognitio necnon voluntaria ac absoluta determinatio illorum hominum, qui de facto salvandi sunt, et etiam mediorum (quae hîc per summa capita indicantur) quibus perveniunt ad aeternam salutem.

---

gloriam; et ideo praedestinatio non est nisi hominum et eorum quae spectant ad *salutem*. b/ Differt etiam alio modo. In qualibet enim ordinatione ad finem est duo considerare: scilicet ipsum ordinem et exitum vel eventum ordinis : non enim omnia quae ad finem ordinantur, finem consequuntur. *Providentia* ergo *ordinem* in finem respicit tantum : unde per providentiam Dei *omnes* homines ad beatitudinem *ordinantur*. Sed *praedestinatio* respicit etiam *exitum* vel eventum ordinis; unde non est *nisi eorum* qui *gloriam consequuntur*». S. Thomas, *De Veritate,* Q. VI, a. 1.

(1) Cf. etiam *Matth.,* XX, 23.

(2) Sensus litteralis non est *ante* constitutionem mundi, sed *ab* illa. « *Electio* Dei facta dicitur *ante* mundi constitutionem (*Ephes.,* I, 4; *1 Petr.,* I, 20), non autem *praeparatio* regni; quare paratum regnum in ipsa mundi creatione ita intelligi potest, ut tunc locus regni aptatus sit. Cum enim hoc regnum vel haec beatitas contingat hominibus, creaturae autem necessario in loco vel spatio existant, apte tunc dicitur regnum eis praeparatum quando Deus creavit, quia ante creationem solus existebat Deus. Quare praeparatio regni seu felicitatis bene potest distingui ab ipsa electione ad regnum ». Knabenbauer, *Comment. in Matth.,* t. II, p. 381.

(3) Paulus scripsit *glorificavit:* ut videtur per quamdam attractionem ad verba immediate praecedentia. Quoad ulteriorem explicationem textus, cf. d'Alès, *Dict. apol. de la foi cath.,* art. *Prédestination,* col. 197 ss.

Haec doctrina confirmatur ex *Ephes.* I, 3-12, ubi Apostolus asserit a Deo, ante mundi constitutionem, *eligi* et *praedestinari* illos qui justificantur et fiunt adoptivi filii Dei; praesertim ex v. 11, ubi Apostolus affirmat illos, quos alloquitur, simul cum ipso (*nos*) *constitui heredes regni Dei* (ἐκληρώθημεν) (1) *secundum propositum* Dei, *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis ejus :* ergo nostrae futurae haereditatis in coelis ultimum fundamentum est efficax Dei operatio, quae fit secundum divinae voluntatis decretum omnino liberum, cui praelucet perfecta cognitio : hoc igitur decretum importat aeternam electionem et praedestinationem eorum qui de facto salvantur.

B. Ex Traditione.

551.
B) ex Traditione, ex Patribus,

1. Ante sanctum Augustinum Patres non multùm solliciti fuerunt de exponenda praedestinatione : hanc tamen explicite cognoscunt et docent in Deo esse praecognitionem eorum qui salvantur, necnon a Dei voluntate et a gratia ipsius dependere salutem salvandorum (2).

S. Aug.,

2. S. Augustinus catholicum dogma de praedestinatione propugnavit contra Pelagianos et Semipelagianos. Pelagiani, quum necessitatem gratiae supernaturalis negarent, non admittebant proprie dictam praedestinationem : tenebant nempe homines libero suo arbitrio ac naturae humanae viribus, absque supernaturali gratia, posse credere et salutariter agere et ideo obtinere aetenam beatitudinem. Secundum hanc sententiam, admittebant aliquam paedestinationem, nempe praescientiam Dei, qua praecognoscebat quinam futuri essent sancti per ipsorum liberae voluntatis arbitrium, et ideo eos, ante mundi constitutionem, in sua ipsa praescientia, quos tales futuros esse praescivit elegit. Semipelagiani contendebant saltem initium fidei esse ab ipso homine, independenter a gratia supernaturali.

Contra hoc, docet S. Augustinus non ideo homines determinatos eligi a Deo ad salutem, quia praecognoscuntur futuri boni et sancti; sed, e contrario, ideo homines futuros esse bonos et sanctos quia eliguntur a Deo, *ut* per divinam gratiam efficiantur sancti et justi et consequenter salventur. Deus non eligit quosdam, *quia* futuri sunt sancti et ut tales praecognoscuntur, sed eligit *ut* sint, ut fiant sancti; ipse Deus sanctos *efficit* illos, quos *eligit* ut fiant sancti.

« Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea praedestinatione qua Deus sua futura facta praescivit : electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod praedestinavit, implevit. Quos enim praedestinavit, ipsos et vocavit; illa scilicet vocatione secundum propositum : non ergo alios, sed quos praedestinavit, ipsos et vocavit; nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos justificavit; nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos et justificavit; nec alios sed quos praedestinavit, vocavit, justificavit, ipsos et glorificavit (*Rom.* VIII, 30); illo utique fine qui non habet

(1) Quoad vocabuli interpretationem cf. Knabenbauer, *Comment. in epist. ad Ephesios,* p. 49 ss.
(2) Cf. Schwane, *Histoire des dogmes,* t. III, p. 69 ss.; Tixeront, *Histoire des dogmes,* t. II, p. 145 ss., 184.

finem. Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant ». *De Praedestinatione Sanctorum,* c. 17, n. 34, P. L., t. 44, col. 986.

Praedestinationem hoc modo intellectam pertinere ad fidem catholicam dicit S. Augustinus, *De dono perseverantiae,* c. 23, n. 63, P. L., t. 45, col. 1032 : « Praedestinationis hujus fidem, quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit ». Haec porro praedestinatio duo importat, nempe: *a*) divinam praecognitionem salvandorum et voluntatem absolutam de ipsorum salute; *b*) singulorum salvandorum salutis plenam dependentiam a praedicta volitione Dei (1).

Idem dogma propugnaverunt S. Prosper (2), S. Fulgentius 468-533 (3), qui in *epist.* XVII, n. 67 haec praeclara scribit :

« Gratia nobis et initium bonae voluntatis donatur ad fidem, et ipsi voluntati adjutorium tribuitur, ut quod bene vult bene operetur; Deus enim, qui hominem condidit, ipse praedestinatione sua et donum illuminationis ad credendum et donum perseverantiae ad proficiendum atque permanendum et donum glorificationis ad regnandum quibus dare voluit, praeparavit, quique non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna atque immutabili habet dispositum voluntate ». Praedestinatio est igitur aeterna in Deo *praeparatio* omnis operis salutaris, hac in terra peracti, et consequentis glorificationis in coelis, quae praeparatio determinata est sempiterna et immutabili voluntate divina ».

552. ex damnatione praedestinatianismi,

3. Dogma catholicum fuit expressum pluribus documentis quibus Ecclesiae Magisterium damnavit *praedestinatianismum :* hic error substantialiter in hoc consistit quod asseritur *Deum non serio velle omnes homines salvos fieri,* sed quosdam absolute velle salvari, reliquos, eodem modo, absolute velle damnari.

conc. Arelat., Hoc docuit, saeculo V, quidam sacerdos nomine Lucidus, qui, refutatus a Fausto (4), episcopo Regiensi, damnatus est in concilio Arelatensi, an. 475. —

conc. Araus., Etiam in concilio Arausicano II, an. 529, statuitur : « Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus » (5). Concilium igitur damnat illos qui dicant homines quosdam praedestinari ad malum, nempe ita alienos esse a beneficentia Dei ut nequeant non peccare et consequenter necessario damnentur.

Saeculo IX, monachus nomine Gottschalk eumdem errorem renovavit.

conc. Valent., Damnatus fuit in concilio Carisiacensi (Chiersy, in Gallia) an 853 (6); deinde de eadem re habitum est concilium Valentinum (Valence, in Gallia) an. 855 (7). In hoc concilio, explicite ponitur distinctio inter *praescientiam* Dei et *praedestinationem:* de utraque seorsim sermo est:

1. De praescientia statuitur, *a*) Deum aeternaliter praescire et *bona* opera, quae boni sunt facturi et *mala,* quae mali sunt gesturi; *b*) Deum aeternaliter praescire *bonos* homines per gratiam divinam futuros esse bonos et per eamdem gratiam

(1) Abstrahimus nunc ab ulteriori explicatione circa praedestinationem, qualis haec concipitur a S. Augustino: de cujus sententia postea erit loquendum. Ulterior illa explicatio non pertinet ad *fidem catholicam,* nominatim explicatio de connexione inter merita hominum et praedestinationem: qua de re sermo erit infrà.

(2) Cf. JACQUIN, *Revue d'histoire ecclésiastique,* 1906, t. VII, p. 269 ss.

(3) Cf. GODET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Fulgence,* col. 970 s.

(4) Hic tamen semipelagianismo adhaesit: cf. GODET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.* art. *Fauste de Riez,* col. 2104.

(5) *Enchir.,* n. 200.

(6) *Enchir.,* n. 316. De differentia, quoad modum loquendi, inter hoc concilium et concilium Valentinum cf. *Enchir.,* n. 320, in nota; praesertim HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles.* t. IV, 1e p., p. 197-231.

(7) *Enchir.,* n. 320.

accepturos esse aeterna praemia; *malos* autem per propriam malitiam futuros esse malos et per divinam justitiam esse damnandos aeterna ultione. *c*) Nulli prorsus malo homini praescientiam Dei imposuisse necessitatem ut sint mali, proinde non ex praejudicio Dei, sed ex merito propriae iniquitatis malos condemnari; consequenter malos perire, non quia non potuerunt, sed quia noluerunt, esse boni.

2. De *praedestinatione* statuitur *a*) hanc duplicem esse, nempe praedestinationem *electorum ad vitam* et praedestinationem impiorum *ad mortem; b*) in electione salvandorum *misericordiam* Dei *praecedere* meritum bonum; in damnatione autem perieturorum *meritum malum praecedere* justum judicium Dei; *c*) praedestinatione sua Deum statuisse tantùm ea quae ipse, gratuita misericordia vel justo judicio, erat facturus, h. e. tum elargitionem gratiae et consequentis aeternae salutis, tum inflictionem poenae justae; non autem ipsam malitiam malorum.

Licet illud concilium non sit oecumenicum, tamen quae ab ipso declarantur, quoad substantiam doctrinae (1), ad fidem catholicam pertinent, nominatim *a*) Deum aeternaliter *praescire* quinam sint bona opera et quinam sint mala facturi, quinam sint consecuturi praemium aeternum et quinam poenam aeternam; *b*) *homines* esse vere *liberos*, nominatim in peccatis committendis, consequenter malos perire quia noluerunt esse boni, licet potuerint esse boni; *c*) *causam* sanctitatis hominum et consecutionis aeterni praemii esse Dei voluntatem misericordem, qua *eligit* salvandos; causam vero malitiae hominum esse liberum ipsorum arbitrium, illudque esse causam meritoriam damnationis; *d*) causam vero inflictionis aeternae poenae esse justam Dei voluntatem. — Inde apparet indicari ea quae importat *praedestinatio sensu strictissimo* accepta, uti diximus suprà, cujus proinde existentia asseritur.

553. conc. Trident.,

4. Concilium Tridentinum fidem de existentia praedestinationis, sensu strictissimo accepta, evidenter supponit, quando definit : « Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum, quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nemo, nisi ex speciali revelatione, scire potest, quos Deus sibi elegerit » (2).

554. de haeresi Calvini,

Nota. Haeresim praedestinatianismi renovavit et auxit Calvinus (1509-1564), qui tenet *a*) Deum ab aeterno alios homines elegisse ad salutem, alios ad damnationem; *b*) Deum non solum damnationem velle, sed ipsum malum morale, seu peccatum, eodem modo quo vult bonum morale; *c*) ipsam autem praedestinationem esse aeternum Dei decretum quo apud se constitutum habuit quid de unoquoque homine fieri vellet, praeordinando aliis vitam aeternam, aliis damnationem aeternam (3).

---

(1) Non autem quoad modum loquendi: v. gr. non necessario oportet dicere esse duplicem praedestinationem: sed praedestinatione, sensu strictissimo accepta, designari potest Dei praescientia et volitio circa *salvandos;* tantum *reprobatione* designari potest Dei praescientia et volitio circa *damnandos*.

(2) Sess. VI, cap. 12, *Enchir.*, n. 805.

(3) Cf. JUNGMANN, *De Deo*, n. 307; BAUDRILLART, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Calvinisme*, col. 1406 ss.; D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi cath.*, art. *prédestination*, col. 235 ss.; FRIETHOFF, *De predestinatie-leer van Thomas en Calvyn.*

Calvini doctrinae de praedestinatione absoluta, sensu explicato, oppositio facta est jam inter primos illius haeretici sectatores, nominatim in Hollandia. Post anuum 1588 publica exorta est impugnatio, duce Arminio (1560-1609): ille rejecit Calvini de praedestinatione absoluta sententiam, eo praesertim innixus argumento quod in illa continetur Deum esse auctorem peccati, deinde admisit manere verum liberum arbitrium hominis, etiam sub influxu gratiae, quae est omnino necessaria sed non irresistibilis, quae etiam omnibus offertur, tandem universalem esse redemptionem Christi. Haec sunt praecipua puncta quae *Remonstrantes* propugnaverunt et scripserunt in sua *Remonstrantia*, continente quinque articulos. Haec oppositio ad Calvini sententiam de praedestinatione non est confundenda cum controversia inter *supralapsarios* et *infralapsarios*. Cf. VAN OPPENRAAY, *La doctrine de la prédestination dans l'église réformée des Pays-Bas*, Louvain, 1906, p. 176 ss., 222 s.; VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol., cath.*, art. *Arminius, Episcopius*.

Haec haeresis duplici sententia ulteriorem accepit explicationem : alii censent illud absolutum decretum praedestinationis in Deo ponendum esse in signo priori ad omnem praevisionem lapsus Adami, proindeque esse independentem ab illo lapsu : illi auctores vocantur *supralapsarii*. Alii censent illud decretum Deo attribuendum esse in signo posteriori ad praevisionem lapsus Adami : nempe ex Adami peccato omnes homines sunt rei damnationis et constituunt massam damnatam : ex hac massa damnata Deus gratuita benevolentia aliquos eligit, quibus concedere vult beatitudinem, illisque irresistibilem (1) gratiam confert : hos solos vult Deus salvare, pro his solis redimendis mortuus est Christus; reliqui homines non accipiunt gratias sufficientes ad salutem. Qui hoc docent vocatur *infralapsarii*.

Jansenii. Jansenius, negando dari gratias mere et vere sufficientes, tenet etiam multos homines relinqui in massa damnata post peccatum Adami, illosque non posse salvari, adeoque addici morti aeternae : hujus condemnationis decretum in Deo est positiva reprobatio. Quapropter admittendum est Deum non velle omnes homines salvos fieri, et Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus. V. suprà, n. 529, damnatam propositionem Jansenii.

555. C) *ex ratione.*

C. Ex ratione.

Deus aliquos perducit per operationem gratiae in finem supernaturalis beatitudinis; sed omnium, quae facit Deus in tempore, existit ratio aeterna apud ipsum, ergo existit in Deo aeterna ratio perductionis sanctorum in gloriam (2).

556. Praedestinatio est infallibilis et immutabilis.

Corollarium. *Praedestinatio est infallibilis et immutabilis.*

Haec assertio est de fide : continetur enim formaliter in textibus S. Scripturae et in doctrina Traditionis, quibus existentia praedestinationis docetur. Continetur formaliter etiam in dogmate de infallibilitate ac immutabilitate scientiae divinae. V. suprà, n. 340, 347.

« Vi hujus propositionis tenendum est apud Deum infallibiliter et immutabiliter statutum esse : *a*) quot homines et quinam homines ad salutem aeternam pervenient, *b*) quibusnam gratiis singuli ad hunc finem perducentur, *c*) quamnam mensuram gloriae obtinebunt. Quae tria, quum ad ipsam notionem praedestinationis pertineant, *de fide* sunt » (3).

557. Objectiones.

1°. Nec obstant verba 1 *Petr.*, I, 10 : « Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis ».

Sensus enim est : satagite ut *vobis* firmiorem persuasionem acquiratis de vestra vocatione (4).

2° Nec obstat quaedam Ecclesiae oratio, in qua deprecamur ut omnium fidelium *nomina beatae praedestinationis liber adscripta retineat*. Non enim hic supponitur posse aliquem prius praedestinari et deinde excludi a numero praedestinatorum, ac si mutabilis foret divina praedestinatio. Sane consideremus integram orationem : « Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus : tribue quaesumus : ut intercedentibus omnibus sanctis tuis, universorum, quos in oratione commendatos suscepimus, et omnium fidelium nomina, beatae praedestinationis liber adscripta retineat » (5).

---

(1) Haeretici illi negant liberum arbitrium sub influxu gratiae.
(2) Ita card. Billot, *De Deo*, thes. XXXI, p. 293.
(3) Van Noort, *De gratia*, n. 102.
(4) Cf. Camerlynck, *Commentarius in epistolas catholicas*, p. 150. — De cognitione quam aliquis habere potest de sua justificatione ac perseverantia, cf. Vander Meersch, *De gratia divina*, n. 190, 348.
(5) *Mis. Rom.*, secreta pro vivis et defunctis, feria IV Cinerum.

In hac precandi formula: *a*) asseritur Deo certa et ipsi soli propria cognitio numeri praedestinatorum : haec cognitio certa habetur antequam accipiant electi aeternam felicitatem : inde exprimitur fides circa praedestinationem et in hoc habetur *confirmatio* theseos suprà demonstratae. *b*] Deo fit oratio pro vivis et defunctis, nominatim pro his qui specialiter commendantur in praesenti oblatione sacrificii et quorum nomina olim inscribebantur in diptychis (1), etiam pro fidelibus, hîc et nunc adstantibus, vel universim pro omnibus credentibus; *c*) a Deo postulatur illis beatitudo aeterna : licet fide admittamus omnes salvandos determinari ab aeterno et cognosci a Deo, nihilominus recte *deprecamur* salutem illis : cf. suprà, n. 523. Hujus porro petitionis objectum exprimitur hîc *metaphorice : ut praedestinationis liber nomina illorum retineat adscripta.* Nempe fingitur Deus ac si, praedestinatione facta, scripserit salvandorum nomina in libro : hic porro liber est *notita significativa* ipsius praedestinationis, et est quasi ejusdem effectus (2), qui proinde materialiter idem est ac aeterna salus, quatenus est effectus praedestinationis: hic porro effectus petitur formula metaphorica, scilicet ut *liber praedestinationis retineat eorum nomina.* Dicitur *retineat* (seu *teneat, contineat*) ad designandum positive id quod est : qui salvandi sunt, eorum nomina retinet liber praedestinationis; non igitur supponitur quod nomina illorum possint vel retineri vel non retineri in illo libro (3).

OBJECTIO VULGARIS CONTRA PRAEDESTINATIONEM. *558. Objectio.*

Vel sum praedestinatus, vel non sum. Si sum praedestinatus, nihil oberit mala vita; si non sum, nihil proderit bona vita : ergo inutilis est conatus acquirendae perfectionis moralis.

Resp. *Conc. antecedens.*

Consequentiam utriusque propositionis conditionalis *nego,* pariter *nego consequens.*

1. Non habetur consequentia in hoc : si sum praedestinatus, non oberit, h. e. non impediet salutem, mala vita. Etenim si praedestinatus sum ad gloriam aeternam, etiam praedestinatus sum ad hanc gloriam *merendam* (loquor de adulto), nominatim ad hoc ut moriar in statu justitiae supernaturalis : adeoque praedestinatio respicit pariter bonam meam vitam, omnesque actiones salutares, quibus perducor ad finem qui est gloria in determinato gradu obtinenda : impossibile est ut praedestiner ad gloriam, quin praedestiner ad bonam vitam.

Jamvero divina praedestinatio est *infallibilis* quoad totum objectum ejus : infallibiliter praeordinat Deus omnes actiones quibus perducar ad gloriam. Licet autem infallibilis sit praedestinatio, *non necessitatem physicam* imponit actionibus suà naturà liberis creaturarum (cf. suprà, n. 384, 522), sed facit ut libere homines agant salutariter : totus igitur conatus hominis ad perfectionem moralem acquirendam exigitur a parte sua, eodem modo ac

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 515.

(2) « *Liber vitae* in Deo dicitur metaphorice, secundum similitudinem a rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines quod illi qui ad aliquod eliguntur, conscribuntur in libro... Patet autem ex praemissis quod omnes praedestinati eliguntur a Deo ad habendam vitam aeternam. Ipsa ergo praedestinatorum conscriptio dicitur liber vitae... Unde ipsa *notitia* Dei, qua firmiter retinet se aliquos praedestinasse ad vitam aeternam dicitur liber vitae. Nam sicut scriptura libri est *signum* eorum quae scienda sunt; ita Dei notitia est quoddam signum apud ipsum eorum qui perducendi sunt ad vitam aeternam». S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXIV, a. 1.

(3) Attamen S. THOMAS, *ibid.*, a. 3 explicat quo sensu dici possit aliquem deleri de libro vitae, etiam aliquem de novo inscribi illi.

si non esset praecognitio Dei et volitio absoluta : praecognoscit Deus hominem *eo modo* esse libere acturum et sic perventurum ad gloriam.

Si non sum praedestinatus, peccata mea, quae libere fient, sunt a Deo praecognita et permissa : ideo privandus sum gloria quia in peccato mortali sum moriturus, adeoque reus aeternae poenae.

Ergo aeterna beatitudo hominis proxime dependet a libera ejus cooperatione cum gratia, et mala vita (saltem finaliter mala) compossibilis non est cum praedestinatione. Pariter aeterna poena hominis proxime dependet a libero abusu gratiae et bona vita (saltem finaliter bona) non composibilis est cum reprobatione. Praeterea, eo minor intensitate erit poena quo pauciora et minora fuerint peccata hominis; eo major intensitate erit beatitudo quo plura et majora fuerint opera salutaria. — Homo igitur ita debet conari perfectionem supernaturalem acquirere semper majorem ac si praedestinatus esset ad magnam gloriam (1).

559. Praedestinationem esse gratuitam demonstratur.

PROPOSITIO SECUNDA. **Praedestinatio,** cujus existentia demonstrata est, **quatenus importat electionem aliorum prae aliis ad salutem aeternam est a parte Dei omnino gratuita,** h. e. **independens ab omni merito vel qualibet exigentia aut positiva dispositione praedestinati.**

Haec assertio, si abstrahitur ab omni ulteriori ejus explicatione, videtur esse *de fide,* quippe quae continetur formaliter implicite in S. Scriptura. Caeteroquin hanc, saltem ut certam tenent omnes theologi, illi etiam qui (indebite quidam ut postea exponemus) distinguunt inter praedestinationem adaequatam seu completam, et praedestinationem inadaequatam seu incompletam : completam vocant praedestinationem quae et quatenus terminatur simul *et* ad *gratiam et* ad consequentem *gloriam;* incompletam vero praedestinationem, quae et quatenus respicit tantùm gratiam, vel tantum gloriam : inde duplex ponitur praedestinatio : una quae est *praecisive* ad *gratiam,* altera quae est *praecisive* ad *gloriam.* Jamvero illi theologi nihilominus tenent praedestinationem adaequate sumptam esse gratuitam : de hac praedestinatione loquimur hîc.

560. A) ex s. Script.,

Demonstratio.

A. EX S. SCRIPTURA.

1. A Christo vocantur *electi* illi qui de facto salvantur : « Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro [h. e. nemo mortalium vel superstes foret vel propter vehementiam et crudelitatem persecutionis nemo fidelium firmus maneret in religione ac pietate et salutem consequeretur]; sed propter *electos* breviabuntur dies illi... Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam *electi*... [subintelligitur : sed hoc fieri non potest: quantum ad magnitudinem signorum illorum potest fieri ut seducantur; sed ideo non seducuntur, quia perire non possunt quos Deus

(1) Cf. THOMAS A KEMPIS, *De imit. Christi,* L. I, c. 25, 2.

praeordinavit ad vitam. Dum ergo signorum magnitudinem praedicit Christus, in conservandis fidelibus Dei potentia demonstratur]... Et tunc parebit signum Filii hominis in coelo et tunc plangent omnes tribus terrae et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna et congregabit *electos* ejus a quatuor ventis... » *Matth.* XXIV, 22, 24, 30-31 (1).

Ratio porro hujus nominis nequit esse alia nisi haec : quia salvandos Deus reipsa *elegit,* nempe assumpsit illos prae aliis ad aeternam beatitudinem.

Nec huic interpretationi obstat quod *electi* vocantur in S. Scriptura fideles (*et justificati*) qui forsitan non perseverabunt et consequenter non praedestinantur : nam si electi dicuntur illi qui credunt (et justificantur), quae sunt dona supernaturalia per se et essentialiter ordinata ad consequendam aeternam beatitudinem, a fortiori, sub hoc respectu, eliguntur illi qui non solum credunt (et justificantur) sed ita a Deo juvantur ut de facto perseverent et consequantur aeternam beatitudinem.

2. S. Paulus, *Rom.* VIII, 28-30, docet a Dei volitione dependere determinationem eorum qui salvandi sunt et elargitionem mediorum quibus gloriam consequuntur. Cf. suprà, n. 549. Deinde *ibid.,* IX, 14-24, docet non esse injustum Deum quum unum prae altero ad fidem (et consequenter ad aeternam salutem), efficaciter vocat : inde generale statuitur principium : « Ergo cujus vult, miseretur, et quem vult indurat » : in quo asseritur a libera Dei electione dependere tum alicujus hominis fidem (et consequentem justificationem ac salutem), tum alius resistentiam et in malo obstinationem (et consequentem damnationem). Eadem dependentia salutis vel damnationis a libera Dei electione exprimitur in hac comparatione : « An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam »? Ergo potest Deus pro libitu creare homines in statu quem vult, necnon eis gratiam vocationis ad fidem (et subsequentes gratias) concedere vel negare. Quum autem ab aeterno praedefiniverit Deus quidquid facturus sit in tempore, ideo ab aeterno praedestinavit salvandos, et etiam determinavit (modo infrà explicando) damnandos.

Eadem sententia, quoad salvandos, exprimitur *Ephes.,* I, 3-12, ubi Apostolus asserit a Deo, ante constitutionem mundi, *eligi* et *praedestinari* illos qui justificantur et fiunt filii adoptivi Dei; illosque fieri haeredes regni Dei *secundum propositum Dei, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis ejus :* inde totum salutis negotium pro unoquoque homine ita dependet ab aeterna Dei praecognitione et electione seu libera volitione ut a parte hominis nullus sit titulus exigitivus fidei vel consequentis consecutionis beatitudinis aeternae.

---

(1) Cf. VAN STEENKISTE, *Comment. in Matthaeum,* t. II, p. 764; KNABENBAUER, *Comment. in Matthaeum,* t. II, p. 330 ss.

561. De sensu textus: Quis te discernit? 1 Cor. IV, 7.

Nota. Multi auctores, ad propositionem nostram demonstrandam, adhibent etiam hunc textum : « Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? « *1 Cor.*, IV, 7.

Sed 1° agitur hîc de necessitate et gratuitate gratiae, non de praedestinatione. Si ex hoc textu : « Quid habes quod non accepisti? » infertur gratuitas praedestinationis, haec est conclusio per veram illationem adducta, quae non formaliter implicite continetur in ipso textu.

2° Quoad verba : Quis te discernit? », sensus non videtur esse talis cui respondendum sit : *Deus solus;* et proinde nequit dici hîc asseri discretionem justorum ab aliis, seu electionem aliorum prae aliis ad salutem, fieri a solo Deo. Nam sensus est talis ut responsio subintellecta sit : *Nemo.* Nempe Apostolus intendit humilitatem docere et dicit : *Quis te discernit?* h. e. quis censet te esse praestantiorem aliis. Subintelligitur responsio : Nemo. Sed, pergit Apostolus : etiamsi quamdam praestantiam possideres, quasdam dotes quibus alii carent, hoc nequit esse tibi ratio ut te jactes vel quaeras gloriam : nam *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (1).

562. B) ex ratione theologica.

B. Ex ratione theologica.

Prima gratia est omnino gratuita : hoc de fide est ex damnata haeresi pelagiana et semipelagiana (2) : ergo, saltem ex hoc capite, tota series gratiarum, quibus aliquis homo de facto pervenit ad aeternam beatitudinem, est omnino gratuita : ergo, in Deo, ratio transmissionis hominum salvandorum in finem aeternae vitae importat specialem benevolentiam Dei erga salvandos et, quum non omnes salventur, veram electionem aliorum prae aliis.

563. Absque speciali Dei revelatione, praedestinatio non potest certo cognosci,

Scholion 1um. *Licet nemo, absque speciali Dei revelatione, certus esse possit de sua praedestinatione, quaedam tamen praedestinationis signa agnoscuntur, quibus homo possit conjectura, plus vel minus probabili, cognoscere praedestinationem suimetipsius vel aliorum.*

Etenim 1° Concilium Tridentinum definivit neminem in hac mortali vita, absque speciali Dei revelatione, certo posse cognoscere se esse praedestinatum (cf. suprà, n. 552) aut non amplius peccaturum aut in statu justificationis moriturum (3).

potest tamen conjecturaliter cognosci, tum per signum generale,

2° Attamen gratia sanctificans et dona ipsi connexa augentur per opera bona supernaturalia, deinde ex frequenti exercitio actuum supernaturalium acquiritur habitus illorum : inde homini accrescunt magis ac magis vires, quibus resistat tentationibus et peccata devitet; praeterea ex cooperatione auxiliis salutaribus homo potest mereri de congruo novas gratias actuales, easque in dies plures ac majores, imo et efficaces (4).

Inde constitui potest homo in tali vivendi conditione, ex qua conjicere licet se perseveraturum esse usque ad finem vitae : illa enim, quae enumeravimus, sunt effectus praedestinationis, sunt nempe media quibus Deus

---

(1) Cf. Van Steenkiste, *Comment. in S. Pauli epistolas*, t. I, p. 256; Prat, *Théologie de saint Paul*, t. I, p. 135.
(2) Cf. Van der Meersch, *De divina gratia*, n. 43 ss.
(3) Cf. *Enchir.*, n. 805, 825, 826, 823.
(4) De illis assertis videsis nostrum tractatum *De divina gratia*, n. 208 ss., 384, 387, 389.

homines perducit in finem aeternae vitae; illa proinde sunt quoddam *signum generale* praedestinationis.

Ultra hoc, assignantur quaedam *specialia signa :* *tum per signa specialia.*

« *a.* Constans purae conscientiae studium : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum » (1).

b. Spiritus orationis et meditationis. S. Augustinus : « Hoc Dei donum (perseverantia) suppliciter emereri potest » (2). « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in aeternum non peccabis » (3).

c. Vera humilitas, quae est gratiarum receptrix et virtutum custodia : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam » (4).

d. Patientia christiana in rebus adversis : « Coheredes autem Christi, si tamen compatimur ut et conglorificemur » (5).

e. Charitas actuosa erga proximum seu frequens exercitium operum misericordiae tum corporalis tum spiritualis : « Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat et non patietur animam ire in tenebras » (6).

f. Sincera devotio in Christum redemptorem (ss. Eucharistiam, passionem Domini, ss. Cor) (7), in b. Virginem (quae est « mater divinae gratiae » et « refugium peccatorum »), in Ecclesiam (christianae veritatis ac gratiae dispensatricem) (8) ».

Scholion 2um. *De numero praedestinatorum.* *564. Numerus praedestinatorum nobis est ignotus.*

Quemadmodum propria cujuscumque praedestinatio, ita et numerus omnium praedestinatorum nobis incognitus est.

De numero *absoluto* hominum salvandorum, id unum constat quod non exiguus erit sed magnus : « Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum Dei et in conspectu Agni, amicti stolis albis et palmae in manibus eorum » (9).

De numero *relativo* diversae factae sunt conjecturae, sed non firmis argumentis nituntur, ut videtur (10).

Quidam auctores docent quod, si loquamur de omnibus omnino hominibus qui sunt in mundo, tam infidelibus quam christianis, tam haereticis quam catholicis, multo major est numerus reproborum, quam praedestinatorum (11). Alii vero censent numerum salvandorum multum excedere damnandorum numerum.

---

(1) *I Jo* III, 21; cfr. *Rom.*, VIII, 16.
(2) *De dono persev.*, VI, 8.
(3) *Eccli.*, VII, 40.
(4) *Jac.*, IV, 6.
(5) *Rom.*, VIII, 17; cfr. *II Tim.*, II, 12.
(6) *Tob.*, IV, 11.
(7) De promissione facta a Christo Domino circa perseverantiam finalem illorum qui specialiter colunt ejus SS. Cor, videsis *De divina gratia*, n. 388.
(8) VAN NOORT, *De gratia*, n. 107.
(9) *Apoc.*, VII, 9.
(10) Variae theologorum opiniones bene indicantur in opusculo P. DU PETIT BORNAND, *Sur la question du nombre des élus*, Paris, 1909.
(11) Ita GONET, *Clypeus*, t. II, disp. IV, n. 36 s., p. 71.

Si loquamur de adultis *catholicis,* qui intra Ecclesiam catholicam moriuntur, Suarez (1) aliique censent verisimilius esse plures illorum salvari.

565 Nota circa argumenta non rarò adhibita.

Quoad argumenta, notemus duo.

1. Numerum adultorum salvandorum esse *minorem* numero reproborum, non videtur posse concludi ex his verbis Christi: " Multi sunt vocati, pauci vero electi ". *Matth*, XX, 16, XXII, 14.

2. Numerum adultorum salvandorum esse *majorem* numero reproborum non videtur posse concludi ex hoc quod, nisi longe plures salventur quam damnentur, Christus a diabolo vinceretur. Quaestio enim non est de potentia Christi vel Dei collata cum potentia diaboli, sed de libera divinae voluntatis dispositione, qua sua dona elargitur sicuti vult, et permittit peccata (2). Praeterea magnitudo divinae gloriae obtinendae ab intellectualibus creaturis non est praecipue aestimanda ex numero salvandorum, sed potius ex gradu sanctitatis illorum : major est gloria Dei ex eximia sanctitate paucorum, quam ex mediocri perfectione multorum.

§ II.

Ulterior dogmatis explicatio et controversia inter theologos.

566. Status controversiae.

1. STATUS CONTROVERSIAE. Difficultas a qua exorta est controversia consistit in componendo decreto absoluto voluntatis divinae circa salvandos et circa damnandos tum cum libertate humana (3), tum praesertim cum sanctitate Dei et cum ejusdem universali voluntate salvifica erga omnes homines.

Multi auctores controversiam reducunt ad duas principales sententias, quarum una dicit praedestinationem esse in Deo *ante,* altera vero *post* praevisionem meritorum.

Sed talis divisio nec clara nec adaequata est. Etenim 1°) in illo loquendi modo, non exprimitur utrum intendatur divina scientia de meritis mere possibilibus aut futuribilibus, quae cognitio pertinet ad scientiam *simplicis intelligentiae* quatenus comprehendit scientiam *mediam,* an divina scientia de meritis *absolute futuris,* quae cognitio pertinet ad scientiam *visionis:* 2°) praecipua quaestio non est utrum praedestinatio sit concipienda in Deo in signo *priori* an *posteriori* ad praecognitionem meritorum, sed praecipua quaestio est utrum merita sint an non sint Deo *ratio et motivum* praedestinationis (4); 3°) theologi qui censentur adhaerere vel uni, vel alteri sententiae, adhuc dissentiunt inter se quoad ulteriorem explicationem ipsorum opinionis et quidem in rebus magni momenti v. gr. in solutione danda quaestioni utrum *una* sit praedestinatio, terminata *simul* et ad gratiam et ad gloriam praefiniendam, an distinguenda sit praedestinatio seorsim ad gratiam solam et praedestinatio seorsim ad gloriam solam (5); dissensus

---

(1) *De praedestinatione*, L. VI, c. 3, n. 6, *Opera omnia,* t. I, p. 525.

(2) Ita VAN NOORT, *o. c.*, n. 108.

(3) Loquemur hîc tantum de *hominibus* et quidem *adultis;* abstinemus ab explicita explicatione circa infantes et circa angelos.

(4) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.*, in *Collat. Brug.*, t. VII, p. 567 ss.; *Méditations théologiques,* t. I, p. 660 ss.

(5) Haec distinctio, saltem quatenus intelligitur eo sensu quo ponitur ut fundamentum opinionis Vasquezii, non ante saeculum XVI exiens videtur admissa.

etiam est circa reprobationem, nominatim circa differentiam admittendam inter praedestinationem et reprobationem.

Quapropter ab illa bipartita divisione et classificatione theologorum abstinemus (1), et praecipuas sententias, vere diversas, seorsim exponemus. Deinde sinceram, ni fallimur, doctrinam S. Thomae amplectentes, enucleabimus per distincta asserta ea qua tenenda censemus.

Theologorum praecipuae sententiae (2).

567. *Sententia: S. Augustini,*

A. *S. Augustinus* imprimis hîc est citandus. Licet enim ipsam revelatam veritatem de gratiae necessitate et de praedestinatione defenderit contra haereticos, tamen integra ejus explicatio de praedestinatione non potest dici ad fidem catholicam pertinere.

S. Augustinus, loquendo de praedestinatione, supponit ordinem praesentem Providentiae et nominatim lapsum generis humani, quod factum est *massa damnata :* ex hoc misero statu nequit genus humanum, nec ullus homo individuus, eripi, nisi libera Dei electione, quae est sequela misericordiae divinae. Inde definitur praedestinatio : « Haec est praedestinatio sanctorum, nihil aliud : praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur? Ubi Tyrii relicti sunt et Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent non erat iis datum, etiam unde crederent est negatum » (3). — Nullus homo habet ex se, vel ex operibus naturalibus et supernaturalibus (4) ullum titulum vel meritum ut eripiatur ex massa damnata : talis liberatio tribuenda est divinae *electioni,* quae ab aeterno secernit quos salvare vult, eisque tribuit media efficacia quibus libere cooperantur et perseverant.

« Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium, quod et procuratur eis audiendum evangelium, et cum audiunt credunt, et in fide quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; et si quando exorbitant, correpti emendantur, et quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt; et nonnulli accepta gratia in qualibet aetate periculis hujus vitae mortis celeritate subtrahuntur. Haec enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiae operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiae; si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi; propter quod dictum est, *multi enim vocati, pauci electi:* sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiae non praecedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum ». *De correptione et gratia,* c. VIII, n. 13.

(1) Ex illa bipartita classificatione theologorum sequitur aliud inconveniens, praebens ansam confusioni, nempe quod sententia radicaliter distincta ab utroque extremo, reducitur ab alio auctore ad opinionem Suarezii, ab alio autem ad opinionem Vasquezii.

(2) Quoad varias opiniones quae decursu temporis fuerunt propugnatae circa praedestinationem, legatur dissertatio valde erudita conscripta a cl. D'ALÈS *in Dict. apol. de la foi cath.*, art. *Prédestination,* col. 227 ss.

(3) *De dono perseverantiae,* c. 14, n. 35, P. L. t. XLV, col. 1014.

(4) Cf. PETAVIUS, *Theologica dogmata,* t. I, *De Deo,* L. IX, c. 6 ss., in quibus demonstrat « ex Augustini sententia electionem ad gloriam fieri ex nullis praevisis a Deo meritis, sed ex gratuita voluntate », licet deinde, L. X, c. 2, ipse Petavius doceat electionem ad gloriam esse ex praevisis meritis.

S. Augustinus censet praedestinationem, formaliter quatenus importat *electionem* hominis, esse *unam,* terminatam scilicet *simul et* ad gratiam *et* ad gloriam, nempe ad totam seriem donorum supernaturalium, quibus homo a prima gratia pervenit usque ad consecutionem aeternae gloriae, hanc porro electionem esse *independentem ab omni merito hominis,* et ab illa praeordinari concedendas gratias efficaces *ut efficaces* (1).

Non videtur aliquid certi statui posse de mente S. Augustini circa *praescientiam* divinam, quatenus haec pertinet ad praedestinationem. Patet autem a sententia S. Augustini excludi opinionem illorum qui tenent praedestinationem ad gloriam esse *propter* praevisa merita : nullam enim praedestinationem praecisive ad gloriam agnoscit Augustinus, omnemque ac totam praedestinationem esse extra omne hominis meritum constanter docet.

568. S. Thomae,

B. *S. Thomas* docet sequentia :

1° Praedestinatio est « ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae » (2). Est nempe ordo in intellectu divino conceptus, secundum quem determinatae creaturae rationales ita gubernantur a Deo ut obtineant aeternam beatitudinem. Consequenter praedestinatio est *formaliter* in *intellectu* divino, licet voluntatis actum praesupponat, ut statim dicetur (3).

2° Praedestinatio est *una,* respiciens *simul* et omnia dona *gratiae,* quibus singuli perducuntur ad finem, et ipsam collationem *gloriae.* « Ad praedestinationem duo sequuntur : scilicet consecutio finis qui est glorificatio et collatio auxilii ad consequendum finem, quod est appositio gratiae; quod ad vocationem pertinet; unde et praedestinationi [uni] *duo effectus* assignantur, scilicet gratia et gloria » (4). Inde eatenus gratiae collatio est effectus praedestinationis quatenus est perducens creaturam ad ipsum finem consequendum, et eatenus gloriae collatio est effectus praedestinationis, quatenus est finis ad cujus consecutionem per gratiam praeparatur et perducitur creatura. Non igitur potest duplex paedestinatio distingui : una ad gratiam praecisive sumptam, altera ad gloriam praecisive sumptam : multi sunt effectus *unius* praedestinationis et ad hanc eatenus pertinent quatenus ad invicem ordinati et concatenati considerantur (5).

Non pauci auctores qui recipiunt distinctionem praedestinationis in praedestinationem ad gratiam praecisive et ad consequentem gloriam praecisive, contendunt hanc suam opinionem non opponi doctriae S. Thomae et arguunt ex ipsius verbis sequentibus : « Circa ordinem autem praescientiae et praedestinationis dicunt

(1) De mente S. Augustini circa praedestinationem, cf. BARDENHEWER, *Patrologie,* p. 437; JACQUIN, in *Revue d'histoire ecclésiastique,* t. V, p. 724 ss.; DE BAETS, *De operationibus divinis,* p. 158 ss.; VAN CROMBRUGGHE, *Collat. Gand.,* t. IV, p. 206 ss.; D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi cath.,* art. *Prédestination,* col. 205 ss.

(2) *Sum. theol.,* I, Q. XXIII, a. 1.

(3) « Sicut de providentia... dictum est, quod consistit in actu rationis, sicut et prudentia cujus est pars, eo quod solius rationis est dirigere vel ordinare; ita etiam et praedestinatio in actu rationis consistit dirigentis vel ordinantis in finem. Sed ad directionem in finem praeexigitur voluntas finis : nullus enim aliquid in finem ordinat quod non vult ». *De veritate,* Q. VI, a. 1.

(4) *De veritate,* l. c.

(5) Quum multa sint dona supernaturalia, quibus aliquis perducitur ad aeternam beatitudinem, multi possunt distingui *effectus* praedestinationis: tot nempe sunt quot sunt gratiae positive ordinantes et transmittentes praedestinatum ad suum finem.

quidam quod praescientia meritorum est ratio praedestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur quod Deus praedestinet aliquos quia praescit eos bene operaturos et in Christum credituros... Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, quae datur meritis ». *Comment. in ep. ad Rom.*, c. VIII, lect. 6.

Inde praedicti auctores concludunt : ergo rationabiliter considerari potest praedestinatio ad gloriam tantum, et haec dicenda est propter praevisa merita.

Haec autem conclusio opponitur menti S. Thomae : quippe qui non concedit *posse considerari* praedestinationem ad gloriam seorsim a praedestinatione ad gratiam, sed e contrario intendit : si praedestinatio *respiceret* tantum vitam aeternam h. e. si praedestinatio *esset* tantum ad vitam aeternam... sed ita *non est, non respicit* praedestinatio tantum vitam aeternam, adeoque non potest admitti praescientiam meritorum esse rationem praedestinationis. Quod nitide elucet ex eodem textu S. Thomae, dummodo integer legatur. Statim enim post verba suprà citata, sic pergit : « Sed sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno divinitus praeparatum; unde eadem ratione omnia beneficia, quae nobis confert ex tempore, praeparavit nobis ab aeterno. Unde ponere quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur, cujus praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud quam gratiam ponere dari ex meritis nostris, et quod principium bonorum operum est ex nobis et consummatio est ex Deo ».

3° Circa praedestinationem sunt in Deo considerandi *tres operationes ratione distinctae,* scilicet *dilectio, electio* et ipsa *formalis praedestinatio.*

Dilectio est volitio absoluta, qua Deus vult determinatis personis *finem* aeternae vitae consequendum, nempe determinatam mensuram aeternae felicitatis. — *Electio* est eadem volitio quatenus per hanc Deus alias personas *praefert* aliis, seu alias *assumit* salvandas *prae aliis* (quas potuisset assumere). — *Praedestinatio* formalis est ipsa *ratio ordinis,* in intellectu divino existens, secundum quam determinantur et concatenantur omnia beneficia conferenda, quibus electi de facto transmittuntur seu perducuntur ad gloriam aeternam.

Illae tres operationes divinae ita inter se colligantur ut dilectio sit ratione *prior* electioni, electio autem *prior* praedestinationi. Etenim *praedestinatio,* quum sit ratio ordinis omnium beneficiorum seu mediorum secundum quae determinatae personae perducuntur ad gloriam, praesupponit *volitionem* qua Deus vult finem h. e. gloriam talibus personis. Haec porro volitio est imprimis *dilectio,* qua Deus illis vult bonum, scilicet gloriam : deinde est *electio,* qua Deus illas assumit prae aliis. Ergo dilectio praesupponitur electioni, et electio praedestinationi (1).

« Praedestinatio secundum rationem praesupponit electionem et electio dilectionem. Cujus ratio est, quia praedestinatio est pars providentiae. Providentia autem, sicut et prudentia, est ratio in intellectu existens praeceptiva ordinationis aliquorum in finem... Non autem praecipitur ordinandum in finem, nisi praexistente voluntate finis. Unde praedestinatio aliquorum in salutem aeternam praesupponit secundum

(1) Ut possit Deus eligere salvandos, nempe assumere salvandos aliquos prae aliis non salvandis, oportet ut tamquam *dispares* ab aliis cognoscantur a Deo; haec autem disparitas est illorum bonitas, diversa a bonitate aliorum; illa autem bonitas est *effectus amoris* seu volitionis divinae: ergo dilectio divina praesupponitur ad formalem electionem salvandorum. — De differentia quae viget inter Deum et hominem circa ordinem dilectionis et electionis, cf. CAJETANUS. *In Sum. theol.*, I, Q. XXIII, a. 4, n. III, p. 376.

rationem quod Deus illorum velit salutem; ad quod pertinet electio et dilectio. Dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis aeternae. Nam diligere est velle alicui bonum... Electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus prae aliis vult, cum quosdam reprobat... Electio tamen et dilectio aliter ordinantur in nobis et in Deo; eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono praeexistente incitamur ad diligendum : et ideo eligimus aliquem quem diligamus; et sic electio dilectionem praecedit in nobis. In Deo autem est e converso. Nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud bonum ab eo prae aliis habeatur. Et sic patet quod dilectio praesupponitur electioni secundum rationem et electio praedestinationi » (1).

Nota. S. Thomas docet praedestinationem in Deo reduci ad scientiam simpliciter *practicam* (2), et proinde esse scientiam *visionis,* qua scilicet Deus cognoscit omnia quae sunt, quae fuerunt vel quae erunt, tamquam *praesentia* (3).

Non explicite loquitur de divina scientia, quae est ratione prior omni decreto voluntatis divinae *absoluto :* illam tamen scientiam censere debet ratione priorem esse praedestinationi, quum praedestinationi praesupponat dilectionem et electionem salvandorum; cui dilectioni et electioni praelucere debet perfecta et distincta cognitio eorum qui diliguntur ac eliguntur, quà tales, imprimis autem tamquam possibiles, ante decretum Dei absolutum diligendi atque eligendi illos.

Sed, uti patebit ex statim dicendis, cum S. Thomae doctrina non potest componi sententia illorum qui tenent scientiam meritorum *absolute futurorum* esse ratione priorem praedestinationis ad gloriam et motivum ejusdem.

4° Praescientia meritorum nec causa, nec ratio est praedestinationis : etenim merita, h. e. actus positive salutares, seu actus liberi et supernaturaliter boni sunt *effectus* praedestinationis : nam illi actus sunt aliquid unum, una scilicet actio, quae procedit et a gratia (efficaci) divina et a consentiente libera electione : illa autem gratia est effectus praedestinationis et proinde totus actus liber; ergo quum illi actus sint *effectus* praedestinationis, nequent esse ratio vel motivum ejusdem (4).

S. Thomas hîc loquitur de scientia absoluta seu de scientia *visionis.* Sed mens ejus est docere merita humana nullo modo esse Deo *motivum eligendi* et praedestinandi *alios prae aliis,* seu *volendi* ut tales determinati salventur prae aliis : nam tenet *nihil* esse a parte creaturae rationem praedestinationis : hoc enim admittere esset ponere quod principium operis salutaris est in homine ex seipso et non per gratiam, quod est haeresis Pelagiana. Ita *Comm. in ep. ad Ephes.,* e. I, lect. 1. — Tenet autem s. Doctor inter effectus praedestinationis esse coordinationem et dependentiam mutuam : ita actus liberi, boni et supernaturales sunt causa meritoria gloriae; unus supernaturalis actus potest esse dispositio exigitiva alicujus gratiae, etc. Quapropter licet Deus *non velit dare* alicui gloriam, *quia* praecognovit illum esse bene usurum gratia, tamen vult *dari* gloriam consequenter et propter bonum usum gratiae.

569. Molinae,

C. *Molina* 1°) eamdem, quoad substantiam, notionem de praedestinatione tradit ac S. Thomas : praedestinatio enim est *ratio ordinis ac mediorum,* quibus creatura rationalis perducitur in finem, nempe in aeternam vitam; inde praedestinatio est formaliter *in intellectu divino,* licet actum voluntatis

(1) *Sum. theol.,* I, Q. XXIII, a. 4. Idem docet S. Thomas, *In I Sent.,* dist. XLI, a. 1; *De veritate,* Q. VI, a. 1; *Comment. in ep. ad Rom.,* c. IX, lect. 2.

(2) Cf. *De veritate,* Q. VI, a. 1, ad 7: *Sum. theol.,* I, Q. XIV, a. 16.

(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* l. c., a. 8 et 9.

(4) Hoc explicite docet S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXIII, a. 5; etiam *Comment. in ep. ad Rom.* c. IX, lect. 2., *Comment. in ep. ad Ephes.,* c. I, lect. 1. — Quoad alios antiquos scholasticos videsis DE BAETS, *o. c.,* p. 196.

conjunctum habeat; est etiam *una,* quatenus respicit ad omnia media, quibus a prima gratia ducitur creatura usque ad consecutionem aeternae felicitatis (1).

2°) Haec porro praedestinatio *nullam habet causam a parte praedestinati,* sed tota ea in Dei voluntatem misericorditer praedestinantis tamquam in causam reducenda est; consequenter praedestinatio *non est secundum praescientiam liberi arbitrii,* quasi pro qualitate usus praevisi Deus statuerit praedestinare alios prae aliis et distribuere sua dona adultis (2).

3°) Quoad *praescientiam,* quae in Deo praesupponenda est ad praedestinationem et ad omnem actum liberum suae voluntatis, docet Molina praelucere in Deo cognitionem omnium rerum possibilium, omniumque inter eas ordinum possibilium, proindeque omnium actuum liberorum quos in omnibus possibilibus ordinibus ponerent omnes possibiles homines; hac cognitione supposita, Deus libere eligit *unum* rerum *ordinem* executioni mandandum, proindeque eligit salvandos illos homines, qui, in hoc ordine, praecognoscuntur et bene usuri talibus gratiis, quae in talibus adjunctis concedendae sunt illis, et perseveraturi et ultimo merituri aeternam felicitatem. Nulla ex parte creaturae habetur ratio cur Deus hunc *ordinem* elegerit prae alio possibili : homines qui praecognoscuntur in tali determinato ordine, merituri aeternam gloriam aeque praecognoscuntur in alio ordine aeque possibili peccaturi et in peccato mortali morituri. Quapropter electio salvandorum et praedestinatio est omnino gratuita, quippe quae, secundum exposita, non determinatur per praecognitionem *meritorum,* sed praescientia boni usus liberi arbitrii individuorum hominum, eorumque cooperationis cum gratiis divinis, ac perseverantiae finalis, nec causa est, nec ratio, nec conditio sine qua non, quare *hi* homines *potius quam alii* fuerint electi ac praedestinati (3).

Illa explicatio procedit ex sententia de modo quo Deus cognoscit actus liberos futuribiles : tenet scilicet Molina quod illa praescientia in Deo habetur independenter ab omni decreto voluntatis physice praedeterminante ad unam electionem creaturae : consequenter admittit *a*) activam voluntatis eligentis determinationem ad unum, seu quod ipsa sese voluntas determinat libere ad cooperandum gratiae vel non; *b*) *praescientiam* omnium electionum futuribilium, omniumque ordinem in quibus futuribiles electiones continentur, praesupponi, ut conditionem necessariam, ad quamlibet praedestinationem, proinde in hoc sensu dici posse *praedestinationem* adultorum esse *secundum praescientiam* divinam (4), nempe secundum praescientiam illius determinati rerum ordinis, in quo tales homines de facto consequuntur aeternam salutem. Quae sententia nullo modo exprimi potest dicendo praedestinationem ad gloriam esse post praevisa (scientià visionis) merita, vel propter merita, quocumque modo praecognita (5).

(1) Cf. *Concordia,* Q. XXIII, a. 1, disp. I et II, p. 426 ss., Q. XXIII, a. 4 et 5, disp. I, membrum XI, p. 505 ss., 513.
(2) *O. c.,* p. 465 s., p. 508 ss.
(3) *O. c.,* p. 465, 515.
(4) *O. c.,* p. 523 s.
(5) Bellarminus, qui Molinae sententiam non amplectitur, illam tamen non esse censurandam tenet, imo dicit : « Molina non recedit a sententia S. Augustini et S. Thomae in praecipuo articulo; nam docet totius effectus praedestinationis [h. e. gratiae et gloriae] nullam dari causam ex parte praedestinatorum, sed meram et gratuitam Dei voluntatem esse veram causam praedestinationis». *De novis controversiis,* 4, ap. LE BACHELET, *Auctarium Bellarminianum,* p. 110.

570. Bannezianorum,

D. *Bannez,* ejusque schola, 1°) docent *praedestinationem* esse rationem ordinis, in divina mente existentem, qua definiuntur seu statuuntur *media* quibus perducuntur quidam ad aeternam felicitatem; illam praedestinationem esse formaliter in intellectu divino et consequi ad *electionem* salvandorum; illamque esse unam, respicientem *et* gratiam *et* consequentem, quà consequentem, gloriam (1).

2°) Haec porro praedestinatio nullam habet causam a parte praedestinati, nec aliquid est a parte creaturae, quod Deo sit motivum aut ratio eligendi et praedestinandi alios prae aliis (2).

3°) Sed opinionem omnino diversam a Molinae sententia, quam modo indicavimus, defendunt Banneziani, quatenus tenent Deum, independenter ab omni praecognitione bonorum operum et meritorum (etiam ut futuribilium) *a*) intendisse et voluisse absolute et immediate gloriam aeternam, ut finem, dandam quibusdam determinatis hominibus, prae aliis, quibus gloriam non vult; *b*) consequenter (h. e. in signo rationis posteriori) definivisse media, h. e. gratias efficaces, quà tales, quibus certo et infallibiliter transmittuntur electi in gloriam merendam et obtinendam (3).

Secundum hanc opinionem, praedestinatio (quae est formaliter praedefinitio meritorum) est antecedens ad omnem praescientiam meritorum. Praeterea in eodem signo rationis, quo *electio* salvandorum, ponitur etiam *reprobatio* antecedens negativa (4) : de qua infrà erit sermo.

Bannezianorum sententia videtur rejicienda : *a*) quia et quatenus connectitur cum illorum explicatione de physica praedeterminatione voluntatis ad unum (cf. suprà, n. 414); *b*) praecipue quia reprobatio antecedens negativa, necessario connexa cum illorum opinione de praedestinatione, non videtur posse componi cum universali voluntate salvifica Dei, quam suprà, n. 529 ss. demonstravimus.

Banneziani non negant esse in Deo cognitionem de contingentibus futuribilibus, sed non admittunt illam in Deo praelucere ipsi electioni salvandorum.

Praeterea, secundum illos auctores, omnis cognitio, quam Deus habet, de actibus liberis hominum, sive absolute futuris, sive futuribilibus, est dependens, tamquam a medio objectivo cognitionis, a decreto voluntatis divinae praedeterminantis physice electionem creaturae, adeoque nulla datur in Deo cognitio meritorum, ut possibilium, nisi consequenter ad Dei decretum, objective conditionatum, efficax meritorum : hoc sensu est, secundum illos, intelligendum hoc assertum : praedestinatio est ante praescientiam meritorum; imo omnis *electio* divina circa actum liberum salutarem cujuslibet creaturae est ratione *prior* omni cognitioni divinae de cooperatione vel non cooperatione creaturae cum auxilio gratiae. V. gr., secundum illos auctores, Dei operatio circa materiam, de qua agimus, nobis ita est concipienda : Deus, scientia simplicis intelligentiae cognoscendo omnia adjuncta possi-

---

Plures aliae quaestiones, v. gr. de ratione certitudinis praedestinationis, de variis actibus qui ratione distinguendi sunt in Deo circa praedestinationem, etc., moventur et aliter ab aliis theologis solvuntur : hîc praecipua tantum indicamus.

(1) Cf. ALVAREZ, *De auxiliis,* L. V, disp. XXXVI s.; GONET, *Clypeus theologiae thomisticae,* t. II, disp. I s.; BILLUART, *De Deo,* dissert. IX, a. 2.

(2) ALVAREZ, *o. c.,* disp. XXXVII, n. VIII ss.; GONET, *o. c.,* disp. II, a. 1; BILLUART, l. c., a. 4.

(3) ALVAREZ, l. c.; GONET, l. c., a. 1, n. 35 s., 52, 64.

(4) ALVAREZ, l. c., n. VIII; GONET, *o. c.,* disp. V, a. 2.

bilia in quibus poni potest aliquis homo, sibi dicit : si hoc homo poneretur in illis adjunctis, physice praedeterminarem ejus voluntatem ad hoc volendum prae opposito: inde si homo ille poneretur in illis adjunctis vellet hoc: haec cognitio divina est posterior decreto voluntatis divinae, uti per se patet.

Tandem quando docent praedestinationem esse omnino gratuitam, id etiam intelligunt sensu diverso ab illo quem indicavimus in sententia Molinae. Banneziani enim censent quod, si non admittitur praedeterminatio physica voluntatis ad unum, tunc efficacia gratiae actualis est tantum *ab extrinseco,* nempe ultimatim a libertate hominis, adeoque, dicunt, ipsa media necessaria ad salutem (h. e. actiones salutares factae sub influxu gratiae efficacis) dependent ultimatim ab homine, et proinde ipsa electio salvandorum uti et ipsa praedestinatio *salvandorum* non sunt mere gratuitae a parte Dei, sed ultimatim dependent ab homine.

Inde concludunt eatenus esse mere gratuitam a parte Dei praedestinationem, quatenus illa explicatur per gratiam physice praedeterminantem voluntatem ad unum.

Hanc conclusionem refutavimus suprà, n. 418-419.

571. Suarezii,

Suarez a Bannezianis dissentit in hoc quod tenet praedestinationem esse proprie in *voluntate* divina, quia tamquam praedestinationem considerat ipsam *electionem* salvandorum (1), deinde in hoc quod rejicit illorum sententiam de medio objectivo in quo Deus cognoscit contingentia futura et futuribilia (cf. suprà, n. 424) et de efficacitate gratiae actualis; consequenter in hoc quod tenet scientiam contingentium futuribilium in Deo esse ratione *priorem* praedestinationi seu electioni (2).

Consentit vero illis in hoc quod tenet primum actum voluntatis divinae circa salvandos fuisse *dilectionem* (quae simul est *electio* qua determinatis salvandis, seorsim sumptis, absolute vult immediate *gloriam* in definito gradu; illa porro, dilectio et electio est ratione *prior* electioni *mediorum;* haec autem mediorum electio consequitur et consistit in hoc quod Deus praedefiniat concedendas gratias *congruas,* qua tales, quibus infallibiliter merentur et obtinent gloriam aeternam electi (3). In eodem signo rationis quo Deus salvandos eligit, non eligit alios, nempe « ita ut positivum actum voluntatis habuerit non eligendi illos seu volendi non eligere » (4). Consequenter Deus non praeparavit his hominibus specialem providentiam gratiae, quam praedestinatis confert, ac proinde *ante* praescientiam absolutam futurorum peccatorum actualium, non elegit illos ad gratiam congruam et hanc ipsam negationem actu positivo voluit. In his actibus divinis continetur reprobatio negativa (5).

Sicut Bannezianorum ita Suarezii sententia videtur falsa, quia videtur incompossibilis cum universali voluntate salvifica Dei.

572. Vasquezii,

Vasquez oppositam omnino opinionem propugnat. Tenet praedestinationem esse in voluntate divina, nempe esse voluntatem conferendi media gratiae. Deinde duplicem distinguit *electionem,* unam quae est ad *gloriam* seorsim sumptam et alteram quae est ad *gratiam* seorsim sumptam.

Censet porro electionem ad *gratiam* omnino *gratuitam* esse a parte Dei, nullamque esse in creatura causam vel rationem cur accipiat gratiam, nominatim talem determinatam primam gratiam; electionem vero efficacem ad *gloriam non gratuitam* esse sed esse *propter praecognita* a Deo *merita* hominum *absolute futura :* ideo *vult* Deus *hos* determinatos homines donari

(1) SUAREZ, *De Deo, De praedestinatione,* L. I, c. XVIII, n. 13 ss.; *Opera omnia,* t. I, p. 305.
(2) ID., *o. c.,* c. VI, p. 249 ss.; L. II, c. XX, n. 29, p. 426.
(3) ID., *o. c.,* L. I, c. VIII, n. 32, p. 268; c. X, p. 279 ss.; c. XI, n. 7, p. 282; c. XIII, n. 10 ss., p. 289 s.
(4) ID., *o. c.,* L. V (*De reprobatione*), c. IV, n. 5, p. 508.
(5) ID., *ibid.,* n. 6-8, p. 508.

gloria aeterna, *quia* hos praecognoscit bene usuros esse gratia his conferenda et merituros esse gloriam (1).

« Opinio [nostra] duas continet partes: prior est, nullam electionem efficacem ad gloriam ex sola Dei voluntate fuisse, antequam merita praeviderentur ex gratia, sed quemlibet ad gloriam electum fuisse ex meritis praevisis, quae Dei gratia facturus erat. Posterior [pars] est, ante merita gratiae praevisa, nullum peculiarem affectum dandi gloriam Deum habuisse erga praedestinatos, sed circa omnes etiam reprobos habuisse communem voluntatem simplicem, et antecedentem, qua omnibus vitam aeternam, tamquam bravium et praemium commune aeque proposuit et desideravit » (2).

Ut autem praedicta opinio plene intelligatur, attente consideranda est ulterior ejusdem explicatio, quam tradit ipse auctor : 1°) negat Deum, voluntate absoluta, *primario* et immediate gloriam dandam intendere et *secundario* gratias et consequentia merita, tamquam media ordinata ad finem, nempe ad gloriam; 2°) tenet Deum, voluntate antecedente, velle omnes homines salvos fieri et ita quidem ut, quantum in se est, *aequaliter* desideret *eamdem* gloriam hominibus omnibus, tum electis tum reprobis : adeoque ita ut, in hoc signo rationis, nulla sit *discretio* inter homines relate ad gloriam obtinendam vel non obtinendam; 3°) *discretio* autem et *electio* hominum incipit in hoc signo rationis, quo Deus decernit aliis hominibus concedere gratias *congruas,* h. e. *efficaces,* nempe tales quibus determinati homines praecognoscuntur consensuri ad ipsam vocationem et ad finalem perseverantiam; aliis vero decernit concedere gratias, sufficientes quidem, non autem efficaces, tales nempe gratias quibus non consensuri praecognoscuntur hi homines : discretio ergo et electio hominum est primario et immediate ad gratiam, nominatim ad congruam vocationem; 4°) quia ex parte hominis, qua talis, nulla datur dispositio positiva vel meritum ad *congruam* gratiam, ideo praedicta electio est vere gratuita; 5°) tandem, posito decreto absoluto, quo Deus decernit se talibus hominibus elargiturum esse tales congruas seu efficaces gratias, sequitur in Deo decretum absolutum concedendi iisdem gloriam propter illorum merita praecognita ex concessis gratiis, uti explicatum est (3).

Illa sententia rejicienda videtur, quia per hanc non salvari videtur *electio salvandorum,* quae tenenda est, ut infrà exponemus.

573. Lessii,

Etiam absurda videtur illa successio decretorum plurium et absolutorum in Deo *Lessius* eamdem, quoad substantiam, ac Vasquez propugnat opinionem, sed quaedam puncta fusius evolvit et ex hoc clarius apparet cur illa opinio sit rejicienda. In hac enim, ut videtur, haeret confusio quaedam magni momenti : licet in actu libero supernaturali distinguantur physice motio gratiae actualis praevenientis et consensus liberi arbitrii nostri, tamen eadem distinctio non recte transfertur deinde in divinae praedestinationis et electionis objecto, formaliter considerato, ac si hîc haberentur *duo* effectus *seorsim considerandi,* tamquam objecta

(1) VASQUEZ, *In Sum. theol.,* I, Q. XXIII, a. 3, disp. LXXXIX, c. 2 ss.
(2) VASQUEZ, *o. c.,* disp. LXXXIX, c. 2, n. 10.
(3) Legatur VASQUEZ, *o. c.,* disp. LXXXIX, c. 13 et disp. XCII.

divinae praedestinationis et electionis (1); ac si ipse Deus non *causaret* liberum hominis consensum, sed potius exspectaret illum a parte hominis; ac si deinde Deus, praecognoscendo (scientia conditionali) quod, si talem gratiam concederet tali homini in talibus adjunctis, hic consentiret, *ideo* h. e. *propter praevisum consensum* decerneret de facto se daturum esse talem gratiam, hancque praedestinaret et dandam eligeret; eadem ratione ageret Deus quoad omnes gratias et consequenter quoad ipsam gloriam (2). In hac explicatione, revera ultimatim ab homine ipso dependet sua praedestinatio et electio: quod admitti nequit, quia illa dependentia non conciliari potest cum absoluta independentia Causae Primae, a cujus causalitate ultimatim omnia debent dependere. — Praeterea, in illa opinione, non salvatur Dei *praedilectio,* quae et quatenus est *causa* bonitatis hominis praedestinati et salvandi: et sane, in illa opinione, in priori signo rationis, in quo consideratur Deus tamquam volens omnes homines salvos fieri, Deus est quasi indifferens vel quasi aeque affectus erga omnes et, nonnisi propter praevisum consensum hominis cum tali gratia, decernit absolute Deus illam concedere : adeoque motivum amoris benefici Dei, in casu, est consensus, seu bonitas, hominis; et jam non ipse amor Dei est causa omnis bonitatis in creatura. Hoc consequi ex sententia, quam impugnamus, confirmatur ex hoc quod Lessius negat gratiam *formaliter ut efficacem* dari a Deo (3); quapropter non restat nisi quod *ut indifferens* ad consensum vel dissensum concedatur.

S. Franciscus Salesius adhaeret sententiae quae statuit *praedestinationem ad gloriam esse post praevisa opera,* uti ipse Sanctus scribit ad Lessium, die 26ª Augusti 1698 (Cf. *Œuvres complètes de S. François de Sales,* éd. d'Annecy, t. XVIII, p. 273); sed tamen ex hoc quod de illa materia scripsit S. Franciscus Salesius in opere *Traité de l'amour de Dieu,* t. III, ch. 5, non licet nobis perspicere completam sententiam sancti auctoris de praedestinatione. *573bis. S. Franc. Sal.,*

Tandem nobis facienda est mentio de singulari Ambr. *Catharini* (1487-1553) opinione, quam paucissimi theologi defenderunt. Hic diversam praedestinationis rationem in Deo admittit pro diversitate electorum : eximii Sancti, v. gr. B. Maria, mater Dei, Apostoli, omnino antecedenter ad praecognitionem meritorum eliguntur ac praedestinantur ad gloriam; alii vero non ita : sed communi voluntate antecedente illis gloria a Deo est proposita, deinde auxilia gratiae communia, sicut iis qui damnantur, provisa, ut pro suo arbitrio iis bene utantur : tandem post praevisa merita Deus decernit eos salvare. *574. Catharini,*

Talis sententia nullo solido argumento fulcitur.

II. Doctrina quae tenenda videtur. *575.*

Praenotandum.

1° Secundum *fidem catholicam,* uti suprà, n. 547-557, exposuimus, credendum est existere ab aeterno in Deo praeordinationem intellectus et voluntatis, secundum quam determinati homines infallibiliter perducuntur ad gloriam aeternam consequendam; illamque praeordinationem, saltem si adaequate spectatur, esse gratuitam, h. e. effectum merae benevolentiae Dei erga illos homines.

---

(1) Actio libera supernaturalis est *unus* effectus divinae providentiae et potentiae: per gratiam *efficit* Deus actum salutarem, licet hic actus liber sit et maneat. Haec assertio tenenda est, abstractione facta ab ulteriori explicatione, de modo quo conciliatur libertas cum influxu gratiae. Praedicta assertio contineri videtur in S. Pauli monito: « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui *operatur* in vobis et *velle* et *perficere* [h. e. exsequi id quod vult aliquis] pro bona voluntate [h. e. secundum benevolentiam Dei operantis] *Ephes.,* II, 13. Ergo Deus ipse facit hominem *velle* salutariter. S. Thomas, *Sum. theol., I,* Q. XXIII, a. 5, clare docet: « Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio et ex praedestinatione; sicut nec est distinctum quod est ex causa secunda et causa prima... Unde et id quod est per liberum arbitrium est ex praedestinatione ».

(2) Cf. Lessius, Opusculum *de praedestinatione et de reprobatione,* praesertim Sect. I, n. 1-3, Sect. II, n. 5-8, Sect. V, n. 105 ss., Sect. VI, n. 133-160.

(3) *O. c.,* Sect. II, n. 8.

2° Ut illius dogmatis ulterior explicatio proponatur, praemittendum est id quod docetur de distinctione diversorum actuum in Deo seu, uti dicitur, *de diversis signis rationis in Deo*. « Licet Deus in seipso simplicissimus sit, in eo tamen cum fundamento in re distinguimus plures actus ex parte intellectus et voluntatis, pro varietate objectorum et modi tendendi in illa, praeintelligendo unum alteri, non quod reipsa aliquis sit prior vel antecedens, sed quia est fundamentum ut a nobis prius intelligatur; ita ut si, per impossibile, inter illos esset ponenda distinctio [realis], unus deberet praecedere, et esse causa alterius. Sic asserimus, intellectum priorem esse voluntate et intellectionem volitione; et inter ipsos actus intellectus, cognitionem causae esse priorem cognitione effectus et necessariam [cognitionem] liberà; inter actus vero voluntatis, volitionem vel intentionem finis esse priorem volitione et electione mediorum; et amorem naturalem et necessarium amore libero » (1).

Quum igitur concipiamus in Deo actus ratione diversos eosque ad invicem secundum prius et posterius ordinatos, ideo diversa quasi momenta in Deo ponimus, quae designamus dicendo : in *primo signo* rationis, in *secundo signo* rationis, in priori signo rationis, in *posteriori*... etc. Sed *prius* et *posterius* non sunt in divinis nisi secundum modum nostrum intelligendi et nullam important *realem* distinctionem in Deo. Etenim : « Signa rationis in Deo distinguuntur secundum quod eminentia divini actus respondet atque aequivalet multiplicibus actibus sese *in nobis* ordine quodam excipientibus (2).

576. Praeordinatio sanctorum est una in se,

Assertum 1um. *Divina praeordinatio, qua infallibiliter praedifiniuntur salvandi homines, est* UNA, *h. e.* SIMUL ET GRATIAM ET GLORIAM *respiciens, nempe disponens gratiam efficacem, formaliter ut efficacem talis determinatae gloriae, necnon hanc gloriam ut obtinendam per illam efficacem gratiam.*

Demonstratio habebit duas partes *prima* statuet illam praeordinationem certo existere in Deo; *secunda* ostendet non posse admitti in Deo duplicem praeordinationem, quatenus in uno signo rationis poneretur gloriae solius, et in altero, gratiae solius praeordinatio.

1ª conclusio vindicatur :

S. Scripturae textus, explicati suprà, n. 557, nempe *Rom.* VIII, 28-30, *Ephes.*, I, 3-12, docent Deum absolute decrevisse quinam sint homines salvandi, hoc autem fecisse secundum propositum voluntatis suae, ideoque *hos* homines vocavisse et justificasse et consequenter glorificaturum esse : quoniam igitur Deus ordinavit *efficaciter* salvandos ad finem vitae aeternae, idcirco fidem et alia media ad illum obtinendum iisdem praeparavit et quidem non tantum talia quibus possint credere, diligere et perseverare,

(1) GONET, *Clypeus*, t. I, Tract. IV, disp. VIII, a. 2, n. 46.
(2) Card. BILLOT, *De Deo*, Thes. XXXII, § 3, p. 311.

sed ejusmodi quibus infallibiliter credant, sperent, diligant et perseverent (1). Ergo existit, in mente Dei, praeordinatio cujus objectum *unum* est *tota series beneficiorum* supernaturalium (quibus infallibiliter perducuntur salvandi ad consecutionem gloriae), *in sua connexione* a Deo stabilita.

2ª conclusio vindicatur :

Infinita perfectio divinae cognitionis est talis ut nequeat unquam Deus quasi abstrahere ab aliqua formalitate rerum cognoscibili : quapropter nequit Deus cognoscere determinatam mensuram gloriae tali homini consequendam, nisi cognoscat hanc ut obtinendam per tales actiones, factas cum talibus gratiis *efficacibus* ab illo homine in talibus adjunctis posito : quapropter omnis possibilis ordo, secundum quem quilibet possibilis homo perducendus est ad finem vitae aeternae, eatenus est Deo *cognoscibilis* et ab eo cognoscitur, quatenus *integer* a Deo conspicitur. Consequenter eatenus potest Deus absolute *velle* salvari aliquem hominem, quatenus absolute vult *integrum ordinem* mediorum ac finis, seu integram seriem gratiarum *efficacium,* qua talium, in sua concatenatione usque ad determinatae gloriae consecutionem. Ergo eatenus vult Deus salvare aliquem, quatenus vult efficaces, *ut efficaces,* concedere gratias.

Igitur divina *praeordinatio,* de qua loquimur, consistens in actu intellectus, adjunctam habens actum voluntatis absolutae, tamquam objectum habet *omnes simul effectus* suos *in unum ordinem* adductos, adeoque est vere *una* in se, nempe ut est praeordinatio divina. Infrà explicabimus quomodo volitio divina terminetur tum ad gloriam, tum ad gratiam.

577. sicut integra providentia;

Inde praeordinatio sanctorum est pars universalis providentiae divinae, quae etiam *una* est, quatenus simul omnes effectus in unum ordinatos respicit. Ad rem Illmus ac Revmus Waffelaert : « Hunc igitur ordinem, quem reipsa evolvi videmus, Deus, antecedenter ad omne decretum absolutum seu praedefinitionem... praescivit... idque ita ut singulae creaturae, singulae causae eorumque effectus singuli essent suo certo ordine praeordinata, prout, consequenter ad decretum praedefiniens et vi ejusdem praedefinitionis, sese aliquando in tempore invicem excipere deberent. Porro, decretum hoc aeternum praedefiniens totius universi actualis, ordinis naturae atque gratiae ac gloriae,... est *unicum,* cadens in totum ordinem praescitum et praeordinatum, quamquam juxta diversa objecta distingui possint diversae partes hujus universalis providentiae et praedefinitionis : ita solet in specie considerari praedestinatio sanctorum, quae est pars, eaque praecipua, dictae providentiae et praedefinitionis » (2).

578. unius praedefinitionis sunt plures et distincti effectus.

Tum providentia integra, tum praeordinatio sanctorum sunt unica praedefinitio divina, cujus tamen *diversi* distinguendi sunt *effectus* iique ad invicem ordinati : nominatim gratia prima ordinatur ad gratias subsequentes, vocatio efficax fidei ordinatur ad justificationem, actus meritorii sunt ad gloriam sicut media ad finem. Hoc tamen bene attendendum est « quod sicut Deus uno intuitu apprehendit principium et ejus conclusionem, ita uno actu vult finem et media ad ipsum, non vero prius finem quam media, nec vicissim, quamvis velit esse et ordinet media ad finem. Unde in hac quaestione praedestinationis Deus non vult prius gloriam quam gratiam et merita, nec vicissim, sed uno decreto vult utrumque, quamquam vult ut gloria sit praemium et merita sint media ad gloriam (3) ».

(1) Cf. WIGGERS, *Comment. in I P. Sum. theol.* Q. XXIII, a. 5, dub. 3, n. 82.
(2) *Medit. theol.*, in *Collat. Brug.*, t. VII, p. 566.
(3) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, p. 567, in nota.

579. *Merita praescita non sunt ratio praedefinitionis salvandorum.*

Assertum 2um. *Merita praescita non sunt causa vel ratio praedefinitionis salvandorum, seu electionis aliorum prae aliis ad aeternam gloriam.*

Demonstratio.

1° Evidens est nihil posse esse *causam* ipsius *actus* physici Dei decernentis ab aeterno quinam sint salvandi. « Nullus fuit ita insanae mentis qui diceret merita esse causam divinae praedestinationis ex parte actus praedestinantis » (1).

2° Sed hoc sub quaestione vertitur utrum in Deo praedestinatio habeat *motivum* ex parte effectus praedestinationis, nempe utrum Deus *ideo decreverit gloriam* conferendam aliquibus *quia merita* ipsorum *praecognoverit,* aliis verbis utrum merita praescita talium hominum sint ratio vel motivum propter quod Deus absolute voluerit tales reipsa salvandos prae aliis.

Cujus quaestionis negativa responsio sic probatur : idem nequit esse, sub eodem respectu, effectus ac motivum ejusdem praedefinitionis divinae, atqui merita hominum sunt effectus praedefinitionis divinae; ergo non sunt motivum ejusdem.

Major declaratur : id quod est *effectus* praedifinitionis divinae dependet ab illa praedefinitione et est, saltem ratione, *posterius* ipsà praedefinitione; illud proinde nequit esse *motivum* ejusdem praedefinitionis, quum motivum sit, saltem ratione, *prius* ipsa praedefinitione.

Minor declaratur : merita, in concreto, sunt actus liberi moraliter boni ac supernatuales, in statu viae peracti (2). Jamvero illi actus totaliter sunt effectus Dei, tamquam primae causae : non solum quatenus sunt operationes creaturae, sed etiam, et specialiter, quatenus sunt supernaturales : sub hoc nempe respectu, singuli sunt effectus gratiae efficacis, suntque *unus* effectus a parte Dei, quatenus singuli egrediuntur ex voluntate tamquam libera ejusdem determinatio sub influxu gratiae efficacis. Quum igitur singuli actus meritorii sint effectus gratiae *efficacis,* cujus collatio provenit a libera Dei volitione, patet illos actus non esse rationem seu motivum praedefinitionis, qua statuitur a Deo determinata collatio gloriae, quia coram Deo merita non cognoscuntur nisi ut *media* ad gloriam, quae est finis eorum.

580. *Objectio solvitur,*

Nec dicas : in scientia simplicis intelligentiae, quae comprehendit scientiam mediam, cognoscit Deus omnes possibiles homines cum possibilibus gratiis conferendis : quos Deus praecognoscit bene usuros gratiis, hos eligit quibus et tales gratias conferat et correlativam gloriam : igitur Deus eligit salvandos propter merita praescita.

Talis explicatio non potest admitti : nam in scientia simplicis intelligentiae cognoscit Deus omnes possibiles homines in omnibus possibilibus ordinibus tum naturalibus, tum supernaturalibus; inde cognoscit tales homines in talibus ordinibus cum talibus gratiis esse cooperaturos, perseveraturos et porro salvandos, qui, iidem, in aliis ordinibus non sunt coopera-

(1) S. THOMAS, *Sum. theol.,* 1, Q. XXIII, a. 5.
(2) Cf. *De divina gratia,* n. 361 ss.

turi, sed peccaturi finaliter et damnandi : nullus est homo qui, absolute, in quolibet ordine, meriturus est gloriam : ergo nullus est homo qui, consideratus antecedenter ad determinatam seriem gratiarum *efficacium* ipsi conferendam, cognoscatur ut *meriturus* gloriam : ergo impossibile est ut Deo merita praescita sint ratio vel motivum volendi salutem aliorum prae aliis. Cf. suprà, n. 567.

581. Praeordinatio salvandorum potest juvari precibus sanctorum.

Nota. Sicut hominum merita, ita etiam preces sanctorum non sunt ratio vel motivum praeordinationis hominis cujusdam ad salutem : nam et ipsae preces, specialiter ut efficaces, sunt effectus divinae providentiae unicae, cujus pars est praeordinatio salutis quorumdam hominum. Sed Deus quum finem universi per actiones causarum secundarum obtineri velit, alias actiones tamquam causas aliarum praeordinat; inde ordinem statuit inter varios effectus unicae providentiae; quapropter potest sic res ordinare ut precibus talis sancti concedat tales gratias efficaces, quibus talis homo finaliter in rectitudine supernaturali perseveret et mereatur coronam justitiae : hoc modo unus effectus providentiae est causa alterius, nempe preces sanctorum sunt causa salutis hominum quorumdam; inde causae secundae exsequuntur ordinem a causa prima statutum, et sic praedestinatio quorumdam potest adjuvari precibus sanctorum (1).

582. Tria sunt in Deo distinguenda rationis signa: a) omnium ordinum possibilium praescientia, b) finis dilectio simul ac salvandorum electio, c) formalis praedestinatio;

Assertum 3um. *Circa praeordinationem salvandorum, tria signa rationis sunt in Deo distinguenda :* PRIMUM, *in quo Deus, scientia simplicis intelligentiae, complectente scientiam omnium contingentium futuribilium,* PRAECOGNOSCIT *omnes omnino possibiles rerum ordines;* SECUNDUM, in quo Deus ABSOLUTE et libere VULT UNUM determinatum et integrum *ordinem ex omnibus possibilibus : haec autem volitio est* DILECTIO *finis simul et* ELECTIO *salvandorum;* TERTIUM, in quo est definita RATIO ORDINIS MEDIORUM *in finem, secundum quam infallibiliter transmittuntur electi in gloriam : haec est* FORMALIS PRAEDESTINATIO (2).

Illos actus ratione distinctos, quos enumeravimus, existere in Deo indubium est. Cf. suprà, n. 365.

Porro rationis prioritas ac posterioritas, quam hîc ponimus, recta esse demonstatur, ut videtur, tum ex aptitudine illi sententiae soli propria, qua explicetur ipsum dogma catholicum, tum ex illius sententiae conformitate cum perfectione divina, naturaliter nobis cognita ex analogia cum perfectione creaturae rationalis.

Praedicta thesis primo est explicanda; deinde demonstranda.

583. haec sententia explicatur,

Explicatio.

« *Primum* omnium rationis signum, est signum scientiae simplicis intelligentiae (ipsa, ut per se patet, scientia media inclusa), in quo divino intellectui observantur omnes et singuli actuabiles ordines providentiae, secundum omnem continentiam agentium et auxiliorum, ac respondentem exitum sive eventum uniuscujusque. Quippe, invenitur in Deo praescientia, quod in hoc futuribili ordine A, omnia de facto collinearent ad talem exitum, puta

(1) Sic docet S. THOMAS, l. c., a. 8.

(2) Ita docent card. BILLOT, *De Deo,* thes. XXXII, § 3, p. 309 ss.; DE BAETS, *De operationibus divinis,* c. V, § 5, p. 242 s.; MANZONI, *Compendium theologiae dogmaticae,* t. II, *De Deo* n. 244. Eamdem, quoad substantiam, sententiam propugnat ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.,* p. 571 ss.; necnon MOLINA; de quo v. suprà, n. 569.

salutem aeternam certarum personarum, aliis personis ab ultimo fine ex abusu suae libertatis deficientibus; et quod in hoc alio futuribili ordine B. omnia de facto collinearent ad talem alium exitum, puta salutem horum aliorum, aliis per malum usum sui liberi arbitrii, abeuntibus in perditionem; et idem dic de caeteris futuribilibus ordinibus, in infinitum (1).

Jam sequitur *secundum* rationis signum, in quo divina voluntas sese determinat circa unum *finem,* quem novit de facto obtinendum in uno certo ordine, illumque finem absolute vult. Nimirum finis iste, qui noscitur in concreto exoriundus ex hoc numero ordine, finis ad quem circumstantiae omnes in eodem contentae, sciuntur directe vel indirecte convergere : ille, inquam, finis est gloria Dei relucens in gloria et salute aeterna horum numero hominum, quorum singuli, in infinitis aliis hypothesibus devenissent ad perditionem. Et quia dilectio Dei non causatur a bonitate in rebus praeexistente, sed e contrario est causa totius bonitatis eorum; item, quia non ideo aliquis eligitur a Deo ex hoc quod dignus est, sed vice versa, ideo dignus futurus est ex hoc quod a Deo eligitur : voluntas divina, solo suo liberrimo beneplacito, determinatur ad volendum absolute finem salutis, hisce designatis hominibus, potius quam aliis qui in alio possibili ordine salvarentur. — Hoc igitur signum, est signum *absolutae* voluntatis salutis quorumdam; quae quidem voluntas rationem habet *dilectionis* simul et *electionis :* dilectionis quidem, *in quantum* (Deus) *vult eis hoc bonum salutis aeternae;* electionis vero, *in quantum hoc bonum aliquibus prae aliis vult,* ut explicat S. Thomas *Sum. theol.,* I, Q. XXIII, a. 4.

Tertium tantum consideratur rationis signum, in quo, consequenter ad volitionem finis, decernit Deus mandare exsecutioni totum ipsum ordinem, cui respondet voliti finis eventus obtinendus; et hoc est signum *praedestinationis* et *reprobationis.* Nam quia in ratione intellecta dicti ordinis, continetur tum praescita transmissio horum hominum in vitam aeternam, tum praescita defectio aliorum a salute, decernit autem Deus procurare primum, et ad hoc ipsum, permittere secundum : ex hujus adjunctione decreti, fit ut quoad quosdam, jam in Deo sit *praescientia et praeparatio* vocationis, justificationis, necnon et consequentis glorificationis (et hoc est praedestinatio); quoad alios vero, *praescientia et permissio* defectionis (et hoc est reprobatio » (2).

584. demonstratur,

Demonstratio.

Quoad dogma catholicum.

1° Hoc docet salvandos ab aeterno esse praedestinatos eosque *gratuito esse electos a Deo,* nempe alios esse prae aliis discretos qui gloriam consequantur. Cf. suprà, n. 556.

---

(1) Ad hoc primum rationis signum et ad omnia rationis signa quae praedestinationem et reprobationem spectant, *praesupponitur* secundum rationem voluntas antecedens, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, sicut voluntas generalis praesupponitur ad dispositiones particulares. Unde, ex vi praedictae voluntatis antecedentis, omnes providentiae ordines qui in primo signo proponuntur ut eligibiles non nisi illi sunt, in quibus sufficientia media ad vitam aeternam consequendam, omnibus praeparata inveniuntur.

(2) Card. BILLOT, *o. c.,* p. 310 s.

Jamvero hoc plene salvatur in sententia nostra : nam imprimis ponitur divina omnium possibilium ordinum scientia, quae praelucere debet omni absolutae volitioni Dei circa res finitas, ut in illo sit perfectissima providentia et plenissima libertas. Deinde electio salvandorum immediate consequitur scientiam futuribilium, in qua nulla est creatura rationalis quae, pro infinitis hypothesibus possibilium circumstantiarum, non praevideatur in his adjunctis lapsura, in illis vero, finem salutis cum Dei gratia obtentura; et ideo, discretio hominum salvandorum a non salvandis vere est per electionem Dei et secundum propositum suae voluntatis, necnon gratuita.

2° Imo praedicta distinctio et ordinatio signorum in Deo posita videtur *sola* componi logice cum dogmate catholico : nam in Vasquezianorum opinione non explicatur *electio* gratuita salvandorum; in sententia autem Bannezianorum et Suarezii non salvatur universalis salvifica voluntas Dei : quod utrumque infrà exponetur.

585. Confirmatur ex ratione theologica,

Confirmatur sententia 1) per hoc quod plenissime concordat cum oeconomia Providentiae, prout per Scripturas et facta quotidiana manifestatur. « Non enim solitarie salvamur, hoc est, quasi ab aliis hominibus disjuncti et nullo dependentiae nexu colligati cum iis qui nunc sunt et ante nos fuerunt. Quippe, in negotio salutis dependemus a parentibus, a magistris, a sociis, a mutationibus politicis, ab opera eorum quae ante annos mille et amplius, fidem in patria vel plantaverunt, vel restituerunt, vel conservaverunt, etc. Nec prorsus a vero aberraret, qui diceret salutem vel unius infantis post baptismum decedentis, descendere a causa prima mediante infinito quodam concursu causarum secundarum omnis generis ab initio mundi usque nunc. Quin imo, ne existimus quidem independenter ab actibus liberis innumerorum agentium qui fuerunt in generationibus praeteritis, iisque vel bonis vel malis... Si ergo non solitarie ad existentiam vocamur, nec etiam solitaria de nobis providentia est. Si non solitarie salvamur, nec solitarie praedestinamur, sed voluntas praedestinantis fertur... super totum ordinem connexorum agentium et causarum secundarum : tametsi uti per se patet, cum tanta perfectione feratur in unumquodque singillatim sumptum ac si solum ipsum respiceret. Sed sub hoc etiam respectu, non facile tenebunt veritatem qui disgregatas praedestinationes ponunt, quasi instar partium aedificii, quae sola contiguitate in unum coassurgunt ». (1)

586. ex auctoritate S. Thomae,

Confirmatur eadem sententia 2) auctoritate s. Thomae (cf. suprà, n. 562): etenim s. Doctor tenet praedestinationem esse *a*) formaliter in intellectu, nempe rationem ordinis secundum quam quidam homines infallibiliter perducuntur in finem aeternae vitae; *b*) non habere tamquam motivum merita hominum praescita; *c*) ratione posteriorem esse electioni, quae et ipsa est posterior dilectioni; *d*) tandem explicite tria rationis signa videntur indicari his verbis : « In praedestinatione enim tria sunt consideranda : quorum duo praesupponit ipsa praedestinatio, scilicet *praescientiam* Dei et *dilectionem*, id est voluntatem qua vult praedestinatum salvare : et tertium est ipsa *praedestinatio*, quae nihil aliud est quam directio in finem, quem vult Deus rei dilectae » (2). In secundo signo ponitur dilectio, quae simul est electio, quae tamen ratione est posterior illi, uti explicatur a s. Thoma, *Sum. theol.*, I, Q. XXIII, a. 4 : non tamen est ponenda in signo rationis diverso a signo in quo ponitur dilectio : etenim dilectio et electio sunt duo aspectus unius volitionis absolutae, qua determinatum ordinem integrum vult Deus.

(1) Card. BILLOT, *o. c.*, p. 312.

(2) *Quodl. XI*, a. 3. In quo loco S. Thomas etiam docet a voluntate divina non imponi necessitatem physicam actionibus liberis creaturarum; illas autem actiones *contingentes* esse, quia egrediuntur ex causa proxima contingenti, cujus modum proprium agendi servari vult Deus. Cf. suprà, n. 486 ss.

587. ex ratione naturali.

Quoad rationem naturalem.

« Signa rationis in Deo distinguuntur, secundum quod eminentia divini actus respondet atque aequivalet multiplicibus actibus, sese in nobis ordine quodam excipientibus. Sed in provisore humano, si esset perfectus et omniscius, primo quidem praeluceret scientia omnium ordinum decernibilium et consideratio exitus seu eventus singulorum; tum praeterea voluntas sese determinaret circa bonum finis, quem in uno ordine potius quam in alio praenosceret fore de facto obtinendum; denique, consequenter ad ejusmodi electionem, decerneret exsequendam rationem ordinis hujus, quae eo ipso transiret in actualem providentiam. Recte ergo in Deo tria correspondentia signa, per rationem distinguuntur » (1).

588. Objectio.

Objectio praecipua contra sententiam modo propugnatam haec est : Deus ab aeterno hominibus vult gloriam eadem ratione qua illam in tempore concedit; atqui in tempore concedit gloriam propter merita; ergo ab aeterno hominibus vult gloriam propter merita praescita eorum.

Resp. *Dist. Maj.* Deus... vult gloriam *ut dandam* eadem ratione qua illam concedit, *conc.;* Deus gloriam *vult* eadem ratione, *subdist.* si per verba *eadem ratione* intelligis *propter eumdem ultimum finem... conc.,* si per verba *eadem ratione* intelligis *propter media* quibus a parte hominis proxime obtinetur gloria, *nego.*

Contrad. min. Deus concedit gloriam propter merita, *tamquam propter media* quibus a parte hominis proxime obtinetur gloria, *conc.;* Deus concedit gloriam propter merita *tamquam propter finem volendi* gloriam, *nego.*

Contrad. conseq. Deus *vult* gloriam *ut dandam* propter merita praescita hominum, *conc.:* Deus *vult* gloriam *propter merita* praescita, *tamquam rationem vel motivum volendi, nego.*

Explicatur solutio ex rite intellecto principio : ex hoc quod Deus velit *unum esse propter aliud,* puta gloriam dari propter merita, non sequitur quod Deus unum *velit propter aliud.* Cf. suprà, 576 s., 479.

Uti suprà, n. 583, explicuimus, Deus cognitis omnibus possibilibus rerum ordinibus, liberrime unum absolute vult exsecutioni mandari, propter exitum illius ordinis, nempe propter determinatam mensuram gloriae Dei externae obtinendae : hic est finis, propter quem vult Deus omnia, quae in illo ordine continentur, nominatim illos salvandos, specialiter dilectos (in illis enim formaliter quà salvandis consistit formalis gloria extrinseca Dei) : illis Deus praedestinat et *merita* et *gloriam :* merita, ut *danda* propter gloriam consequendam, quae proinde habet rationem causae finalis; gloriam vero ut *dandam* tamquam mercedem propter merita, quae habent rationem causae disponentis (2).

589. Praedestinationis ratio est bonitas Dei communi-

Corollarium. *Praedestinationis adaequate sumptae* UNICA RATIO *est divina bonitas communicanda;* CONDITIO *autem est praescientia meritorum ut possibilium et futuribilium.*

---

(1) Card. BILLOT, *o. c.*, p. 311.
(2) Cf. Card. BILLOT, *o. c.*, p. 302 s. Alias objectiones videsis ap. DE BAETS, *o. c.*, p. 236 ss

1. Etenim eatenus Deus determinatos homines decernit perducendos per determinatas gratias in gloriae aeternae consecutionem, quatenus vult communicare suam bonitatem : omnia dona Dei naturalia et supernaturalia ordinantur ad determinatam mensuram gloriae, in qua praecipue consistit et completur communicata bonitas divina. Porro haec bonitas communicatur in salvatis per modum misericordiae, parcendo; relate autem ad damnatos per modum justitiae, puniendo. — Quomodo reprobatio sit manifestatio divinae justitiae explicabitur in articulo sequenti.

canda; conditio est praescientia meritorum ut possibilium et futuribilium.

2. Uti ex suprà dictis constat, perfectissimae providentiae, qualis Deo inest praelucere debet cognitio omnium ordinum possibilium rerum; pariter praedestinationi, quae est pars providentiae, praelucere debet cognitio omnium hominum possibilium cum omnibus possibilibus meritis in quolibet possibili ordine : haec divina praescientia meritorum est conditio sub qua Deus eligit et praedestinat salvandos et est ratione prior praedestinatione quae, hoc sensu, dici potest post *praescita* merita possibilia; non autem dici potest praedestinatio post *praevisa* merita (1), quia haec assertio, sensu proprio intellecta, importat scientiam *visionis,* nempe scientiam quae consequitur ad decretum absolutum voluntatis divinae, in quo res existentes ut existentes intuetur Deus. Cf. suprà, n. 374, 404.

Scholion 1um. *Non admittenda est opinio Vasquezii.*

590. Non admittenda opinio Vasquezii,

Hic enim, uti suprà, n. 566, indicavimus, tenet ipsam electionem ad gloriam seorsim sumptam esse post praevisa merita. Jamvero in illa opinione jam non habetur proprie dicta *electio* salvandorum, quae tamen asserenda est secundum doctrinam catholicam. Cf. supra, n. 556. Et sane, secundum opinionem, quam impugnamus, Deus prius ordinat gratias tales concedendas talibus hominibus, posterius cognoscit quinam homines bene usuri sint gratiis ac perseveraturi, quinam vero abusuri et in peccato morituri, tandem illos Deus decernit salvandos, hos autem reprobandos. Ut patet, in eo signo rationis in quo ponitur absoluta praedefinitio salvandorum, non possibilis est *electio :* nam illos, quos praevidet bene usuros gratiis, necessario vult Deus salvari; illos vero, quos praevidet abusuros gratiis, non potest velle salvari : ergo non datur ulla possibilitas ut Deus vere assumat ipse alios prae aliis, seu *eligat;* consequenter jam non salvatur plena gratuitas praedestinationis.

Scholion 2um. *Non admittenda sententia Bannezianorum et Suarezii.*

591. nec Suarezii.

1. Secundum hanc sententiam, in priori signo rationis ponitur volitio absoluta Dei, qua decernit *gloriam* dare *quibusdam* hominibus, singulis distributim sumptis, *reliquis* vero *non dare gloriam :* in posteriori signo, decernit Deus *salvandis* concedere tales gratias quales cognoscit *efficaces* vel *congruas, ut* illis gratiis libere cooperantes perseverent; *reliquis* vero hominibus gratias tales quales cognoscit Deus non obtenturas bonum usum

(1) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, p. 573.

et finalem perseverantiam; proinde illis hominibus, *ideo* a Deo praedefiniuntur gratiae non-efficaces vel non-congruae, *quia* antecedente decreto voluntatis divinae arcentur a gloria : ergo illis hominibus Deus non serio vult salutem : nam denegat illis gratias efficaces praecise *ne perveniant ad gloriam*, a qua fuerunt exclusi decreto divino antecedente omnem praescientiam peccati. Talis sententia componi nequit cum antecedente voluntate divina salvandi omnes homines. Cf. suprà, n. 529.

Articulus III^us^. De Reprobatione.

592. Reprobationis notio.

Notio. Hîc tantum indicamus notionem, quae abstrahit ab illis circa quae datur controversia : sicut in Deo datur ab aeterno cognitio hominum salvandorum et volitio salvandi illos, ita etiam datur cognitio damnandorum et volitio damnandi illos. Haec tamen volitio necessario supponit in Deo permissionem peccati : Deus enim neminem vult damnare nisi propter ejus culpam; quoad adultos, de quibus hîc sermo est, Deus neminem vult damnare nisi propter personale peccatum. Peccatum autem Deus non vult sed mere permittit. Cf. suprà, n. 447 s.

Ergo reprobatio est divina praescientia simul cum decreto permittendi culpam et damnandi propter culpam : haec circa determinatos homines.

§ I.

Doctrina catholica.

593. Reprobationem existere est de fide,

Propositio. **Existit in Deo reprobatio.**

Haec assertio est *de fide :* continetur enim explicite in universali praedicatione Ecclesiae.

demonstratur: A) ex S. Script.,

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura.

1° Christus sententiam suam in ultimo judicio ferendam exhibet his verbis : « Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi... Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus » *Matth.* XXV, 34, 41. Intelligitur hîc esse in Deo et quoad salvandos et quoad damnandos praescientia et correspondens volitio : sicut a constitutione mundi paratum est benedictis regnum beatitudinis, ita et maledictis paratus est ignis supplicii aeterni. Quae praeparatio est aeterna in Deo, quia aeterna est in ipso omnis cognitio ac volitio.

2° S. Paulus, *Rom.* IX, 14-24, docet a Dei libera voluntate dependere quod alii homines efficaciter vocentur ad fidem, alii vero non vocentur efficaciter; quod alii homines sint objectum divinae misericordiae et glori-

ficandi, alii, objectum irae, destinati in perditionem. Hîc pariter et praedestinatio salvandorum et reprobatio damnandorum exhibetur.

B. Ex Traditione.

594.
B) *ex Tradit.,*

Ecclesiae fidei testimonia de praedestinatione etiam exprimunt fidem de reprobatione : cf. suprà, n. 548-551.

C. Ex ratione. Quum in Deo sit praedestinatio, necessario est in ipso et reprobatio : nam praedestinatio est in Deo ratio transmissionis quorumdam hominum in finem aeternae vitae; et importat praescientiam et voluntatem absolutam salutis aliorum prae aliis; inde hi alii, qui non eliguntur ad salutem, pariter praecognoscuntur a Deo et habet Deus voluntatem absolutam damnandi illos, propter culpam, cujus causa sunt ipsi. Cf. suprà, n. 450 s.

595.
C) *ex ratione.*

Ut patet, reprobatio est infallibilis et immutabilis sicut praedestinatio. Cf. suprà, n. 553.

§ II.

Ulterior explicatio.

1° *In causando aliter* se habet *praedestinatio* et *aliter reprobatio.*

596.
In causando aliter se habet praedestinatio, aliter reprobatio.

Etenim, secundum superius explicata, praedestinatio est in Deo ratio ordinis secundum quam determinatae creaturae intellectuales perducuntur in finem aeternae gloriae : *omnia* quibus fit illa transmissio sunt *effectus* praedestinationis, nempe dona gratiae quibus cooperatur homo, liberae actiones quae sunt merita, tandem ipsa consecutio mercedis aeternae.

Sed non ita se habet reprobatio : est enim aliquid, quod dependet quidem ab illa, sed quod *non est effectus* ejus, quod *non causatur* ab illa : hoc est *peccatum.* Et sane: in reprobatione considerari potest formaliter *a*) *non-electio,* quae directe opponitur electioni salvandorum (1) : Deus eligendo hos salvandos, et hos tantum, eo ipso non vult salvare alios : hoc non-velle est rejicere, reprobare (2); sed *b*) illa non-electio seu reprobatio nihil aliud est in Deo nisi *permissio peccati :* impossibile est ut Deus, qui voluntate antecedente vult omnes homines salvos fieri (cf. suprà, n. 537) rejiciat quosdam a salute, nisi quatenus peccatum ipsorum permittat, quocum connectitur aeterna poena : peccatum autem permittere nihil aliud est quam velle non impedire illud, velle non concedere illas efficaces gratias, quibus vitaretur : ut patet, reprobatio non est causa peccati, sed tantum conditio ejus; *c*) tandem supposita permissione peccati finalis, consequitur in Deo volitio infligendi aeternam poenam : haec volitio est causa damnationis stricte dictae.

---

(1) Cf. S. Thomas, *De veritate,* Q. VI, a. 1, ad ultim in 2ª serie.

(2) Inter Bannezianos duae circa hoc sententiae propugnantur: alii docent quosdam homines antecedenter ad omne meritum, *positive excludi* ab aeterna gloria: quos Deus vult non salvari; alii docent in Deo nihil aliud esse circa reprobos quam *non- electionem:* Deus eligendo salvandos, mere relinquit alios, quos non assumit ad salutem.

597. Ad rem S. Thomas : « Aliter se habet reprobatio in causando quam praedestinatio. Nam praedestinatio est causa et ejus quod exspectatur in futura vita a praedestinatis, scilicet gloriae, et ejus quod percipitur in praesenti, scilicet gratiae. Reprobatio vero non est causa ejus quod est in praesenti, scilicet culpae; sed est causa derelictionis a Deo. Est tamen causa ejus quod redditur in futuro, scilicet poenae aeternae. Sed culpa provenit ex libro arbitrio ejus qui reprobatur et a gratia deseritur » (1).

Ad rem etiam Cajetanus : « Non est idem judicium de reprobatione et praedestinatione. Quoniam in reprobatione est aliquid extra totum reprobationis effectum, scilicet culpa : non sic autem est in praedestinato in quo totum ordinans ipsum in vitam aeternam, est praedestinationis effectus... Et sic, cum bonus usus liberi arbitrii, prout est a nobis, sit unum de his quibus ordinamur in vitam aeternam (quia ordinamur ut, libere cooperando bene, illam consequamur); sequitur quod non solum ipse bonus usus liberi arbitrii, sed etiam modus quo est a nobis, cadat sub praedestinatione... » (2).

Etiam Sylvester Ferrariensis scite animadvertit : « Respectu *peccati* secundum se nullam dicit reprobatio causalitatem, sed tantum praescientiam... respectu vero *permissionis* [peccati], *derelictionis a Deo in peccato et damnationis* sive poenae non solum dicit praescientiam sed etiam causalitatem. Nam omnium istorum reprobatio est causa. — Praedestinatio vero ad omnia quae sunt in praedestinato eodem modo se habet : habet enim Deus omnium horum praescientiam et omnium est causa. Nam causat non solum gloriam et beatitudinem in praedestinato, sed etiam opus meritorium, gratiam et praeparationem ad gratiam » (3).

598. praedestinatio est causa gratiae, meriti et gloriae: reprobatio non est causa peccati.

2° In hoc essentialiter, ut sic dicam, differunt praedestinatio et reprobatio quod illa est praescientia et *praeparatio* seu *causa* et gratiae et operum meritoriorum et gloriae conferendae determinatis individuis; reprobatio autem praescientia et *permissio* defectionis aliorum.

Etenim secundum ea, quae suprà, n. 583, diximus, in eodem signo rationis ponuntur et praedestinatio et reprobatio : nempe ad perfectissimam praescientiam omnium ordinum possibilium consequitur (ratione) absoluta Dei volitio, qua vult unum ex illis ordinibus propter gloriam quae est ultimus finis illius ordinis : illa volitio est dilectio et electio salvandorum; tandem habetur et *praedestinatio,* quae est *ordo conceptus* et *volitus* omnium beneficiorum quibus homines determinati infallibiliter perducuntur in finem aeternae vitae. Jamvero voluntas absoluta, qua vult Deus unum determinatum ordinem fieri, simul est volitio *permittendi* peccata quae praecognoscuntur in illo ordine : illa autem permissio peccatorum non est aliquis ordo mediorum conceptus a Deo ut non-electi conducantur ad damnationem : sed nihil aliud est quam permissio peccatorum, quorum homines soli

---

(1) *Sum. theol.,* I, Q. XXIII, a. 3, ad 2.

(2) *In Sum. theol.,* I, Q. XXIII, a. 5, n. V. Ad rem apposite dicit R. P. FRIETHOFF, *De predestinatie-leer van Thomas en Calvyn,* p. 29: « Volgens Thomas is de predestinatie ten leven niet de uitverkiezing maar veronderstelt deze: de predestinatie is n. 1. het *uitvoeringsplan van de uitverkiezing.* Zoo is nu naar Thomas' opvatting, ook de reprobatie als *bestraffingsplan* niet te vereenzelvigen met de niet-uitverkiezing maar dient men ook hier onderscheid te maken. Zooals de predestinatie als gevolg van de uitverkiezing den wil in heeft de glorie te verleenen en daarmee de genade, zoo omvat de reprobatie als gevolg van de niet- uitverkiezing slechts *den wil toe te staan,* dat de niet-uitverkorene in zonde valt. En eerst voor die schuld wordt met de verwerping gestraft. Terwijl dus de predestinatie oorzaak is én van de genade én van de glorie, is de reprobatie wel oorzaak van het verlaten worden door God en van de straf voor de zonde, niet echter van de zonde zelf ». Cf. quae diximus suprà, n. 568, 3°.

(3) *In Sum contr. Gent.,* L. III, c. 161.

sunt causa (1). Quapropter reprobationi, formaliter sumptae, nihil aliud respondet in Deo quam praescientia et *permissio* absoluta peccatorum.

599. Reprobatio: quatenus est permissio peccatorum non est propter peccata,

3° Reprobatio, quatenus est volitio Dei absoluta *permittendi peccata,* est ratione *posterior praescientiae* peccatorum ut *futuribilium vel possibilium; non* autem est *propter* peccata praecognita.

Et sane, uti suprà, n. 583, exposuimus, in signo priori ad absolutam volitionem Dei eligentis unum ex possibilibus rerum ordinibus, possibile est singulos homines, pro diversitate ordinum in quibus considerantur, vel salvari vel damnari. Ante absolutam Dei volitionem assumentem unum ordinem determinatum, et in hoc eligentem salvandos simul ac permittentem peccata damnandorum, « aeque ex sua parte dispositi sunt praedestinati ac reprobi » (2).

600. quatenus est volitio damnandi est propter peccata,

4° Reprobatio quatenus est Dei volitio absoluta *puniendi quosdam aeterno supplicio* consequitur ratione ad permissionem peccatorum et est *propter peccata praescita ac permissa :* ideo enim Deus vult punire hos determinatos homines, quia scit illos esse reos talium peccatorum.

601. quoad utrumque est pars providentiae.

5° Reprobatio est *pars providentiae* (3) : « Ad providentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus quae providentiae subduntur... Unde cum per divinam providentiam homines in vitam aeternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam ut permittat aliquos ab isto fine deficere et hoc dicitur reprobare. Sic igitur, sicut praedestinatio est pars providentiae respectu eorum qui divinitus ordinantur in aeternam salutem, ita reprobatio est pars providentiae, respectu illorum qui ab hoc fine decedunt » (4).

Ad providentiam, non ad reprobationem, pertinent omnia beneficia nominatim omnes gratiae vere sufficientes, quibus possent salvari illi qui de facto damnantur.

602. Reprobationis finis est gloriae extrinseca Dei, conditio autem manifestatio justitiae divinae.

5. Reprobationis *finis* est gloria extrinseca Dei; *conditio sine qua non* est manifestatio justitiae divinae.

a) Etenim, uti constat ex hucusque dictis, reprobatio quasi essentialiter consistit in permissione peccatorum et finalis permanentiae in statu peccati mortalis : illa autem permissio divina continetur in volitione, qua Deus absolute vult hanc determinatam *gloriae divinae* mensuram, quae ex illo ordine consequitur : permissio peccatorum est etiam proper hanc gloriam; iterum propter hanc gloriam est volitio damnandi reprobos.

Peccata reproborum possunt ordinari diversimode in gloriam Dei: v. gr., quatenus fiunt occasio majoris sanctitatis justorum, quemadmodum persecutores Ecclesiae fiunt occasio martyrii; sed omnino ordinantur in gloriam Dei peccata reproborum, quia sunt objectum justitiae divinae exercendae ac manifestandae.

b) Bene tamen notemus justitiam divinam manifestandam *non* esse *finem reprobationis,* quatenus haec dicit permissionem peccati : etenim non ita concipi potest divina intentio, ac si Deus absolute velit manifestare *et* suam benignitatem *et* suam justitiam, necnon consequenter velit aliorum finalem sanctitatem adeoque illos praedestinet; aliorum autem permittat finale nec-

(1) Negatio gratiae *efficacis,* qua impediri possent peccata hominum, non est *causa* peccatorum, quia 1°) est aliquid negativum, 2°) ipsa libera et physica determinatio voluntatis humanae, in qua determinatione seu electione consistit, in hypothesi, peccatum, est a solo homine.

(2) CAJETANUS, l. c., n. XVI.

(3) Providentia enim est ratio integri ordinis secundum quem omnia diriguntur in finem ultimum a Deo absolute volitum. Cf. suprà, n. 512 ss.

(4) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXIII, a. 3.

catum adeoque illos reprobet. In hac hypothesi, peccata essent *medium* obtinendi finis, adeoque revera *vellet* Deus esse peccata *ut* manifestaret suam justitiam : talis volitio repugnat sanctitati divinae. Cf. suprà, n. 449.

Sed manifestatio divinae justitiae est *conditio sine qua non* posset Deus permittere peccata : non posset hoc, si permissa peccata non ordinarentur ad suam gloriam, seu non haberent, tamquam sequelam, quamdam manifestationem divinae perfectionis, nominatim justitiae divinae.

603. Secundum exposita intelligendum est quod dicit s. Thomas : « Et inde est quod ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum, quarum quaedam altum, et quaedam infimum locum teneant in universo. Et ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri ne multa bona impediantur... Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos praedestinat, suam repraesentare bonitatem per modum misericordiae, parcendo; et quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiae, puniendo ». *Sum. theol.*, I, Q. XXIII, a. 5, ad 3. S. Thomas non docet *absolute necessarium* esse ut sint mala physica et poenae culparum in omni possibili universo, sed explicat cur illa mala possint esse in ordine integro rerum : ratio est quia conferunt, licet *per accidens,* ad completionem universi h. e. ad manifestationem perfectionis divinae in complexu ordinato rerum : inde in praedestinatis proprie elucet *misericordia* divina, in reprobis vero *justitia.*

Ad rem Cajetanus in h. l. : « Non enim dicimus quod ideo Deus permittit peccata ut puniat, sed quod permittit et punit propter relucentiam justitiae suae... — Reprobatio, quoad ultimum effectum (1), idest punire, justitiae actum exercet... Quoad primum autem effectum, id est permissionem peccati, negationem actus misericordiae seu gratiae exercet ».

604. Reprobatio est posterior praescientiae de peccatis ut futuribilibus.

6° *Falsa est opinio illorum qui tenent reprobationem esse antecedentem ad omnem divinam praescientiam de peccatis ut futuribilibus et independentem a tali praecognitione.*

Haec opinio Bannezianorum (2) et Suarezii fuit jam indicata, n. 570 s. et refutata, n. 591.

Sed post ea quae in Articulo III diximus, plenius intelligetur illius falsitas, praecipue autem ex hoc argumento (3). Adversarii enim supponunt ideo posse Deum reprobare quosdam, antecedenter ad quamlibet praecognitionem de illorum peccatis, quia reprobatio non est nisi *exclusio a beneficio indebito,* nempe a fine supernaturali. Hoc autem suppositum est negandum. Etenim, in praesenti statu, si de adultis sermo est, impossibilis est exclusio ab illo beneficio indebito, quae non sit simul positiva damnatio; aliis verbis : nequit Deus non eligere quosdam ad gloriam nisi volendo illos damnari; jamvero volitio damnationis praesupponit permissionem peccatorum propter

---

(1) Reprobatio, adaequate sumpta, importat in Deo praescientiam, et voluntatem duplicem: prima est volitio *permittendi,* h. e. non impediendi, peccata, altera est volitio *puniendi* peccata permissa. Inde in ordine reali rerum existentium, duplex est *effectus* reprobationis: primus est negativus, non-impeditio peccatorum seu non-elargitio auxiliorum efficacium quibus possent impediri peccata; alter effectus est positivus, scil. damnatio et inflictio poenae.

(2) Inter illos viget controversia utrum in Deo admittenda sit *positiva exclusio* quorumdam, antecedens ad omne praecognitum demeritum vel peccatum eorum, an solum *non-electio* quorumdam. Neutra sententia componitur cum seria voluntate antecedente salvandi omnes.

(3) Quod proponitur a DE BAETS, *o. c.*, p. 234.

quae damnantur homines, praesupponit igitur praecognitionem peccatorum permittendorum.

605. De mente S. Augustini.

Nota. S. Augustinus, ut videtur, reprobationem ita concipit ac si primario consisteret in *non-electione* quorumdam hominum ad salutem, h. e. in non-electione ad liberationem ex massa generis humani damnata : illi non-electi remanent in massa damnata, consequenter, quia non efficaciter eripiuntur ab illo statu, libere committunt peccata et propter illa damnantur in aeternum. Arcana ac nobis inscrutabilis est illa dispositio divina secundum quam dantur reprobi. Hi porro creantur ut manifestetur divina perfectio (1).

S. Prosperi ab Augustini sententia, ut videtur, differt in hoc quod ille explicite assignat *praevisa demerita seu peccata* tamquam *motivum* reprobationis (2).

Caput V.

DE POTENTIA DEI.

606. Notio.

Post considerationem divini intellectus et voluntatis, quorum actus sunt immanentes, dicendum est de potentia, cujus actio est *virtualiter transiens* (3) seu operatio *ad extra*. Est enim potentia, quam hîc investigamus : Dei *virtus activa producendi res a se distinctas* seu res extra se.

607. Deum esse omnipotentem est de fide.

Propositio. **Deus est omnipotens** seu **in Deo est potentia activa extendens se ad omnia intrinsece possibilia.**

Haec assertio est de fide. In Concilio Lateranensi IV habetur haec definitio : « Firmiter credimus et simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus... omnipotens... » (4).

Concilium Vaticanum definivit etiam « unum esse Deum verum et vivum... omnipotentem... intellectu et voluntate omnique perfectione infinitum » (5). Quum potentia sit evidenter perfectio, et quidem pure, Concilium declaravit Deum esse infinitum in potentia seu esse infinite potentem.

608. demonstratur: A) ex S. Script.,

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura.

1. In V. T., multi adsunt loci in quibus Deus vocatur *Schaddai* = ὁ παντοκράτωρ = omnipotens (6), v. gr., « Ego Deus omnipotens ». *Gen.* XVII, 1, XXXV, 11. Hoc nomen declaratur : « Numquid Deo quidquam est difficile? » *Gen.* XVIII, 14.

Exhibetur divina potentia descriptione effectuum quos Deus virtute sua producit, et quibus manifestatur ut Dominus omnium rerum et eventuum : *Exod.*, IX, 29, XV, 3-13. Virtus Dei, quatenus omnino est independens ab

(1) Cf. Jacquin, *Revue d'histoire ecclésiastique*, t. V, p. 729 s., 747-749.
(2) Cf. Jacquin, *o. c.*, t. VII, p. 280 s.; Bardenhewer, *Patrologie*, p. 443.
(3) Specialiter ostenditur *creationem* esse Dei operationem formaliter immanentem et virtualiter transeuntem, in *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 513 ss.
(4) *Enchir.*, n. 428.
(5) *Id.*, n. 1782.
(6) Cf. suprà, n. 155.

extrinseco et quatenus nequit limitari, exhibetur his verbis : « Omnia quaecumque voluit, fecit Dominus in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis ». *Ps.* CXXXIV, 6 « Ipse [Dominus] dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt ». *Ps.* XXXII, 9. — Fidei in omnipotentiam Dei professio exprimitur *Esther,* XIII, 8-12 : « Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israël. Tu fecisti coelum et terram, et quidquid coeli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuae. Cuncta nosti... ».

2. Jesus idem attributum de Deo praedicavit : « Omnia enim possibilia sunt apud Deum ». *Marc.* X, 27, « Pater, omnia tibi possibilia sunt ». *Id.,* XIV, 36.

S. Paulus Deum dicit *omnipotentem,* 2 Cor. VI, 18.

S. Joannes illam divinam perfectionem pluries recolit in *Apoc.,* v. gr. « Ego sum *A* et *Ω*, principium et finis, dicit Dominus Deus : qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens (*ὁ παντακράτωρ*) » I, 8; « Regnavit Dominus Deus noster omnipotens » XIX, 6.

609. B) ex Traditione: symb.,

B. Ex Traditione.

Symboli Apostolici forma occidentalis antiquior et recentior, necnon forma orientalis explicite dicunt Deum esse omnipotentem : « Credo in Deum Patrem omnipotentem » (1); etiam symbolum quod vocatur Athanasianum : « omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus : et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens » (2).

damnat. Origen.

Inter canones adversus Origenem (an. 543) invenitur 8us : « Si quis dicit aut sentit vel finitam esse Dei potestatem (*δύναμιν*) vel eum tanta fecisse quanta comprehendere possit, A. S. » (3).

610. Deo inest potentia.

C. Ex ratione.

1. *Deo maxime convenit potentia.*

Virtus *agendi* est perfectio simplex, quae consequitur ad esse uniuscujusque. Manifestum est enim quod unumquodque, secundum quod est actu (4) et perfectum, secundum hoc est principium activum alicujus. Atqui Deus est actus omnino purus et universaliter perfectus. Ergo maxime Deo convenit haec perfectio : esse principium activum.

Sed haec perfectio, *esse principium activum,* in completa sua ratione, includit principium agendi *ad extra,* nempe principium diffundendi suam

(1) Cf. *Enchir.,* n. 2-9.
(2) *Enchir.,* n. 39.
(3) *Enchir.,* n. 210.
(4) S. Thomas, *De Potentia,* Q. I, a. 1, animadvertit nomen *actus* fuisse primo impositum operationi et deinde *formae,* utpote principio operandi : « Actus est duplex, scilicet primus qui est forma; et secundus qui est operatio; et sicut videtur ex communi hominum intellectu, nomen *actus* primo fuit attributum operationi: sic enim quasi omnes intelligunt operationem; secundo autem fuit translatum ad formam, in quantum forma est principium operationis et finis ». Cf etiam De Jaegher, *o. c.,* n. 262.

similitudinem in alium (1) : ergo potentia activa, seu virtus agendi *ad extra,* maxime convenit Deo (2).

2. *Dei potentia est infinita.* *611. infinita,*

Quum potentia divina sit realiter idem ac essentia divina, quumque essentia divina sit intrinsece infinita (cf. suprà, n. 204), ideo potentia divina est infinita : nihil enim est aliud quam ipsa essentia quatenus est principium agendi *ad extra.*

Nota. Licet Deus sit infinite potens, non ideo *necessario* agit *ad extra :* Deus enim non nisi intellectu praelucente et voluntate agit *ad extra :* quum autem non necessario velit alia a se (cf. suprà, n. 436) ideo non necessario agit *ad extra,* sed libere tantum. Quapropter potentia divina est semper *in actu,* etiamsi non adsint *effectus* ejusdem. « Potentia Dei semper est conjuncta actui idest operationi (nam operatio est divina essentia); sed effectus sequuntur secundum imperium voluntatis et ordinem sapientiae. Unde non oportet quod semper sit conjuncta effectui, sicut nec quod creaturae fuerint ab aeterno » (3). *612. semper in actu, non necessario tamen producens effectus,*

3. Deus est *omnipotens, quatenus omnia intrinsece possibilia,* seu omnia quae habent rationem entis, sunt *objectum ejus virtutis agendi.* Nam « cum unumquodque agens agat sibi simile, unicuique potentiae activae correspondet possibile ut objectum proprium, secundum rationem illius actus in quo fundatur potentia activa... Esse autem divinum, super quod ratio potentiae divinae fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed praehabens in se totius esse perfectionem. *613. potens omnia possibilia.*

Unde quidquid habere potest rationem entis continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. — Nihil autem opponitur rationi entis nisi non ens. Hoc igitur repugnat rationi possibilis absoluti, quod subditur divinae potentiae, quod implicat in se esse et non esse simul. Hoc enim omnipotentiae non subditur, non propter defectum divinae potentiae; sed quia non potest habere rationem factibilis neque possibilis. Quaecumque igitur contradictionem non implicant, sub illis possibilibus continentur, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Ea vero quae contradictionem implicant, sub divina omnipotentia non continentur : quia non possunt habere rationem possibilium. Unde convenientius dicitur quod *non possunt fieri* quam quod *Deus non potest ea facere* » (4).

ULTERIOR EXPLICATIO.

1° « Potentia distinguitur : *activa* (werkensvermogen) *et passiva* (wordensvermogen). Activa est principium actus *alteri impertiendi;* passiva est *614. In Deo est solum potentia activa.*

(1) Non dico quod omnis substantialis natura debet habere potentiam sese reproducendi in alia suposita. Viventia corporalia reproducunt sese per generationem; angeli autem non possunt producere alios angelos. Sed potentia diffundendi suam similitudinem in alium est perfectio simplex *agendi,* adeoque formaliter et eminenter inesse debet in ente quod est universaliter perfectum in ratione *agendi,* quia est universaliter perfectum in ratione *essendi*

(2) Ita fere S. Thomas, *Sum. theol.,* I, Q. XXV, a. 1; legatur etiam S. THOMAS, *De Potentia,* Q. I, a. 1.

(3) S. THOMAS, *De Potentia,* Q. I, a. 1, ad 8. Inde refutatur ORIGENES, *De Principiis,* L. c. 2, n. 10, contendens Deum non esse actu omnipotentem nisi actu sint creaturae, in quas exercetur divina potentia. Cf. suprà, n. 473, p. 370, nota 4.

(4) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXV, a. 3.

principium actus *ab alio accipiendi* » (1). Potentia passiva seu capacitas recipiendae perfectionis, quum opponatur ipsi actui vel perfectioni, in Deo esse nequit, quippe qui est actus omnino purus. Potentia vero activa, quum sit ad perficere et actuare, de se dicit perfectionem, et ideo attribuitur Deo. De potentia activa *ad extra* hîc est sermo.

Sed apud creaturas, a quibus notionem potentiae activae accipimus, habetur aliqua imperfectio quae est a Deo removenda. Etenim in omni agente finito, *actio* seu *operatio* ejusdem realiter distinguitur tum a natura illius, seu principio *remoto quo* agit, tum etiam a principio *proximo quo* agit, et tale agens ipsum quoque actione sua actuatur et perficitur : « hinc potentia activa agentis finiti non est sine imperfectione, non quidem in quantum *activa,* sed in quantum *deficiens a puritate activitatis* » (2). E contrario, in Deo nulla est realis distinctio operationis et principii agendi, et ipsa Dei essentia est ejus actio.

615. quae est causa effectus producti ad extra, non actionis divinae;

2° Inde sequitur quod divina potentia non est realiter causa *actionis* divinae, sed *effectuum* a Deo productorum ad extra : in Deo enim nequit *produci* aliqua operatio, nec esse *processio* ad extra *per modum operationis.* Quum in creaturis ipsa *actio* sit media inter potentiam activam et effectum, in Deo tale medium non datur (3). « Cum Deus sit actus purus et perfectus, nulla in eo est potentia passiva, sed activa, non quidem ut distincta ab actu seu principium *actionis,* siquidem actio Dei est ejus essentia, sed ut principium *effectus* » (4).

Potentia igitur divina potest definiri : *Dei virtus causandi entia ad extra.*

616. quae dividitur in absolutam et ordinatam.

3° Distinctio inter potentiam Dei *ordinatam* et potentiam ejus *absolutam.*

Haec distinctio fit ratione *objectorum,* eorum nempe in quibus salvari potest ratio entis : inter quae triplex occurrit differentia. « Primo loco veniunt ea omnia quae in providentia sua praeordinavit Deus ut faceret, et haec dicitur posse *de potentia ordinata,* sic enim consideratur potentia ejus, in sensu compositi ordinis praestituti ab ejus sapientia et justa voluntate. — Secundo loco veniunt infinita alia, quae in praefato ordine non comprehenduntur, continentur tamen in aliis rerum ordinibus, quos Deus

---

(1) De Jaegher, *Institutiones philosophicae,* Rollarii, 1914, n. 265. — « Nomen *potentia* primo impositum est ad significandum *principium actionis;* sed secundo translatum est ad hoc ut illud etiam *quod recipit actionem agentis* potentiam habere dicatur: et hoc est potentia *passiva* ». S. Thomas, in I, Dist. XIII, Q. I, a. 1. Cf. *De Potentia,* Q. I, a. 1; *Summa contra Gentiles,* L. II, c. 6. — Ulterius distinctionem inter potentiam *passivam,* proprie dictam, et potentiam tantum *receptivam* ponit Capreolus, *in* I *Dist.* III, Q. III, a. 2: « Ad opera vitae est (anima) proprie in potentia passiva, quia potest transiri ad illa et esse sub illis, et sub privatione illorum Sed ad suas potentias (h. e. facultates operativas) non se habet in potentia nisi *receptiva,* et non *passiva,* proprie loquendo; sic quod nunquam potest esse sub talium potentiarum privatione, cum sint ejus naturales proprietates. Et eodem modo dicitur de essentia animae respectu sui esse ».

(2) De Jaegher, *o. c.,* l. c.

(3) « Igitur in Deo salvatur ratio potentiae quantum ad hoc quod est principium *effectus;* non autem quantum ad hoc quod est principium *actionis,* quae est divinae essentia. Nisi forte secundum modum intelligendi, prout divina essentia quae in se simpliciter praehabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest intelligi et sub ratione actionis et sub ratione potentiae, sicut etiam intelligitur et sub ratione suppositi habentis naturam et sub ratione naturae ». S. Thomas, I, Q. XXV, a. 1, ad 3. Cf. *Summa contra Gentiles,* L. II, c. 10.

(4) Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicae* in *Collat. Brug.,* t. VI, p. 165

potuisset juste et sapienter decernere, et haec dicitur posse *de potentia absoluta;* sic enim consideratur potentia, ut soluta a praestitutione ordinis qui de facto est in intellectu et voluntate Dei. — Tertio denique loco veniunt quaedam, quae etsi non constent pugnantibus et se invicem destruentibus notis, nihilominus sunt extra omnem ordinem juste et sapienter a Deo decernibilem, puta, quod divina Persona hypostatice uniatur naturae irrationali, quod sine propriis meritis creatura addicatur suppliciis aeternis atque alia ejusmodi. De his igitur non est dicendum quod sint in potentia absoluta Dei *simpliciter,* sed solum *sub conditione,* caeteroquin impossibili : puta, si ipse vellet, si hoc esset juste et sapienter decernibile, etc.; non enim est inconveniens ut in conditionali vera, antecedens sit impossibile, ut dicit S. Thomas, in III *Sent.,* Dist. I, Q. II, art. 3 » (1).

Igitur omnia quae fiunt in qualibet temporis differentia, sunt objectum *potentiae ordinatae;* omnia quae non fiunt sed possent fieri *simpliciter,* h. e., omnibus divinis perfectionibus consideratis, sunt objectum *potentiae absolutae simpliciter dictae;* omnia quae, entitative spectata, non sunt intrinsece repugnantia, sed tamen non compossibilia sunt cum perfectionibus divinis omnibus, sunt objectum potentiae absolutae *secundum quid* spectatae, *non* autem *potentiae absolutae simpliciter dictae.* Consequenter illa sunt *simpliciter non possibilia* (2).

617.

Nota. 1° Quidam auctores alio sensu explicant illam distinctionem. Secundum illos, potentia Dei absoluta est divina potentia considerata in se sola; potentia Dei ordinata est divina potentia quatenus operatur harmonice ad omnia Dei attributa et quasi moderatur sapientiâ, justitiâ ac bonitate. Talis explicatio, ut ex dictis patet, est inepta.

Quidam auctores absolutam vocant potentiam Dei in se consideratam et simul cum justitia stricte dicta; ordinatam vero potentiam harmonice consideratam cum sapientia, bonitate aliisque perfectionibus. Hanc porro applicant distinctionem ad quaestionem de possibilitate status naturae purae quoad homines : tenent proinde Deum potuisse *potentia absoluta* creare hominem in statu naturae purae, hoc non potuisse *potentia ordinata.* Talis explicatio ejusque applicatio omnino rejicienda est, non tamen haeretica videtur dicenda (3).

2° Alia explicatio sic traditur : « Potentia *absoluta* est potentia Dei quatenus operatur praeter ordinem rebus inditum, vel melius : *praeter leges communes ordinis tum naturalis tum supernaturalis;* potentia *ordinata,* quatenus operatur *secundum leges consuetas.* Ita e. g. potentia Dei absoluta resuscitavit Lazarum et causavit conversionem Pauli, potentia Dei ordinata facit singulis diebus solem oriri et justificat impios per sacramenta baptismi et poenitentiae. — Sed in hac explicatione melius distingueretur potentia *ordinaria* et *extraordinaria* » (4).

618. Potentia absoluta potest Deus facere alia quam ea quae fecit,

3° Deus, potentia absoluta, potest *a) alia facere quam quae fecit* et *b)* etiam *meliora quam quae fecit.*

a) « Nam ordo a divina sapientia rebus inditus... non adaequat divinam sapientiam sic ut divina sapientia limitetur ad hunc ordinem. Manifestum

(1) Card. BILLOT, *De Deo,* c. III, p. 332-s.
(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXV, a. 5 ad 1.
(3) Cf. JUNGMANN, *De Deo creatore,* n. 289, 293; PIGNATARO, *De Deo creatore,* thes. XLIV.
(4) VAN NOORT, *De Deo,* n. 119.

est autem quod tota ratio ordinis, quam sapiens rebus a se factis imponit a fine sumitur. Quando igitur finis est proportionatus rebus propter finem factis, sapientia facientis limitatur ad aliquem determinatum ordinem. Sed divina bonitas [h. e. perfectio divina, quae ut *communicanda ad extra* est finis cujuslibet ordinis rerum possibilis] est finis improportionaliter excedens res creatas. Unde divina sapientia non determinatur ad aliquem rerum ordinem [ita], ut non possit alius ordo affluere. Unde dicendum est simpliciter quod Deus [potentia absoluta] possit alia facere quam quae facit » (1).

619. etiam meliora.

b) Quoad alteram partem asserti (2).

a) quoad *essentialem* rerum bonitatem seu perfectionem, nequit Deus facere easdem, in eadem specie, meliores; v. gr. nequit facere ut aliquod ens sit melius vel perfectius *homo,* quoad essentiam humanam, quam id quod est homo : omnis enim mutatio in illa essentia esset mutatio essentialis et jam illud ens non esset homo.

β) Quoad *accidentales* perfectiones potest Deus unamquamque rem facere meliorem eà quam fecit.

γ) Qualibet re facta potest Deus facere aliam meliorem; v. gr., potest Deus facere angelum perfectiorem angelo qui, in praesenti rerum ordine, est perfectissimus. Omnia enim possibilia sunt objectum divinae potentiae.

δ) Quaedam tamen, ex formali suî ratione, conferunt rationali creaturae quamdam *dignitatem secundum quid infinitam,* qua nihil potest fieri melius : nempe humanitas Christi, ex hoc quod est *unita hypostatice Deo;* beata Virgo, ex hoc quod est *mater Dei;* creatura rationalis ex hoc quod, beatifica visione, *fruitur Deo,* habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus, et ex parte non potest aliquid fieri melius (3).

ε) Quod praesens universum attinet, positis istis rebus uti sunt, non potest esse melius propter decentissimum ordinem rebus inditum; nempe non possunt res melius ordinari ac disponi ad finem qui complexu praesenti rerum obtinendus est.

Sed posset Deus condere res meliores his quae nunc sunt, et meliores ordines condere ex quibus singulis resultet major Dei gloria.

620. Potentia, ut videtur, distinguitur formaliter ab intellectu, non a voluntate.

4° De modo quo potentia Dei distinguatur ab ejus intellectu et voluntate.

Quum in Deo tum essentia, tum esse, tum operari sint raliter unum, jam patet *potentiam,* divinam nec ab essentia, nec a qualibet divina perfectione *realiter* distingui.

Sed controversia est inter theologos utrum *potentia* divina distinguatur *secundum formalem rationem* ab intellectu et a voluntate, nempe utrum quemadmodum intellectus et voluntas, nostro intelligendi modo, formaliter distinguantur in Deo, ita

(1) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXV, a. 5.

(2) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. VI, p. 169 ss.; *Méditations théologiques,* t. I, p. 461 ss.; *Goddelijke beschouwingen,* bl. 521 vv.

(3) Ita S. THOMAS, l. c., a. 6, ad 4. — Notemus tamen diversos gradus perfectionis dari in visione intuitiva Dei et in consequente fruitione (cf. suprà, n. 305); sed illa visio et illa fruitio sunt, ex genere suo, summum. In unione hypostatica, in maternitate divina, nequeunt dari gradus diversi.

etiam potentia sit alia ratio formalis et concipienda sit tamquam tertia facultas operativa, nempe ut principium formaliter *exsecutivum ad extra.*

Censemus autem potentiam divinam, sc. Dei virtutem causandi res ad extra, secundum rationem formalem distingui ab *intellectu,* sed non a *voluntate.*

Quod ut probemus, consideremus oportet in Deo, secundum nostrum concipiendi modum, tria esse quibus operatur ad extra : intellectum, voluntatem, potentiam (1) — *Intellectus,* cujus propria operatio est formaliter *cognoscere,* h. e. in se apprehendere res, non est, ex sua formali ratione, causa immediate efficiens res, quia de se non tendit in res exteriores; sed est causa rerum ut *dirigens* operationem voluntatis et ut praebens *ideas* secundum quas producuntur res. Cf. suprà, n. 383. *Voluntas,* cujus operatio est formaliter *velle* bonum, tendit in res exteriores, et est causa rerum formaliter ut *imperans,* jubens, aliquid esse. — In Deo autem illud imperium, ut videtur, est per se solum *efficax,* quatenus Deo *volendo efficit* ad extra id quod vult: etenim haec perfectio, qua Ens infinitum *vult* ut aliquid sit, videtur ex seipsa sufficere ut res de facto sit : et sane actus voluntatis nostrae prout est volitio eorum quae sunt alia a se, jam habet ordinem ad res quae sunt extra; prout est imperium movens facultates ad operationem, jam est principium quoddam exsecutionis et productionis eorum effectuum, qui procedunt a facultate activa quae subest imperio voluntatis : inest proinde actui voluntatis quidam ordo et quaedam efficacia ad extra. Haec quidem efficacia, in voluntate finita, est limitata, et non nisi mediata; si vero actus voluntatis sit infinitae perfectionis, ejus efficacia erit quoque infinita, neque indigebit aliis viribus intermediis ad productionem effectus, sed *ex se* efficax erit (2). Igitur, ut videtur, nulla est concipienda in Deo potentia *mere exsecutiva,* secundum rationem formaliter distincta ab ipsa efficacia imperii divini : sed *potentia* divina est ipsa *efficacia* imperii divini; supra rationem imperii addit potentia aliquid, nempe *efficaciam* imperii : sed haec est ulterior explicatio naturae illius imperii, quia haec efficacia est proprietas imperii necessaria. Hoc confirmatur etiam sequenti consideratione: si concipienda foret in Deo aliqua facultas mere exsecutiva, secundum suam formalem rationem distincta a volitione divina, concipiendum foret fanc facultatem actuari quando de facto res producuntur ad extra : nempe, in hypothesi facta, Deus ab aeterno voluntate decrevisset res produci tali momento, sed facultas illa mere exsecutiva non ab aeterno, sed initio temporis tantum, nempe quando de facto res extra Deum exstiterunt, habuisset suam propriam efficaciam et suam actualitatem in Deo : jamvero ille modus concipiendi videtur incompossibilis cum perfectissima *immutabilitate* Dei. E contrario, salvatur perfecte immutabilitas Dei quando concipitur imperium Dei *ex sese* efficax: nempe Deus ab aeterno *vult* res fieri *tali momento, tali modo;* et ex hoc solo imperio *fiunt* res tali momento, tali modo (3).

621. Diversae sententiae.

Nota. Sententiam, quam propugnavimus, *forte veriorem* dicit Cajetanus (4), hancque defendunt Ferrariensis (5), Palmieri (6). Oppositam sententiam tuentur Durandus (7), Suarez (8), de Dorlodot (9).

622. De mente S. Thomae.

De mente S. Thomae disputatur: ipse explicite non ponit quaestionem circa quam praecise versatur controversia. In pluribus operum locis tradit divinae ad extra actionis esse tria principia, scilicet intellectum ut dirigentem, voluntatem ut imperantem, potentiam ut exsequentem, illaque non esse distincta secundum rem, sed solum secundum rationem (10); sed non explicat quomodo intelligat hanc distinctionem secundum rationem.

---

(1) Cf. S. THOMAS, *De potentia,* Q. I, a. 5.
(2) Ita PALMIERI, *De Deo creante et elevante,* Romae, 1888, Tbes. V, p. 64.
(3) Cf. MOLINA, *Commentarium in I P. Summe,* Q. XXV, a. 1, disp. 2.
(4) In *Sum. theol.,* I, Q. XXV, a. 1.
(5) *In Summam contra Gentiles,* L. II, c. 16.
(6) *O. c.,* Thes. V, n. IV.
(7) In I, Dist. XXXVIII, Q. I.
(8) *Disputationes metaphysicae,* disp. XXX, sect. XVII, n. 37 ss.
(9) *Quaestionum quodlibetalium duae priores,* Lovanii, 1903, p. 24 ss.
(10) Cf. In I *Sent.,* Dist. XLIV, Q. I, a. 1, ad 3; *De veritate,* Q. XXIII, a. 2, ad 3: *De Potentia,* Q. I, a. 5; *Sum. theol.,* I, Q. XIX, a. 4, ad 4, Q. XXV, a. 1, ad 4.

Ex altera parte, S. Thomas docet in Deo non esse nisi actiones *immanentes* et adjungit : « Hujusmodi autem non sunt nisi actiones *cognoscentis* et *appetentis*. Deus igitur *cognoscendo* et *volendo* agit et operatur (ad extra) » (1). Et alibi de eadem re loquens dicit « Ejus (h. e. Dei) *velle* est *ejus agere*· et hoc modo sunt res secundum quod Deus vult eas esse » (2). Praeterea explicite docet S. Thomas angelos *solo imperio voluntatis* suae movere corpora, ita ut ipsum imperium sit *efficax ad extra;* porro ratio hujus est quia in angelis nulla esse potest potentia nisi pertinens ad apprehensionem et appetitum intellectualem: et hoc est quia sunt puri spiritus. Si igitur S. Thomas tenet in angelo nullum esse potentiam seu facultatem operativam ad extra, distinctam ab angelica voluntate, quia angelus est purus spiritus, videtur dicendum S. Thomam non admittere ponendam esse in Deo facultatem mere exsecutivam secundum rationem adaequate distinctam a divina voluntate. Proinde videtur mentem S. Thomae potius conformem esse sententiae quam propugnamus.

En verba S. Thomae de angelis. « In angelo aut daemone, si incorporei ponantur, non est alia potentia neque operatio, nisi intellectus et voluntas: unde Dionysius dicit (cap IV de divinis Nominibus) quod intellectuales sunt omnes eorum substantiae, virtutes et operationes. Oportet enim quod virtus et operatio cujuslibet rei consequatur naturam ipsius. Angelus autem non est intellectus secundum suam partem, sicut anima; sed secundum suam totam naturam intellectualis est; unde nulla virtus seu potentia in Angelo potest esse nisi pertinens ad apprenhensionem vel appetitum intellectualem. Non autem est inconveniens quod angeli aliqua corpora *solo imperio voluntatis* moveant motu dumtaxat locali: videmus enim quod anima humana solo intellectu et voluntate movet corpus sibi unitum. Quanto autem aliqua substantia intellectualis est altior, tanto habet virtutem motivam magis universalem: unde substantia separata a corpore potest movere imperio voluntatis aliquod corpus non sibi unitum; et tanto magis, quanto substantia intellectualis fuerit altior... Est autem solius Dei proprium quod materia corporalis obediat ei ad nutum, quantum ad formarum susceptionem » (3).

CAPUT VI

DE BEATITUDINE DEI.

623. Deum esse infinite beatum est de fide,

PROPOSITIO. **Deus est infinite beatus.**

Haec assertio fuit explicite definita in Concilio Vaticano : « Sancta catholica apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum... intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui... praedicandus est... *in se et ex se beatissimus,* et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus » (4).

624. demonstratur: A) ex S. Script.,

Demonstratio.

A. EX S. SCRIPTURA.

Deus exhibetur ut in se beatus et tamquam causa beatitudinis hominum, qui redduntur felices participatione divinae beatitudinis. « Euge serve bone et fidelis... intra in gaudium Domini tui » *Matth.,* XXV, 23. — « Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam

(1) *Summa contra Gentiles,* L. II, c. 23.
(2) *Ibid.,* c. 31.
(3) *De Malo,* Q. XVI, a. 1 ad 14. Cf. *Quodlibet.* VI, a. 2; *Quodlibet.* IX. a. 10; *Sum. theol.,* I, Q. CX, a. 2 et 3.
(4) *Enchir.,* n. 1782.

meam in regno meo... » *Luc.*, XXII, 28-30. Igitur beati erunt Apostoli, quia intime et maxime consortes et participes erunt beatitatis et gloriae Christi quam Pater Filio suo destinavit. Porro beatitudo quam Deus Filio suo, ut homini destinavit, est participatio beatitudinis quae est Dei propria. A s. Paulo *beatus* dicitur Deus et haec beatitudo ut propria Dei exhibetur : « Quem [Christum] suis ostendet beatus et solus potens (*ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης*) Rex regum et Dominus dominantium : qui solus habet immortalitatem... » *1 Tim.* VI, 15 s.

Porro beatitudo Dei propria est, sicut quaelibet divina perfectio, summa, imo et infinita. Cf. suprà, n. 187, 202.

B. Ex Ratione. 625. B) *ex ratione.*

Beatitudo formalis seu subjectiva est perfecta possessio boni perfecti (1); atqui Deus in se et ex se bonum infinitum possidet infinita perfectione; ergo Deus est in se et ex se infinite beatus.

Declaratur *minor*. Deus est essentialiter infinitum bonum, porro semetipsum necessario cognoscit infinite seu comprehendit, infinite amat, necnon de semetipso cognito ac amato infinite fruitur.

Nota. Secundum s. Thomam, beatitudo consistit *essentialiter* in intellectu divino, scilicet in hoc quod Deus semetipsum cognoscit (2), ad quam cognitionem consequitur amor, et porro fruitio, quae est complacentia et quies voluntatis in fine adepto. 626.

Scholion. *In divina beatitudine includitur eminenter omne desiderabile secundum quod homines vere vel falso sunt felices* (3). 627.

Quum omnis beatitudo in *operatione* consistat, duplex distinguitur beatitudo: *contemplativa* et *activa*.

Beatitudo contemplativa seu vitae contemplativae consistit in intellectuali veritatis perceptione et consideratione ad quam connaturaliter sequitur fruitio; beatitudo vero activa seu vitae activae consistit in hoc quod operans cognoscendo bonum exercitii propriae activitatis, delectatur de hoc quod est agere ad extra. Tandem dantur, hac in terra, bona diversa quorum possessione homines delectantur. Sub hoc triplici aspectu eminens est beatitudo divina.

Etenim quoad *contemplativam* beatitudinem, habet Deus continuam et certissimam contemplationem sui et omnium aliorum, ergo omnis veri; quoad *activam*, gubernationem universi (cf. suprà, n. 525); quoad *terrenam*, quae consistit in voluptate (sensibili et rationali), divitiis, potestate, dignitate, fama, habet Deus : pro delectatione, gaudium de se et de omnibus aliis; pro divitiis, omnimodam sufficientiam quam divitiae promittunt; pro potestate, omnipotentiam; pro dignitate, omnium regimen, h. e. jus dominii in omnes res et jus regendi omnia; pro fama, admirationem totius creaturae.

---

(1) Cf. S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. XXVI, a. 1, I-II, Q. II, a. 8; *Collat. Brug.*, t. III p. 363, t. IV, p. 433, t. XIX, p. 316 ss.
(2) *Sum. theol.*, I, Q. XXVI, a. 2, I-II, Q. III, a. 4.
(3) S. Thomas, *o. c.*, I, Q. XXVI, a. 4.

Scholion practicum.

628. Postquam, in prima parte, exposueramus divinas perfectiones quae pertinent ad ipsam *essentiam* Dei, formaliter sumptam, verbum fecimus de utilitate considerandi illas perfectiones ad acquirendam perfectionem moralem, illamque promovendam in aliis : cf. suprà, n. 327-329. Idem valet, et quidem a fortiori, de attributis divinis quae formaliter ipsam *operationem* spectant et quae in secunda parte declaravimus. His enim magis elucet nobis infinita bonitas et excitatur erga Deum adoratio, admiratio ac laus, amor etc. S. Basilius, quaerendo : « quo affectu debeat quis servire Deo » respondet : « Bonum affectum [h. e. dispositionem habitualem, διάθεσιν] puto esse vehemens desiderium placendi Deo : quod sit et insatiabile et firmum et immutabile. Comparatur autem hoc *solerti et assidua contemplatione magnitudinis* [vel majestatis] *gloriae Dei,* itemque cogitationibus rectis et continua recordatione concessorum nobis a Deo bonorum » (1).

Illa contemplatio est supernaturalis, quatenus saltem fide divina nititur et in ipsa fide exercetur : potest etiam obtineri charismate superaddito, quo speciali modo intellectus humanus in cognoscendo elevatur ad Deum (2).

Contemplationi nedum noceat, contrà favet scientia theologica, quippe quae impedimenta, nempe obscuras notiones, dubia, errores removet; veritates a Deo revelatas explicat ac evolvit; spiritum fidei nutrit.

629. Utile nobis visum est hîc brevi compendio operativas perfectiones colligere :

Deus, quum sit ipsum Esse subsistens est etiam subsistens *vivere :* vita infinite intensa ac immutabili **vivit :**

intelligendo: semetipsum comprehendit et in se cognito perspicit omnia quaecumque rationem entis habere queant;

volendo, semetipsum diligit amore necessario; rectitudinem autem amoris erga Infinitum Bonum formaliter vult, adeoque est formaliter SANCTUS; licet nihil extra vel praeter illum amorem possit velle, potest tamen suam bonitatem aliis communicare velle. Quod et fecit **eligendo** unum rerum ordinem ex omnibus possibilibus. Cujus *finis* est determinata mensura gloriae extrinsecae Dei; ad quem omnia omnino ordinantur *providentia* infallibili, secundum quam intellectuales creaturae aliae *praedestinantur* et transmittuntur in consecutionem beatitudinis aeternae, aliae *reprobantur* et aeterno supplicio addicuntur.

Operando ad extra: Deus POTENTIA, entitative infinita, limitatum entium finitorum complexum facit existere, res conservat in essendo, movet ad

(1) *Regulae brevius tractatae,* reg. 157, P. G., t. XXXI, col. 118 s.

(2) Cf. suprà, n. 283. — Oratio mentalis, sive meditatio, sive contemplatio, alimentum esse debet vitae interioris; haec porro est activitas, a qua proficiscatur et reguletur oportet externus labor in salutem animarum. Haec veritas egregie tractatur a D. CHAUTARD, *L'âme de tout apostolat,* Paris, 1914.

operandum : omnia dirigit in finem, *gubernatione* quae est exsecutio perfecta providentiae;

fruendo de semetipso possesso a semetipso; deque communicata sapientissime necnon benignissime bonitate sua, adaequate BEATUS est Deus.

Adoremus igitur Jehovah, plene scilicet subjicientes nosmetipsos ad agnitam ejus excellentiam; laudemus illum, verbis et signis exprimentes nostrae admirationis ac subjectionis testimonium. — Qualis autem est, talem adoremus ac laudemus : statuentem nempe ab aeterno divinum decretum, quo praedefinivit omnia, quod est ineffabilis benignitatis ac sanctitatis sequela Huic ergo decreto submittamus nos ex amore perfecto erga infinitam Dei perfectionem, ut voluntarie indifferentes ad omnia, unice Deum amemus et quae ipsi sunt placita velimus ac perficiamus, pleni caeteroquin filiali fiducia in Deum cui, quum omnisciens sit, beneficus et omnipotens, cura est de nobis (1).

---

(1) Permulti citari possent auctores qui de divinis perfectionibus scripserunt eo scopo ut in lectorum animabus excitarent amorem erga Deum, obsequium et famulatum. Quidam hîc indicantur :

S. ANSELMUS, *Monologion;* S. BERNARDUS. *De consideratione,* L. V; S. BONAVENTURA, *Itinerarium mentis in Deum;* VEN. P. DE PONTE, *Meditationes,* P. VI[a] (Hujus operis existit optimum *Compendium Meditationum*); S. FRANÇOIS DE SALES, *Traité de l'amour de Dieu,* praesertim L. II, VIII-IX; LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis;* NIEREMBERG, *La beauté de Dieu;* BOSSUET, *Elevations sur les mystères,* 1[e] semaine; DE CAUSSADE, *L'abandon à la Providence divine;* MONSABRÉ, *Etre, perfections, vie de Dieu,* Carême 1874; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicae.*

LIBER SECUNDUS

De Deo trino secundum personas

LIBER SECUNDUS

De Deo trino secundum personas

Prooemium.

630. Trinitas est mysterium stricte dictum, quod ratione humana potest aliquatenus explicari et quod perficit naturalem de Deo scientiam;

1. Hucusque consideravimus Deum quatenus est unus in essentia et inquisivimus perfectionem divinam tum in essendo tum in operando. Quum theologicus fuerit tractatus noster, veritates expositas desumpsimus ex fontibus divinae Revelationis, easque rationis naturalis principiis explicuimus, ac etiam demonstravimus, quia tales sunt quas ex cognitis creaturis naturali intellectus nostri ratiocinio detegere valemus et inferre.

Nunc autem ingredimur *novum ordinem cognitionis* (1), cujus objectum est mysterium stricte dictum, et cujus principium subjectivum est fides : eatenus enim Trinitatem divinam cognoscere possumus, quatenus eam, tamquam a Deo revelatam, credimus. Attamen ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysterii intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur : tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum nexu inter se. Praeterea conclusiones quasdam ex veritatibus formaliter revelatis ratio deducit; porro inter illa omnia cognoscibilia logicum ordinem statuit. Tandem etiam commodum ex fide praebetur intellectui naturaliter operanti, quum ab errore praeservetur et magis perspiciat notiones quasdam : sane, absque divina revelatione, proni essent homines ut concluderent naturam divinam esse omnino idem ac personam, unicamque esse in Deo personam sicut unica est in ipso natura; fide autem immunis redditur ratio a tali falso judicio et distinctio elucet naturam inter et personam, naturam inter et relationes, etc. Denique ea, quae naturali rationis lumine sciuntur de Deo, profundius intelliguntur ex revelata Trinitate : ex hac enim cognita, completur nobis notitia de intellectione et volitione divina, deque aliis perfectionibus quae propriae sunt illarum vitalium operationum.

631. quod nobis revelatur primario doctrina Christi, relata in Evangeliis.

2. Quum solus Deus possit nobis manifestare divinam Trinitatem, quumque duo sint, quoad nos, fontes Revelationis, scilicet S. Scriptura et Traditio, ex his hauriemus argumenta quae patefaciunt existentiam Trinitatis.

In libris S. Scripturae Veteris Testamenti, nec explicite, nec formaliter implicite, continetur Trinitatis expressio.

(1) Cf. *Conc. Vatic.*, Sess. III, Const. de fide catholica, c. 4, *Enchir.*, n 1795 ss.

Quoad Novum Testamentum, occurrit aliquid praenotandum ut distincte perspiciatur modus et valor demonstrationis.

Si de possibilitate revelationis Trinitatis agitur, haec potuerit fieri vel ab ipso Christo, quum hac in terra degeret usque in diem qua assumptus est in coelum, vel a Spiritu sancto docente post Christi Ascensionem usque ad mortem ultimi Apostoli. Quoad formalem rationem τοῦ esse *revelati,* indifferens est utrum res fuerit dicta ab ipso Christo an a Deo post illius Ascensionem; etiam indifferens est utrum inveniatur in Evangeliis an in aliis scriptis inspiratis, formaliter consideratis ut *inspiratis* a Deo. Sed aliter dijudicandum est si quis velit distincte argumenta exhibere et historiam revelationis Trinitatis indicare : tunc seorsim ponendum erit id quod Christus ipse docuit, id quod apostoli, nominatim Paulus et Joannes, docuerunt.

Ipsius porro Christi doctrina nobis praesertim innotescit ex Evangeliis, quae *historice referunt* seu *testificantur* ea quae Christus fecit et docuit. Semel admisso valore historico quatuor Evangeliorum, indifferens est ad Christi doctrinam statuendam, utrum testimonia, quae adhibentur, inveniantur apud synopticos, uti dicitur, an apud Joannem, quatenus hic refert ea quae locutus est Christus (1). Etenim valor historicus evangeliorum hoc importat quod, quae tamquam a Christo dicta vel facta referuntur ab Evangelista, ea realiter, saltem *quoad substantiam dicti vel facti,* fuerunt a Christo dicta vel facta (2). Inde si aliquis Evangelista refert, ut a Christo prolata, verba, quibus continetur SS. Trinitatis manifestatio, hanc a Christo revelatam fuisse tenendum est. Doctrinam Christi de illa re infrà exponemus.

632. Summus Pontifex Leo XIII, in encyclica « Providentissimus Deus », data 18 Nov. 1893, antiquam et constantem fidem Ecclesiae quod *Deus est auctor S. Scripturae,* ita explicat : « Nam supernaturali ipse [Deus] virtute ita eos [scriptores inspiratos] ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse juberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae » (3).

Jamvero evangelistae non recte mente concepissent doctrinam Christi, si tamquam a Christo edoctum traderent id (puta mysterium SS. Trinitatis, vel divinitatem Christi) quod ille revera non dixit, etiamsi hoc esset verum; nec Christi doctrinam apte infallibili veritate exprimerent, si in ore illius verba ponerent quae exprimunt ea quae Christus non intendit significare.

Haec diximus ut constet *a*) recte agere illum qui Christi historici doctrinam haurit ex sermonibus quos, ut habitos a Christo, refert S. Joannes; *b*) etiam non novam periodum Revelationis, objective sumptae, agnoscendam esse in sermonibus Christi relatis a S. Joanne, ac si per Joannem, non autem per ipsum Christum, Deus manifestasset veritates, quae illis sermonibus continentur.

633. Tractatus divisio. 3. Materiam nobis exponendam dividimus in tres sectiones : *prima* tradit demonstrationem ipsius dogmatis, quoad ejus substantiam, nempe existere in unico Deo tres Personas divinas realiter ab invicem distinctas; *secunda*

(1) Ad historicam narrationem de vita et doctrina Christi non pertinent prologus quarti evangelii, nec alia, quae tamquam propriam sententiam, inseruerit Joannes.

(2) Cf. LEPIN, *Valeur historique du quatrième Evangile,* Paris, 1910; ID., ap. d'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* art. *Evangiles canoniques,* col. 1694 ss.

(3) *Enchir.,* n. 1952; *Collat Brug.,* t. VIII, p. 314.

exhibet ulteriorem illius dogmatis explicationem : in hac sectione plures continentur veritates, quae licet ad ipsam fidem pertineant, tamen habentur ut *logice* consequentes ad ipsam substantiam dogmatis adeoque ut explicatio ejusdem; praeterea, in eadem sectione, etiam ostenditur mysterium ejusque legitimam expositionem non esse opposita naturali rationi, eo fine ut ab impugnatione infidelium defendantur; *tertia* enucleat quomodo praedictum mysterium se habeat ad naturalem rationem et qualis esse debeat modus loquendi de SS. Trinitate.

SECTIO PRIMA

Ipsum dogma SS. Trinitatis revelatum ostenditur (1).

634. Licet Scriptura nec vocem personae de Deo usurpet, nec nomen trinitatis adhibeat, nec a fortiori unquam ipsissimis verbis dicat esse unum Deum in tribus personis distinctis, ipsa tamen doctrina catholica in N. T. certo et clare continetur et in V. T. saltem aliquatenus innuitur.

Catholica doctrina exprimitur hac propositione : *In unico vero Deo sunt tres personae realiter ab invicem distinctae,* scilicet *Pater, ejus Filius* et *Spiritus Sanctus ab utroque procedens.*

In hac propositione, vocabulum *persona* nihil aliud significat quam individuum subsistens in intellectuali natura, proindeque exprimit clare distinctionem realem trium subsistentium in divina natura. Postea erit explicandum quo modo hoc verificetur. SS. Trinitatis existentiam demonstrabimus primo ex *S. Scriptura;* deinde ex *Traditione.*

CAPUT I

SS. TRINITATIS EXISTENTIA EX S. SCRIPTURA.

ARTICULUS Ius. **Testimonia N. T. de tribus personis singillatim sumptis.**

§ I.

Doctrina Christi.

635. *Doctrina christi:* A) *de Patre*

A. De Patre.

Christus eum, qui unicus Deus est (cf. suprà, n. 254), vocat *Patrem* (2); sed in quibusdam assertis, hoc vocabulo significat specialem omnino, imo

---

(1) Hac in parte utimur praesertim operibus sequentibus: VAN NOORT, *De Deo uno et trino,* p. 112 ss.; POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik,* t. I, p. 254 ss.

(2) « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est ». *Matth.,* V. 16. « Orate pro persequentibus vos... ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. ID., V. 45. « Clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi... Scit pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum ». ID., VI, 6-8. « Respicite volatilia coeli... pater vester coelestis pascit illa ». ID., VI, 26. Hisce dictis Christus Deum vocat *patrem* et quidem respectu hominum: metaphorice, sed recte, Deus dicitur *pater* propter beneficentiam, quam exercet erga illos, nominatim creando, seu dando vitam, eamque conservando, et gubernando homines. — Speciali ratione Deus dicitur pater propter dona supernaturalia quae concessit hominibus, quatenus illis largitus est vitam *supernaturalem,* et per illam ducit illos ad finem supernaturalem: hoc dono homines fiunt *filii adoptivi* Dei. Cf. *Jo.* I, 12, *Gal.* IV, 4; *Rom.* VIII, 15.

Hoc autem notandum quod Christus nunquam Patrem *nostrum* vocat Deum, quando loquitur de semetipso ac de hominibus, adeoque nunquam innuit, sed potius excludit, eamdem generice relationem ad Deum esse communem ipsi et aliis hominibus. Praeterea pluribus in locis Christus sibi attribuit specialem respectu Dei conditionem, qua omnes creaturas superat. Cf. *Marc.* XIII, 32; LEPIN, *Jésus, Messie* et *Fils de Dieu,* 267 ss.; *Civiltà catholica,* 1904, t. IV, p. 17, 160.

sibi unice propriam conditionem, quae consistit in naturali filiatione : in ipsa igitur unica divina natura existit ille qui vere est Pater, respectu alterius qui, in eadem natura, est Filius. Ut hoc autem demonstretur, ostendatur necesse est existere in Deo alteram personam, quae, respectu illius qui dicitur Pater, est realiter et proprie filius. Inde statim adducenda sunt testimonia quae secundae Personae existentiam nobis manifestant.

B. **De Filio.**

636. B) *de Filio,*

1. Christus, docet aequalitatem cognitionis inter Patrem (Deum) et Filium simul ac naturalem filiationem Filii respectu Patris, qui Deus est.

« Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae : quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis... Et nemo novit (*ἐπιγινώσκει*) Filium (*τὸν υἱὸν*) nisi Pater (*ὁ πατήρ*); neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare ». *Matth.* XI, 25-27 (1).

His verbis docetur : *a*) Pater, qui Deus est, solus perfecte cognoscit Filium suum; hic Filius solus perfecte cognoscit Patrem suum. *b*) Haec perfecta in utroque cognitio mutua habetur praecise quia unus est pater alterius, alter vero filius alterius; hoc constat ex parallelismo verborum et confirmatur exemplo hoc : si diceretur : « Nemo tam dilexit Deum quam mater Dei, nec quemquam tam dilexit Deus quam matrem suam » intelligeretur singularis illius amoris mutui rationem esse praecise quia una persona est mater Dei, altera vero filius ejus. *c*) Datur ergo cognitio perfecta et mutua, omnino incommunicabilis creaturis in Deo Patre erga Filium et in Filio erga Patrem, et hoc, quia Deus est Pater et quia Filius est hujus Patris Filius. *d*) Haec cognitio, quae Filio inest, est in eodem ordine ac cognitio quae Patri inest, imo est aequalis illi, adeoque divina : haec porro perfectio supponit in Filio naturam seu essentiam divinam : ergo in essentia divina existit Filius, qui, ratione illius filiationis, perfecte cognoscit Patrem, a quo realiter distinguitur; et in essentia divina existit Pater, qui, ratione illius paternitatis, perfecte cognoscit Filium, a quo realiter distinguitur. — Praeterea in textu citato attribuitur Filio potentia ac providentia a qua dependet revelatio facta hominibus de Deo, prouti hic est in semetipso : illa potentia ac providentia soli Deo convenit.

2. Christus homo, dum degebat hac in terra, docuit in se haberi *naturam divinam,* secundum quam *praeexistit* prius quam erat mundus, secundum quam est *Filius Dei* et proinde realiter distinctus a Patre, *aequaliter* ac Deus Pater *operatur,* et secundum quam est *unum quid* cum Deo Patre, necnon Deus Pater est in ipso et ipse in Patre.

En textus praecipui :

a) « Antequam Abraham fieret, ego sum » *Jo.* VIII, 58. « Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te ». ID., XVIII, 5.

(1) Cf. *Collat. Brug.,* 1923, t. XXIII, p. 390 ss.

b) Originem a Patre, distinctam a suo adventu in hunc mundum, explicat Christus : « Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo... Sic... Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret... Exivi a Patre et veni in mundum (1)... » *Jo.*, III, 13, 16, XVI, 28.

c) « Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur et ego operor. Propterea ergo magis quaerebant eum Judaei interficere : quia non solum solvebat sabbatum sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus et dixit eis : Amen, amen dico vobis : Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit... Sicut pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat ». *Jo.*, V, 17 ss. Hîc docetur : potentia Filii est aequalis ac potentia Patris Dei, imo operatio Filii aequaliter ac operatio Patris terminatur ad omnia ad quae terminatur operatio Patris. Sed Filius, praecise quia Filius, non alia operari potest quam ea quae Pater operatur. Illa potentia ac ratio operandi supponit *divinam naturam* esse *et* in Filio *et* in Patre.

d) « Dicebant ei Judaei..., si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus : loquor [εἶπον] vobis, et non creditis. Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me... Ego vitam aeternam do eis [ovibus meis] : et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est : et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus [ἕν εσμεν]. Sustulerunt ergo lapides Judaei ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Judaei : de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Respondit eis Jesus : nonne scriptum est in lege vestra : quia Ego dixi : dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre [ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί] (2) ». *Jo.* X, 24-38.

637.
C) *de Spiritu Sancto.*

C. De Spiritu Sancto.

Christus docet esse in Deo aliam personam, realiter distinctam a Patre et a Filio, quae est vere Deus et originem habet a Patre et a Filio. Praecipui

(1) Cf. KNABENBAUER, *Comment. in Evangelium Joannis*, p. 482.

(2) Ne putes, Christum allegando verba: « Dii estis vos » (utique in sensu improprio), effatum suum « Ego et Pater unum sumus » ad sensum improprium emollivisse. Christus, ut furorem Judaeorum nonnihil sedaret, ita arguebat : Nolite statim incalescere audito praedicato « deus » . mementote ipsam Scripturam judices vestros deos vocare! Perpendite igitur : si homines auctoritate divina praediti jam aliquo sensu dii vocari merentur, nonne ille, qui sua virtute opera divina perficit, alio sensu, eoque proprio, nomen Dei meretur? Hinc concludit, primum effatum « *Ego et Pater unum sumus* » sub alia forma repetendo :*Pater in me est et ego in Patre.* » Ita VAN NOORT, *o. c.*, p. 114b.

textus, quibus illa doctrina exprimitur, sunt sequentes quos simul collectos hîc ponimus :

« Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis (γινώσκετε = cognoscitis) eum : quia apud vos manebit (μένει = manet) et in vobis erit ». *Jo.* XIV, 16-19.

« Haec locutus sum vobis apud vos manens : Paraclitus autem Spiritus Sanctus (ὁ δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον), quem mittet Pater in nomine meo, ille (ἐκεῖνος) vos docebit omnia et suggeret (ὑπομνήσει) vobis omnia, quaecumque dixero vobis ». ID., *ib.*, 25-26.

« Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (ὅ παρα του πατρος ἐκπορεύεται), ille (ἐκεῖνος) testimonium perhibebit de me : et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis ». ID., XV, 26-27.

« Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam [ad Patrem] : si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio... Adhuc multa habeo vobis dicere : sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso : sed quaecumque audiet, loquetur, et quae ventura sunt (τὰ ἐρχόμενα) annunciabit vobis. Ille me clarificabit quia de meo accipiet et annunciabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : Quia de meo accipiet (ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει) et annunciabit vobis ». ID., XVI, 7-15.

His in textibus : *a*) nomine *Spiritus Sanctus* designatur *persona,* non aliqua virtus, aut habitus, aut accidens quodcumque. Imprimis licet vocabulum τό πνεῦμα sit neutrum, adhibetur pronomen masculinum ἐκεῖνος ad designandum Spiritum Sanctum (1).

Deinde vocabulum *paraclitus,* sive *advocatum* sive *consolatorem* significet, *personam* describit, exhibens operationem quae personae propria est; *personae* operatio est docere, in memoriam revocare, testimonium reddere. Tandem eadem ratione ac Filius est persona etiam Spiritus : « Et ego rogabo Patrem et *alium Paraclitum* dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis » *Jo.*, XIV, 16.

b) Spiritus Sanctus est persona realiter distincta a Patre et a Filio : nam procedit (εκπορεύεται = exit) a Patre, mittitur a Patre; est alius a Filio, mittitur in nomine Filii, imo mittitur ab ipso Filio : « Cum autem

(1) « On remarque d'abord que, malgré la proximité du nom neutre, τό πνεῦμα, saint Jean se sert toujours du pronom masculin, ἐκεῖνος pour désigner le Saint-Esprit (*Jo.*, XIV, 26; XV, 26; XVI, 13, 14). Le prologue [de l'évangile] suggérait une remarque analogue a propos du substantif τό φῶς employé pour désigner le Verbe, et du pronom ἐκεῖνος qui s'y rapporte : dans ces deux cas, saint Jean perd de vue le terme grammatical qu'il a choisi et ne voit que la personne qu'il décrit ». LEBRETON, *Les origines du dogme de la Trinité,* p. 423.

venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille (ἐκεῖνος) testimonium perhibebit de me » *Jo.* XV, 26.

c) Ille Spiritus Sanctus est vere Deus : « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro » *Matth.*, XII, 31-32.

Ut possit esse blasphemia contra Spiritum Sanctum, oportet ut hic sit Deus. Tandem divinitas eodem modo convenire Spiritui Sancto ac Patri et Filio asseritur in formula : « Baptizantes eos in nomine Patris ac Filii et Spiritus Sancti » *Matth.*, XXVIII, 19, ut infra explicabitur.

d) In Deo (qui unicus est), Spiritus originem habet a Patre : nam Spiritus veritatis exit a Patre. Idem Spiritus etiam a Filio habet originem : nam a Filio accipit cognitionem; cognitio autem in Deo est idem ac natura divina : de Filio igitur habet Spiritus naturam divinam. Ratio illius originis explicatur a Christo his verbis : « Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : Quia de meo accipiet (λαμβάνει = accipit) » *Jo.* XVI, 15 : omnis divina perfectio Patris est etiam Filii, *ideo a Filio* habet Spiritus perfectionem divinam : igitur a Filio orginem habet Spiritus Sanctus, seu procedit a Filio.

§ II.

Doctrina Scriptorum Inspiratorum.

638. Doctrina Scriptorum inspiratorum: A) de Patre,

A. De Patre.

Unicus Deus (1 *Cor.* VIII, 4) saepe vocatur Pater propter multiplicia bona quae ex amore largitus est ac largitur (1); sed etiam speciali ratione dicitur : Deus et Pater D. N. J. C. (*ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν...*) : *Rom.*, XV, 6; 2 *Cor.*, I, 3, XI, 31; *Ephes.*, I, 3. Etiam sanctus Petrus : « Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum... Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite » 2 *Petr.*, I, 17.

639. B) de Filio,

B. De Filio.

1. Ille cujus Deus speciali omnino ratione dicitur Pater, est vere hujus Filius secundum divinam naturam et in hoc natura.

« At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum... ». *Gal.*, IV, 4 (2). Hic *proprius* Filius Dei (*Rom.*, VIII, 32), factus [homo] ex muliere

(1) Cf. PRAT, *Théologie de Saint Paul*, t. II, p. 205 ss.

(2) « Dieu ne le constitue pas Fils en l'envoyant — ce qui est absurde — il l'envoie parce qu'il est Fils. C'est *le* Fils par antonomase, ou encore *le* Fils de Dieu, son *propre* Fils, le Fils de son amour (*Rom.*, I, 3-9, v. 10, VIII, 29; 1 *Cor.*, I, 9; 2 *Cor.*, I, 19; *Gal.* I, 16, II, 20, IV, 4-6; *Ephes.* IV, 13, 1 *Thess.*, I, 10): Il faut donc qu'il soit Fils d'une manière toute différente de notre filiation adoptive, imparfaite et participée, qu'il le soit à un titre spécial et incommunicable, qu'il le soit par nature et d'un droit inaliénable, bien qu'il puisse dans un sens inférieur et analogique se donner des frères adoptifs, s'adjoindre des cohéritiers et mériter ainsi le nom de *Premier-né entre plusieurs frères* (*Rom.*, VIII, 29) ». PRAT, *o. c.*, p. 209.

(*Gal.*, IV, 4) factus secundum carnem ex semine David (*Rom.*, I, 3) est vere Deus : erat enim in forma Dei et aequalis Deo quum accepit formam hominis (*Philip.* II, 5) (1); inde explicite Deus dicitur, *Tit.*, .!, 12, *Rom.*, IX, 5. — Ejusdem origo a Patre exhibetur ita ut Filius sit imago Dei invisibilis, (*Col.* I, 15) : haec ratio convenit Filio secundum divinam naturam : nam asserit ibi Paulus in Filio omnia esse creata; per ipsum et in ipsum omnia esse producta, tandem omnia in ipso constare h. e. virtute ipsius, conservari omnia in existendo. — Filii divinitas iterum asseritur *Hebr.*, I, 1-14 et ibi origo ejus exhibetur ita ut Filius sit *splendor* (ἀπαύγασμα) gloriae Dei et *figura* (χαρακτήρ) substantiae divinae : ἀπαύγασμα significat formaliter *terminum* actionis quae est splendere, nempe imaginem vel lumen emissum, χαρακτηρ significat hîc notam divinae substantiae impressam in aliquo, iterum ergo Filius dicitur imago Dei expressa (2).

In allatis textibus constat exprimi hanc doctrinam quod in unico Deo est Pater, a quo realiter distinctus est Filius qui et ipse in natura divina existit et in se subsistit, adeoque est Persona divina realiter distincta ab alia Persona divina, quae est Pater.

2. Idem docetur in prologo evangelii Joannis : « In principio erat Verbum (ο λογος) et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum καὶ ολόγος ἦν προς τον Θέον, καί Θεος [absque articulo] ἦν ὁ λόγος). Hoc erat in principio apud Deum (τὸν Θεόν). Omnia per ipsum facta sunt... Et verbum caro factum est et habitavit in nobis... Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit » *Jo.*, I, 1-18. His declaratur Verbum esse Deum ac ut distincte in se subsistens esse *apud Deum*, nempe apud aliquem qui est et ipse Deus : hic autem est Pater : nam relate ad illum, Verbum est Filius unigenitus qui requiescit reclinatus in sinum Patris.

C. De Spiritu Sancto.

640.
C) *de Spiritu.*

a) Licet nomen *Spiritus* habeat in N. T. diversas significationes, designat tamen specialiter aliquam *personam*. S. Paulus, loquens de charismatibus quae *Deus* elargitur christianis, dicit : « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus... Et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus... (sequitur enumeratio diversorum charismatum). Haec autem omnia operatur *unus* atque *idem Spiritus* (τὸ ἕν καὶ τὸ αὐτο πνεῦμα) dividens singulis *prout vult* » 1 *Cor.*, XII, 4-11. — « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos *Spiritus Sanctus posuit episcopos*

(1) Indubium est asseri in illo textu divinitatem Christi, Chistus autem, quatenus est Deus, realiter distinguitur a Patre, qui etiam Deus est. Interpretes diversas sententias proponunt, quibus explicent vocabulum *forma*. Cf. PRAT, *o. c.*, t. I, p. 442; t. II, p. 186; *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 490 ss.

(2) Cf. PRAT, *o. c.*, t. I, p. 520 ss. Apposite BEELEN, *Het nieuwe Testament*, B. III, bl. 111, n. 2: « De *heerlijkheid* des Vaders is de vereeniging van al zijne luisterrijke volmaaktheden, en die heerlijkheid is hier gedacht onder het zinnebeeld van licht: de Zoon is de *glans* van dit licht, en derhalve van dezelfde natuur als het licht, en zelf licht: *licht van licht* gelijk de Kerkvergadering van Nicea God den Zoon in hare geloofsbelijdenis genoemd heeft. Hij is het afbeeldsel (liever, naar het Grieksch: *het afdruksel*, het uitgedrukte beeld) van het *wezen* of de natuur zijns Vaders, en derhalve van één en dezelfde goddelijke natuur met den Vader: *God van God*, gelijk hij in die zelfde geloofsbelijdenis genoemd wordt ».

regere ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo » *Act.* XX, 28. — « Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate *mihi* Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos » *Ib.*, XIII, 2.

His textibus attribuitur Spiritui Sancto *personalis* operatio, nempe operatio alicujus qui intellectu et propria voluntate agit.

b) Illa persona est vere *Deus :* « Nobis autem revelavit [aeternam beatitudinem] Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est ». 1 *Cor.*, II, 10-12 (1). His verbis asseritur divinitas Spiritus Sancti, quatenus illi attribuitur divina scientia, physica existentia in ipso Deo et origo ex Deo. — Spiritus ejusdem divinitas simul ac personalitas asseritur ex divina operatione ejus in nos et ex effectu in nobis producto: « Vos [h. e. justificati] autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est : corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis : qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis ». *Rom.* VIII, 9-11. Ille qui suscitavit Jesum a mortuis est ipse Deus, proinde ejus Spiritus est Deus. Praeterea aequivalenter dicitur habitatio Dei et habitatio Spiritus ad designandam specialem Dei praesentiam in justis: « Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis »? 1 *Cor.* III, 16. Tandem in declaranda malitia mendacii, quatenus hoc est inordinatum coram Deo, aequivalenter dicit sanctus Petrus : *Deus* et *Spiritus sanctus : Act.*, V, 3-4.

c) Deus igitur qui et quatenus designatur nomine *Spiritus Sanctus* est *persona* uti vidimus statim sub *a*); praeterea personalitas elucet in hoc quod dicitur inhabitare in justis (*Rom.*, VIII, 9-11, 1 *Cor.*, III, 16) : inhabitatio enim Dei in anima non aliter concipi potest quam de illo qui ut persona habetur. Deinde illa Persona divina est alia a Persona divina quae est Filius : nam illa dicitur *Spiritus Christi* (*Rom.*, VIII, 9) inhabitans in justis; dicitur *Spiritus Filii* (Dei) et qua talis mittitur in justos, porro in hac missione distinguitur a Filio qui etiam mittitur: « At ubi venit plenitudo temporis *misit* Deus *Filium suum*... ut eos qui sub lege erant, redimeret,

(1) « Trois vérités découlent de ce texte. L'Esprit de Dieu est *seul* capable de révéler les secrets de Dieu, parce que *seul* il scrute les profondeurs de Dieu: il n'appartient donc pas à la catégorie des êtres créés; possédant l'omniscience, attribut essentiellement divin, il faut qu'il soit Dieu même. L'esprit de Dieu est à Dieu ce que l'esprit de l'homme est à l'homme; or, non seulement l'esprit de l'homme est en l'homme, mais c'est quelque chose de l'homme; donc l'esprit de Dieu est en Dieu et c'est quelque chose de Dieu. Enfin l'Esprit de Dieu est aussi l'Esprit qui vient de Dieu (τό ἐκ Θεοῦ), qui procède de Dieu et qui est envoyé par lui ». PRAT, *o. c.*, t. II, p. 212 s. Quoad solvendas difficultates quae moventur contra hoc quod in illo textu Spiritus sit *persona* divina, cf. CACCIA, in *Scuola cattolica*, 1911, t. XXI, p. 170, 532.

ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, *misit* Deus *Spiritum Filii* sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater ». *Gal.* IV, 4-6. Hîc ergo designantur tres divinae Personae : Deus, qui mittit *Filium* suum, est Pater respectu ejusdem ac realiter distinctus a Filio; praeterea iterum quà *mittens* realiter distinguitur a misso. Deinde idem Deus, Pater, mittit Spiritum Filii sui: hic Spiritus realiter distinguitur a Filio et etiam a Patre qui mittit illum (1). — Tandem realis distinctio Spiritus Sancti a Filio et a Patre clare exprimitur in his textibus, quibus sermo est de tribus Personis divinis simul consideratis.

ARTICULUS IIus. **Testimonia N. T. de tribus personis simul consideratis.**

§ I.

Doctrina Christi.

641. Textus de tribus Personis ex sermone Christi;

1. « Euntes docete [*μαθητεύσατε* = discipulos facite] omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*εἰς το ὄνομα του πατρος, καὶ του υἱοὺ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος*) ». *Matth.*, XXVIII, 19 (2).

Si ille textus seorsim consideratur, apparet in illo agi de *Deo :* etenim baptismus est ritus sacer, quo homo accipit remissionem peccatorum (et quidem a Deo, quum solus Deus possit peccata condonare), necnon consecratur seu dedicatur Deo : igitur « baptizari in nomine vel in nomen Patris... » est baptizari auctoritate Dei vel consecrari Deo : igitur Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt Deus, unicus Deus. — Porro Pater et Filius sunt realiter ab invicem distincti : Pater enim significat illum a quo alius (Filius) habet originem per generationem; Filius vero, illum qui ab alio (Patre) procedit : nemo autem potest esse suimetipsius Pater vel Filius. Ergo Pater et Filius sunt distincte subsistentes in Deo, sunt proinde personae. Tandem eadem ratione designatur Spiritus Sanctus : connumeratur Patri et Filio cum particula *et, καί*, necnon cum articulo *τοῦ* : adeoque significatur ut subsistens distincte tum a Filio, tum a Patre : ergo sunt tres distincte subsistentes in unico Deo, ergo tres Personae divinae. Si ille textus confertur cum tota doctrina Christi, patet illos tres Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, esse eosdem de quibus singulis Christus divinitatem et ab invicem distinctionem revelavit.

2. « Et *ego* rogabo *Patrem* et alium Paraclitum dabit vobis... *Spiritum veritatis...* ». *Jo.* XIV, 16-17. *Paraclitus* autem *Spiritus* quem mittet *Pater* in nomine *meo* ». Ib., 26. « Cum autem venerit *Paraclitus*, quem *ego* mittam a Patre ». ID., XVI, 26.

(1) Spiritum Sanctum mitti etiam a Filio et aliam ab ipso esse personam docetur explicite a Christo : cf. suprà, n. 637 b.

(2) Circa genuinitatem et historicitatem illius textus, cf. DE SMET, *De Sacramentis in genere*, Brugis, 1915, n. 211; LEBRETON, *o. c.*, p. 480 ss.

§ II.

Doctrina Scriptorum Inspiratorum.

642. ex epistolis s. Pauli,

1. « Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis » 2 *Cor.*, XIII, 13. Non contendimus hoc solo textu posse demonstrari existentiam divinae Trinitatis, sed, cognita aliunde integra doctrina S. Pauli, hîc exprimi tres divinas Personas (1), adeoque hoc textu *confirmari* doctrinam de SS. Trinitate.

2. Eaedem Personae clare enuntiantur in textu suprà, n. 640, citato : *Gal.* IV, 4-6.

In 1 *Cor.*, XII, 4-6 legitur : « Divisiones vero gratiarum (*χαρισμάτων*) sunt, idem autem Spiritus : et divisiones ministrationum (*διακονιῶν*) sunt, idem autem Dominus : et divisiones operationum (*ἐνεργημάτων*) sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus ». Multi interpretes censent hîc designari tres divinas Personas, scilicet Spiritum Sanctum cui attribuitur elargitio *charismatum;* Filium (Dominum) cui attribuitur concessio *ministeriorum* in Ecclesia, v. gr. apostolatus episcopatus, presbyteratus; *Patrem* (Deum) cui attribuitur productio miraculorum vel omnium operum generice sumptorum. — Clarius videtur exprimi Trinitas his verbis : « Cum autem benignitas et humanitas (= *φιλανθρωπία* = amor erga homines) apparuit Salvatoris nostri Dei : non ex operibus justitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum » *Tit.*, III, 4-6. Deus, qui tamquam primo principio attribuitur salvatio generis humani, est *Pater :* hic effundit *Spiritum Sanctum,* per Jesum, qui est Deus *Filius* (2).

s. Petri;

3. « Petrus... electis... secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem (*ἐν ἁγιασμῷ*) Spiritus, in obedientiam (*εἰς ὑπακοήν*) et aspersionem sanguinis Jesu Christi, gratia vobis et pax multiplicetur » 1 *Petr.*, I, 1. Supposita divinitate Jesu Christi et divinitate ac personalitate Spiritus Sancti, hîc asseritur in unico Deo esse tres divinas Personas (3).

643. ex quibusdam factis narratis.

4. Tandem quaedam in S. Scriptura referuntur facta, quae censenda sunt manifestatio SS. Trinitatis : ex his solis factis nequimus haurire cognitionem mysterii trium Personarum existentium in unico Deo : sed haec doctrina, aliunde revelata, intelligitur manifestata his eventibus, qui proinde sunt *confirmatio* doctrinae.

Describendo annunciationem Incarnationis futurae dicit Lucas, I, 28-32 : « Et ingressus Angelus ad eam [Mariam] dixit : Ave, gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus... Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero et paries Filium et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur... Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus

---

(1) « Paul attribue au Fils seul la grâce, qu'ailleurs il aime a rapporter au Fils et au Père conjointement; puis il remonte à la source première de la grâce, c'est-à-dire à l'amour actif du Père qui résume et représente toute la nature divine; enfin il descend à la distribution effective des grâces qui revient à l'hôte de l'âme juste, l'Esprit de sainteté. Les trois personnes contribuent donc ensemble, chacune dans sa sphère d'appropriation à l'œuvre commune de notre salut et leur ordre habituel est interverti soit pour montrer qu'il n'implique point d'inégalité essentielle, soit plutôt en vertu de l'association des idées ». PRAT, *o. c.*, t. II, p. 199 s.

(2) Quoad alios textus qui afferuntur ex epistolis S. Pauli, cf. PRAT, *o. c.*, t. II, p. 218 ss.

(3) Abstinemus ab argumento, qua *scripturistico,* desumpto ex 1 *Jo.*, V, 7, propter difficultates quae moventur circa hujus commatis genuitatem : de qua cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Comment. in epistolas catholicas,* p. 192 ss.; LEBRETON, *o. c.*, p. 524 ss.; *Collat. Brug.*, 1913, t. XVIII, p. 17, 202, 282.

Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei ». Hîc exhibentur *Filius Dei, Spiritus Sanctus* et Altissimus, qui, quoad Filium, est Pater, quum dicatur de Jesu: « Hic... *Filius Altissimi* vocabitur » (1). In initio vitae publicae Christi post ejus baptismum : « Apertum est cœlum et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum et vox de coelo facta est : tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi ». *Luc.* III, 22. *Spiritus Sanctus* nitide distinguitur a Jesu, et hic *Filius* meus dilectus dicitur a Deo, nempe a *Patre.*

Scholion. *Doctrina de SS. Trinitate in Veteri Testamento* (2).

644. Quaestio elucidatur.

« Alia quaestio est num mysterium SS. Trinitatis in Scriptura V. T. ita contineatur ut ex ea probari queat; alia, num a nobis, qui revelatione christiana existentiam hujus mysterii clare didicimus, ostendi possit illud jam in V. T. aliquatenus innui ac veluti obrumbrari; alia denique, num saltem praecipui magistri gentis electae ex hujusmodi insinuationibus accedente illustratione divina notitiam nostri mysterii sibi comparaverint » (3).

645. SS. Trinitatis mysterium non fuit proprie revelatum in V. T.,

Primae quaestioni respondetur *negative :* non enim dantur in Scriptura V. T. textus qui, sive seorsim sive collective sumpti et recte explicati, exhibeant, quoad nos, claram expressionem de existentia trium Personarum in unico Deo. — Nec deest aliqua ratio congruentiae cur Deus non revelaverit publice, nempe toti populo judaïco, praelaudatum mysterium : nam conveniebat ut aperta revelatio altissimi mysterii a longe praepararetur; praeterea illa revelatio fuisset periculosa judaeis ad polytheismum inclinantibus.

646. sed tamen insinuatum;

Secundae quaestioni respondetur *affirmative :* scilicet, *in Scriptura V. T., innuitur aliquatenus ipsa trinitas divina,* et *indicatur quaedam distinctio ac pluralitas personarum in Deo.*

Ut sensus asserti perspiciatur, notemus sequentia : *a*) fieri potest ut textus, secundum rectam hermeneuticam intellecti, *soli per se ipsi exprimant nobis* determinatam veritatem : tales sunt, quoad existentiam SS. Trinitatis, textus quos exposuimus n. 641, *b*) fieri potest ut ad hoc non sufficiant textus per se ipsi, sed ut, aliunde nobis cognita aliqua doctrina, possimus concludere: in tali textu, auctor intendit *exprimere* illam doctrinam, consequenter ille textus continet de facto et exprimit illam doctrinam; tales sunt quoad existentiam SS. Trinitatis, textus quos citavimus, n. 642; *c*) tandem fieri potest ut textus ipsi non vere contineant aut exprimant aliquam veritatem, sed ab auctore illorum seligantur propter specialem connexionem cum aliqua veritate, quam proinde innuunt seu insinuant : tales sunt, quoad existentiam SS. Trinitatis, textus quos nunc indicabimus.

1. Praecipuus est apud *Isaiam* VI, 3, referentem theophaniam sibi concessam: « In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum... seraphim (qui adstabant Domino)... clamabant

(1) Cf. BARDENHEWER, *Mariä Verkundigung*, Freiburg i. Br., 1905, p. 114, 132, 150 ss.
(2) Cf. POHLE, *o. c.*, p. 254 ss.; VAN NOORT, *o. c.*, n. 150 ss.; LEBRETON, *o. c.*, p. 441 ss.
(3) VAN NOORT, *o. c.*, n. 150.

alter ad alterum et dicebant : sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum ». Licet *terna* positio vocabuli *sanctus* per se ipsa non exprimat trinitatem Personarum divinarum, haec tamen videtur ratio cur praecise illo modo seraphim laudent Deum.

Accipitur etiam ut insinuatio Trinitatis, triformis benedictio liturgica, Dei jussu a sacerdotibus adhibenda : « Benedicat tibi Dominus et custodiat te. Ostendat tibi Dominus faciem suam et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem ». *Num.*, VI, 24-26.

Multi Patres censuerunt pluralitatem Personarum divinarum innui in forma plurali, qua Deus adducitur loquens : « Faciamus hominem ad imaginem nostram ». *Gen.* I, 26; idem dicendum de *Gen.* III, 22, XI, 7. Quia *Gen.* III, 22 : « Ecce Adam quasi *unus ex nobis* factus est » non potest explicari de plurali majestatis, probabile est in illo loco haberi insinuationem SS. Trinitatis; propter hoc, etiam in eodem sensu rite accipiuntur de SS. Trinitate *Gen.* I, 26 et XI, 7 (1).

Minus probabilis videtur sententia, qua manifestatio quaedam SS. Trinitatis asseritur in apparitione facta Abrahae in valle Mambre, *Gen.*, XVIII-XIX.

647. specialiter innuitur personalitas divina Messiae et Verbi,

2. Prophetiae messianicae satis significant Messiam, a Deo mittendum, esse Deum, quod necessario arguit distinctionem duarum personarum, scilicet mittentis et missi, in unico Deo.

Isaias dicit Messiam esse *Emmanuel* = Deum nobiscum, VII, 14; vocandum esse (quia id est quod illa nomina significant) admirabilem, consiliarium, *Deum fortem* (El gibbor), patrem futuri saeculi, principem pacis, IX, 6.

Psalmi messianici Messiam nobis exhibent tamquam Deum qui *Filius* est Dei, adeoque ut realiter distinctum a Deo qui Pater est. Messias ita loquitur : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu : ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi Gentes haereditatem tuam » *Ps.*, II, 7-8. — « Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis... ex utero ante luciferum genui te » *Ps.* CIX, 1-3.

Libri autem sapientiales ultra progrediuntur : nam sapientiam Dei exhibent tamquam personam, quum illam sapientiam describant ut *generatam* a Deo, ut verbum mentis internum, et simul ut in semetipsa existentem ac agentem. Ita v. gr. : « Nondum erant abyssi et ego [sapientia] jam *concepta eram*... ante colles ego *parturiebar*... Cum eo [Deo] *eram*, cuncta *componens* et *delectabar* per singulos dies, *ludens* coram eo omni tempore... » *Prov.*, VIII, 22-31. Cf. *Eccli.*, XXIV, 3 ss.; *Sap.* 7, 25-27, VIII, 1, IX, 9, XX (2).

648. vix insinuatur personalitas divina Spiritus Sancti.

3. « Etsi V. T. saepius memorat « Spiritum Domini », « Spiritum sanctum » etc. et saltem aliquoties eo modo ut lectores christiani veluti sponte intelligant personam distinctam (3), nullus quantum scio affertur locus, qui per se consideratus non possit convenienter exponi de attributo aut de operatione divina personificatis » (4). Attamen, supposito mysterio SS. Trinitatis, forsitan dici potest nomen *Spiritus* ideo fuisse in quibusdam textibus

(1) Cf. DE HUMMELAUER, *Comment. in Genesim*, p. 108; LAGRANGE, in *Revue biblique*, 1896, p. 387.
(2) Cf. LEBRETON, *o. c.*, p. 110 ss.
(3) Cf. *Is.*, XI, 2, LXI, 1; *Joël*, II, 28; *Job*, XXVI, 13; XXXIII, 4; *Ps.* CIII, 30; *Sap.*, I, 7, IX, 17.
(4) VAN NOORT, *o. c.*, n. 153.

adhibitum, Deo inspirante, quia Spiritus erat in Deo Persona distincta, et sic innui hanc Personam. V. gr. « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem ». *Joël*, II, 28. Cf. *Act.*, II, 16 ss.

649.

Tertiae quaestioni respondetur non suppeditari nobis argumenta quibus concludamus generatim patriarchas et prophetas in V. T. habuisse notitiam claram de SS. Trinitate; non tamen improbabile esse quosdam, ut David, Isaïam, speciali Dei revelatione fuisse edoctos de illo mysterio.

Igitur existentia SS. Trinitatis non fuit proprie *revelata* a Deo ante Christum, nempe non fuit proposita publice, nec proprie continetur in libris inspiratis V. T. (1). Revelatio praedicti mysterii, praeparata ante Christum, ab ipso facta est.

Caput II

EXISTENTIA SS. TRINITATIS COGNITA EX TRADITIONE CATHOLICA (2).

650. Materia exponenda.

Nomen *Traditio* sumitur hîc *objective* scilicet ad significandam *rem traditam,* nominatim *doctrinam* quod sunt in unico Deo tres distincte subsistentes, Pater, Filius, Spiritus Sanctus : quam doctrinam fuisse ab initio propositam a Magisterio Ecclesiae ac explicite creditam a fidelibus, et ita porro a generatione in generationem transmissam, ostendere conabimur.

Quum illius dogmatis peremptoria contra haeresim facta fuerit definitio in concilio Nicaeno, an. 325, in quo etiam magis accurata formula statuta fuit, materiam nobis tractandam dividimus in tres articulos : quorum *primus* exhibet documenta Traditionis antiquiora Nicaeno concilio; *secundus,* doctrinam definitam in praelaudato concilio et postea conservatam; *tertius,* brevem synopsim de erroribus circa SS. Trinitatem et de illorum damnatione ab Ecclesia.

Articulus Ius. **Catholica Traditio ante concilium Nicaenum.**

§ I.

Praxis et cultus Ecclesiae.

651. Traditio circa Trinitatem manifestatur: A) 1°) modo quo confertur baptismus,

1. Modus, quo ab initio fuit collatus baptismus, clare manifestat doctrinam de SS. Trinitate : hanc enim profitentur qui baptizant et fides in hoc dogma exigitur a baptizandis.

In opusculo perantiquo (an. 90-100), *Didache* seu *doctrina duodecim Apostolorum,* VII, 1-3, legitur : « De baptismo autem sic baptizate : haec

(1) Quapropter non est probata, nec a theologis admittitur, sententia s. Thomae docentis (*Sum. theol.*, II-II^{ae}, Q. II, a. 8) a *majoribus* in populo judaïco, ante adventum Christi, fuisse explicite credendum mysterium SS. Trinitatis. Cf. Bouquillon, *De virtutibus theologicis*, n. 170 s.

(2) Cf. Pohle, *o. c.*, p. 304 ss.; Van Noort, *o. c.*, n. 155 s.; Tanquerey, *Synopsis theologiae dogmaticae specialis*^{14}, t. I, p. 352 ss.

omnia postquam antea dixistis, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti... Effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Hîc apparet baptismum conferri *explicita invocatione* vel *professione SS. Trinitatis* et *triplici* effusione aqua, tamquam significativa trium Personarum divinarum (1).

Quod confirmatur asserto S. Justini, *Apol.*, I, 61 (circ. an. 155) : « Quicumque persuasum habuerint et crediderint vera esse quae a nobis docentur et dicuntur, seque ita vivere posse crediderint, ii precari et jejunantes priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus et jejunantibus. Deinde eo ducuntur a nobis ubi aqua est et eodem regenerationis modo regenerantur quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine Parentis universorum ac Domini Dei, ac salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti, lavacrum in aqua tunc suscipiunt ». Tertullianus significationem *triplicis* effusionis aquae vel immersionis explicat: « Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur ». *Adv. Praxeam,* c. 26; cf. *De corona,* c. 3 (2).

Praeterea ab illis qui baptizantur, nempe ab adultis, exigitur explicita professio fidei in SS. Trinitatem : hoc constat ex « ordinibus baptismi », in quibus exponitur ritus servandus in ministrando baptismo : illi « ordines », tam in Oriente quam in Occidente, continent professionem fidei faciendam, quatenus baptizandus interrogatus a baptizante respondet se credere in Deus Patrem... in Jesum Christum Filium Dei... in Spiritum Sanctum (3).

Quod confirmatur ex facto narrato in *Act.*, XIX, 1-3 : « Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum et inveniret quosdam discipulos : dixitque ad eos : Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis »? Ex eo quod sanctus Paulus adhibeat vocem *ergo* (quae concludentis est) merito colligimus Baptismi sacramentum id temporis collatum fuisse cum *expressa mentione* Spiritus Sancti, sive in ipsa formula, quacum administrabatur baptismus, sive in professione fidei, quae requirebatur a recipiente illud sacramentum: supponit enim Paulus, non posse fieri ut rite baptizatus ignoret Spiritum Sanctum, et proinde Trinitatem.

652.
2°) symbolis,

2. Ex professione fidei requisita ad suscipiendum baptisma, factum est ut constitueretur formula quaedam, seu regula fidei, quae vocatur *symbolum apostolicum.* Hujus forma antiquior videtur confecta saltem circa an. 100 (4): porro professio fidei in SS. Trinitatem est fundamentum super quod contextum est illud symbolum et omnia quae postea fuerunt in usu. Sic enim sonat : « Credo in Deum Patrem omnipotentem... et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum... et in Spiritum Sanctum ».

653.
3°) doxologiis;

3. Eadem veritas exprimitur in antiquissimis formulis quibus Deus laudatur :

---

(1) Hoc documento aliisque infr à citandis, contendimus demonstrare explicitam professionem fidei in existentiam SS. Trinitatis fuisse connexam cum ministratione sacramenti baptismi, ab initio Ecclesiae. Haec assertio non dirimit quaestionem utrum distincta invocatio SS. Trinitatis fuerit *semper* requisita ad validam *formam* baptismi : de hac quaestione, cf. DE SMET, *o. c.*, n. 250 ss.

(2) Cf. D'ALÈS, *La théologie de Tertullien,* p. 334 s.

(3) De illis « ordinibus baptismi », cfr. DE PUNIET, ap. CABROL, *Dictionnaire d'archéologie chrétienne,* t. II, art. *Baptême,* col. 251 ss.

(4) Cf. VACANDARD, ap. D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* t. I, art. *Apôtres* (*symbole des*), col. 274 ss.

S. Polycarpus, martyrium subiens, an. 155, exclamat : « Domine Deus omnipotens... benedico tibi, quoniam me hac die atque hora dignatus es, ut in numero martyrum acciperem partem calicis Christi tui ad resurrectionem in vitam aeternam animae et corporis in incorruptione per Spiritum sanctum... Quapropter de omnibus te laudo, tibi benedico, te glorifico per sempitérnum et coelestem pontificem Jesum Christum, dilectum tuum filium, per quem tibi cum ipso et Spiritu sancto gloria et nunc et in futura saecula. Amen ». *Mart. Polycarpi,* XIV. Tribus distinctis, Patri, Filio, Spiritui sancto, idem honor, nempe divinus, hîc tribuitur.

S. Justinus, *Apologia* I, n. 65, refert modum laudandi Deum: « Deinde ei qui fratribus praeest panis affertur et poculum aquae et vini; quibus ille acceptis laudem et gloriam Patri universorum (*τῷ πατρὶ τῶ ὅλων*) per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit et gratiarum actionem pro his ab illo acceptis donis prolixe exsequitur ».

Hymnus graecus, saec. II vel III, sic cantat Deo : « Lumen hilare sanctae gloriae Patris immortalis, coelestis, sancti, beati, Jesu Christe; cum ad solis occasum pervenerimus, lumen cernentes vespertinum, laudamus Patrem et Filium et Sanctum Spiritum Dei » (1).

Dionysius alex. († 264) « secundum formam et regulam a presbyteris qui ante nos vixerunt, acceptam » epistolam concludit : « Deo Patri et Filio D. N. J. C., cum Sancto Spiritu gloria et imperium in saecula saeculorum » (2).

Fusior doxologia habetur in hymno « Gloria in excelsis Deo » (3).

Nota. « Forma [doxologiae] « Patri per Filium in Spiritu S. [*διὰ... ἐν*], quae ordinem personarum exprimit et quam ariani postea in suum sensum detorquebant, non videtur antiquior formis simpliciter coordinantibus : « Patri cum Filio in Spiritu S. [*μετά... σὺν*], et : « Patri et Filio et [vel: cum] Spiritu S. » (4).

§ II.

Testimonia Patrum.

654. B) *testimonia Patrum:* 1°) *apostolicorum,*

1. *Patres apostolici,* occasionaliter de Deo agentes, Trinitatem divinarum Personarum enuntiant, tamquam doctrinam cognitam ab iis quibus loquuntur.

S. Clem.,

S. Clemens Rom., exhortans fideles ad unitatem moralem servandam in Ecclesia dicit : « Nonne unum Deum habemus et unum Christum et unum Spiritum gratiae (*ἓν πνεῦμα τῆς χάριτος*) super nos effusum... » 1 *Cor.* XLVI, 6. Igitur notio Dei importat, in mente Clementis, tres subsistentes. — Jesum et Spiritum Sanctum connumerat Deo viventi, eosque ut eadem vita viventes exhibet, idque in formula quae est jurijurando similis : « Sicut enim Deus vivit et Dominus Jesus Christus vivit et Spiritus sanctus... » *ib.*, LVIII, 2. — Divinitatem Spiritus Sancti asserit, attribuendo illi inspirationem prophetarum et Scripturae Sacrae, *ib.*, VIII, 1, XLV, 2 (5).

S. Ignat.,

S. Ignatius unicitatem Dei explicite docet, et Trinitatem Personarum in Deo : « Unus est Deus, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum, filium suum, qui est verbum (*λόγος*) ejus e silentio progressum... ». *Ad Magn.* VIII, 2. « Studete igitur conformari in doctrinis Domini et apostolorum, ut omnia, quae facitis prospere vobis succedant... in Filio et Patre et in Spiritu... Subjecti estote episcopo et vobis mutuo ut Jesus Christus Patri secundum carnem et apostoli Christo et Patri et Spiritui... » *Ib.*, XIII, 1-2. — Multis locis clarissime asserit Ignatius divinitatem Jesu (6).

(1) ROUET DE JOURNEL, *Enchiridion patristicum,* n. 108.
(2) Apud S. BASILIUM, *De Spiritu Sancto,* c. XXIX, n. 72, P. G., t. XXXII, col. 201.
(3) De hac doxologia cf. *Collat. Brug.,* t. XVII, p. 259 ss.
(4) VAN NOORT, *o. c.,* n. 157.
(5) Cf. HEMMER, *Les pères apostoliques,* t. II, p. XLIX.
(6) Cf. ID., *o. c.,* t. III, p. XXXIV.

655. 2°) *apologetarum,*

2 *Patres apologetae,* quum defendunt christianos, accusatos quod sint athei (quia Paganorum deos non colunt), asserunt se unicum verum Deum agnoscere, qui etiam in Filio et in Spiritu Sancto existit: inde Deum et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum profitentur seu esse in unico Deo et Patrem et Filium (qui est Jesus Christus), et Spiritum Sanctum.

Arist., Aristides, *Apol.,* n. 15 (circ. an. 140) scribit: « Christiani a Domino nostro Jesu Christo originem ducunt. Hic Dei altissimi Filius esse creditur, qui in Spiritu Sancto de coelo descendit ad salvandos homines... Atque hi sunt [christiani] qui veritatem supra omnes terrae nationes invenerunt. Siquidem Deum rerum omnium conditorem atque architectum in Filio unigenito et Spiritu Sancto agnoscunt, nec praeter eum ullum alium Deum venerantur ».

S. Just., S. Justinus, *Apol.* I, 6, eodem fere modo loquitur : « Inde et athei appellamur; atque atheos quidem nos esse confitemur, si de opinatis hujusmodi diis agatur; secus vero si de verissimo [Deo], qui est pater justitiae... Sed hunc [Deum] et etiam Filium, qui ab ipso venit,... et etiam Spiritum propheticum colimus et adoramus ». Cf. *ib.,* n. 13, n. 61, n. 65, cf. suprà, n 652.

Athen., Athenagoras, *Legatio pro christianis* (circ. an. 177), n. 10 : « Satis igitur demonstratum a me est atheos nos non esse qui unum ingenitum et aeternum tenemus Deum... a quo denique omnia per ipsius Verbum et creata et ornata sunt. Agnoscimus enim et Dei Filium. Nec quisquam ridiculum existimet Deo esse filium. Neque enim, ut poëtae fabulantur, qui nihilo meliores hominibus inducunt Deos, ita nos de Deo et Patre aut Filio sentimus. Sed est Filius Dei Verbum Patris in idea et operatione, etenim ab eo et per eum omnia facta sunt, quum unum sit Pater et Filius. Cum autem Pater sit in Filio et Filius in Patre, unitate et virtute Spiritus, mens et Verbum Patris est Filius Dei... Qui igitur non miretur cum atheos vocari audit eos, qui docent Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum Sanctum, eorumque ostendunt et in unitate potentiam et in ordine distinctionem (*τὴν ἐν ἑνώσει δύναμιν καί τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν*) ? » Cf. *ibi.,* n. 24.

Theoph., Theophilus Antioch. *Ad Autolycum,* L. II, n. 15, (circ. an. 181) vocabulum *τριας* adhibet (1) « Tres illi dies, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis (*τριὰδος*) Dei, et ejus Verbi, ejusque Sapientiae ».

656. 3°) *S. Iren.*

3. S. Irenaeus (2) praeclarum omnino locum occupat inter Patres Ecclesiae, hujusque doctrinam propugnavit contra *gnosticos.* Ipse etiam egregius est testis de doctrina SS. Trinitatis, in opere *Adversus Haereses,* infra an. 176-199.

« Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem... et in unum Jesum Christum, Filium Dei... et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei... » *Adv. Haer.,* L. I, c. X, n. 1. P. G., t. VII, col. 549. « Adest enim ei [Deo] semper Verbum et sapientia, Filius

---

(1) Vocem *θριάς* et *Trinitas,* quantum scimus, primus adhibuit ex graecis Theophilus Antioch, deinde ex latinis Tertullianus (*Adv. Praxeam,* n. 2). *θρίας, Trinitas,* etymologice idem est ac ternarius, seu multitudo ternaria, ternio, et proinde *numerum* personarum divinarum exprimit, sed ex usu ecclesiastico, etiam primordiali, concrete sumitur et significat ipsum Deum, qui est Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Hac ratione festum SS. Trinitatis colimus et precamur; « SS. Trinitas, unus Deus, misere nobis ». Idem omnino ex usu communi significant voces neerlandicae *Drieëenheid,* et *Drievuldigheid.* Nomen *Drieëenheid,* (tri-unitas = trium unitas) etiam etymologice optimum est. Nomen *Drievuldigheid,* apud nos usu consecratum, si ad litteram verteretur, latine et gallice (*triplicitas, triplicité*) male sonaret. Ita VAN NOORT, *o. c.,* n. 131. Cf. III^{mus} L. JANSSENS, *De Deo trino,* p. 324 ss. — De fide in divintatem Spiritus S. apud Apologetas, cf. PUECH, *Les Apologistes grecs au II^{e} siècle de notre ère,* p. 321 ss.; A. PALMIERI, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cathol.,* art. *Esprit-saint,* col. 696 ss.

(2) Cf. TIXERONT, *Histoire des dogmes,* t. I, p. 247 ss.; BARDENHEWER, *Patrologie,* p. 96 ss.; VERNET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.* art. *Irénée,* col. 2442 ss.

et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit... ». *O. c.*, L. IV, c. XX, n. 1. col. 1032 « Et sic unus Deus Pater ostenditur, qui est super omnia et per omnia et in omnibus. Super omnia quidem Pater et ipse est caput Christi; per omnia autem Verbum, et ipse est caput ecclesiae; in omnibus nobis Spiritus... » *O. c.*, L. V, c. XVIII, n. 2, col. 1175.

Licet S. Irenaeus saepe nomine *Sapientiae* designet Spiritum Sanctum tamen non confundit Filium cum Spiritu (1).

Clem. Alex.,

Clemens Alex., eodem fere tempore, testis est fidei scholae alexandrinae in Ægypto : sanctam Trinitatem (*τὴν ἁγιὰν τριὰδα*) explicite nominat et in Deo tres distincte subsistentes agnoscit (2).

657. 4°) eorum qui haeresim Monarchianismi impugnaverunt:

4. Saeculo II° exeunte, orta est haeresis, nominata *Monarchianismus,* quae unicitatem ac unitatem Dei ita explicabat ut negaret realem distinctionem trium divinarum Personarum, et specialiter realem distinctionem Filii a Patre : quum autem illi haeretici tenebant divinitatem Christi, contendebant Patrem fuisse incarnatum et passum : inde vocati sunt *Patripassiani,* et integra haeresis : *monarchianismus patripassianus* (3).

S. Hipp., Tertull.,

Hanc haeresim impugnavit S. Hippolytus, in opere *Contra haeresim Noëti,* infrà an. 200-210 (4); praesertim autem Tertullianus, in opere *Adversus Praxeam,* infrà an. 213-218. Licet apud illos auctores inveniantur asserta quae, saltem quoad modum loquendi, non possunt componi cum recta intelligentia veritatis revelatae, ut infrà dicemus, tamen ipsum dogma tenetur et vindicatur.

Tertulliani scriptum maxima consideratione dignum est (5): imprimis jam distinguit id quod est ipsa regula fidei necnon ab omnibus credendum, ab eo quod est ulterior explicatio qua defenditur dogma contra impugnantes. *Adv. Prax.*, c. II.

Nitide porro ipsum dogma exponit et praesertim duo essentialia, nempe *unitatem substantiae divinae,* et *trinitatem personarum.*

a) Circa *primum,* dicit « unicum Deum » esse credendum, non autem ideo esse putandum « eumdem [esse] et Patrem et Filium et Spiritum, admittendam esse oikonomiam « quae unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, tres autem non statu, sed gradu, nec substantia sed forma, nec potestate sed specie, unius autem substantiae et unius status et unius potestatis quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formae et species in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti deputantur. Quomodo numerum sine divisione patiuntur, procedentes tractatus demonstrabunt » *O. c.*, l. c. « Ita connexus Patris in Filio et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes alterum ex altero. Qui tres unum sunt, non unus, quomodo dictum est : Ego et Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem ». *O. c.*, c. XXV.

b) Circa *secundum,* dicit « Possum itaque non temere praestruxisse et tunc ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem et in ratione Sermonem, quem secundum a se faceret agitando intra se » *O. c.*, c. V. — « Qaecumque ergo substantia Sermonis fuit, illam dico *personam* et illi nomen Filii vindico, et dum Filium agnosco, secundum a Patre defendo ». *O. c.*, c. VII. — « Haec est probola veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus

(1) Cf. TIXERONT, *o. c.*, p. 252 ss.; VERNET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dictionnaire de théologie catholique,* art. *Irénée,* col. 2445.

(2) Cf. ID., *o. c.*, p. 267 ss.; DE LA BARRE, ap. VACANT-MANGENOT, *Dictionnaire de théologie catholique,* art. *Clement* (d'Alexandrie), col. 158 ss.

(3) TIXERONT, *o. c.*, 309, 313 ss.

(4) TIXERONT, *o. c.*, p. 323-325.

(5) Cf. D'ALÈS, *La théologie de Tertullien,* p. 67 ss.

Filium a Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus Sermonem... sicut radix fruticem et fons fluvium et sol radium... Nec dubitaverim filium dicere et radicis fruticem et fontis fluvium et solis radium, quia omnis origo parens est, et omne quod ex origine profertur progenies est; multo magis Sermo Dei qui etiam proprie nomen Filii accepit... Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est de quo prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine, et tertius a sole apex ex radio. Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. Ita trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens et monarchiae nihil obstrepit et *oikonomias* statum protegit ». *O. c.*, c. VIII.

Novat. Orig. S. Greg. Thaum.

Idem dogma egregie defendit Novatianus (1) in opere *De Trinitate;* etiam Origenes (2). Insignem dogmatis elocutionem nobis relequit S. Gregorius Thaumaturgus, in opere, scripto infra an. 260-270, cujus titulus *Expositio Fidei :*

« Unus Deus, Pater Verbi viventis, sapientiae subsistentis et virtutis et figurae aeternae; perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti.

Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, figura (χαρακτὴρ) et imago deitatis, Verbum activum, sapientia omnium substantiam comprehendens, et virtus totius creaturae effectrix. Filius verus veri Dei, invisibilis ex invisibili, incorruptibilis ex incorruptibili, aeternus ex aeterno. Et unus Spiritus Sanctus, ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit hominibus; imago Filii, perfecti perfecta, vita viventium causa, fons sanctus, sanctitas sanctificationem inducens; in quo Deus Pater manifestatur, qui est super omnia et in omnibus, et Deus Filius qui est per omnia. Trinitas perfecta, gloria et aeternitate et regno non divisa, neque abalienata. Neque creatum quid, aut serviens [est] in Trinitate, neque superinductum, quasi antea non fuisset et postea supervenisset. Neque ita defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus; sed invertibilis et immutabilis eadem Trinitas semper » P. G., t. X, col. 984 s.

658. 5°) Dionys. Rom. Pont.

Tandem Summus Pontifex Dionysius, circa an. 260, scripsit ad ecclesias Ægypti epistolam dogmaticam in qua damnat Sabellii haeresim (negantem realem distinctionem Filii a Patre), necnon haeresim eorum qui unitatem divinam non profitentur.

En epistolae praedictae fragmentum, conservatum a S. Athanasio, *De Decretis Nicaenae synodi,* n. 26 : « Sabellii impietas est quod dicat Filium esse Patrem et vicissim; illi autem [alii haeretici qui Tritheitae fuerunt vocati] tres deos quodammodo praedicant, cum sanctam unitatem in tres diversas hypostases inter se omnino separatas dividunt.

Necesse est enim divinum Verbum Deo universorum esse unitum et Spiritum Sanctum in Deo manere et habitare : adeoque divinam Trinitatem in unum, quasi in quemdam verticem, hoc est in Deum universorum omnipotentem, reduci atque colligi... sed neque minus illi culpandi sunt qui Filium opus esse existimant et Dominum factum esse sicut unum eorum quae vere facta sunt arbitrantur (3): cum illum genitum esse... non conditum sentiunt aut factum, divina eloquia testantur. Nam si factus est Filius erat tempus quando non erat: atque fuit semper, si utroque est, ut ipse declarat in Patre... Itaque admirabilis divinaque unitas non est in tres

---

(1) Circa opus a Novatiano conscriptum ejusque valorem ad traditionem doctrinae catholicae manifestandam, legatur D'ALÈS, *Novatien,* Paris, 1925.

(2) Cf. TIXERONT, *o. c.*, p. 284 ss.; A. PALMIERI, *o. c.*, col. 704 ss.

(3) Tales expressiones : ποίημα = opus, γενητόν = factum, adhibuerat Dionysius, episcopus Alexandrinus, impugnando haeresim Sabellii. Illas retractavit vel in recto sensu interpretatus est Dionysius, aperiendo mentem suam Romano Pontifici, a quo rogatus fuerat ut justificaret sese.

divinitates separanda, neque factionis vocabulo dignitas summaque Domini magnitudo est diminuenda, sed credendum est in Deum, Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum ejus Filium et in Spiritum Sanctum » (1).

659. *Conclusio.*

CONCLUSIO. Ex suprà dictis demonstratum est Ecclesiam universam, ab initio, explicite credidisse et professam esse *unum Deum et in ipso tres*, scilicet *Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, realiter ab invicem distinctos, qui sunt vere Deus* (2).

660. *Labor intellectualis in explicando dogmate.*

Jam in hac temporis periodo, incipit labor intellectualis circa illam veritatem revelatam, eo fine ut notitia clarior illius acquiratur necnon ut defendatur contra falsas dogmatis interpretationes.

Ita, v. gr. Athenagoras propugnat omnino immaterialem et spiritualem esse in Deo generationem Filii et originem Spiritus Sancti. *Legatio pro christianis*, n. 10. — Distinctio trium in Deo vindicatur contra illos qui censent nomine Patris, Filii et Spiritus non aliud designari quam *modus* unius ejusdemque divinitatis, manifestatae in diversas operationes ad extra : hanc haeresim impugnat Tertullianus, qui etiam nomen *personam* (3) adhibet ad designandum Filium; idem auctor, ad inculcandum in una divinitate esse Patrem, Filium et Spiritum, et nihilominus Filium realiter generari a Patre et Spiritum procedere a Patre per Filium (*Adv. Prax.*, n. 4) metaphoras adhibet, quas suprà, n. 657, citavimus. — Origenes asserit christianos credere tres *hypostases* existere in Deo, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. *In Joan.*, t. II, c. 10, n. 75, P. G., t. XIV, col. 128. « Colimus... Patrem veritatis et Filium veritatem, quae *duae res sunt quoad hypostasim*, (*τῃ ὑποστάσει*) una vero consensione et concordia, et *identitate* voluntatis (*τῃ ταυτότητι του βουλήματος*). *Contra Celsum*, L. III, n. 12, P. G., t. XI, col. 1533. Attamen nondum firma est significatio vocabuli *ουσια* (4) quod adhibetur etiam ut synonymum cum *ὑποστὰσις* : « Alius (*ἑτερος*) a Patre Filius est *secundum substantiam* (*κατ' ουσιαν*) ». *De oratione*, n. 15. P. G. t. XI, col. 465. — Tandem in scripto cujus titulus : *Dialogus de recta in Deum fide*, circa an. 295-305 (5), fides in SS. Trinitatem sic exprimitur ab illo qui catholicam doctrinam defendit, nempe Adamantius : « Unum Deum eumque creatorem et effectorem esse credo; Deumque Verbum, qui ex eo natus est eique est *consubstantialis* (*ὁμοούσιος*), qui semper est et novissimis temporibus hominem ex Maria assumpsit et crucifixus est et resurrexit a mortuis. Credo etiam Spiritui Sancto, qui semper est ». P. G., t. XI, col. 1717.

661. *In doctrina PP. ante conc. Nicaen., duo obscura:*

Scholion. DE DOCTRINA PATRUM ANTENICAENORUM.

Licet Patres et scriptores ecclesiastici dogma SS. Trinitatis docuerint et propugnaverint ante concilium nicaenum, tamen apud plures eorum inveniuntur effata, quae, si per se sola considerantur, vel etiam secundum mentem auctorum, non possunt *logice* componi cum recta notione divinae Trinitatis : inde licet illi auctores sincere veritatem revelatam crediderint, defecerunt tamen in exponendo illam quoad logicam et metaphysicam (6).

Nominatim *duo* sunt circa quae versantur falsa vel non admittenda, nempe *generatio* Verbi et *conditio Filii* erga Patrem.

662. *generatio Verbi.*

1. Quoad generationem Verbi, quidam auctores ita connexionem inter Verbi a Patre originem et creationem mundi exponunt ac si Verbi generatio

(1) *Enchir.*, n. 48-51.
(2) Cf. JANSSENS Al., *De H. Drievuldigheid*, bl. 56.
(3) Hoc nomine realem distinctionem unius in se subsistentis ab alio inculcat Tertullianus, *Adv. Praxeam*, n. 5, 7, 8. Cf. D'ALÈS, *o. c.*, p. 83, 92.
(4) Cf. VAN NOORT, *o. c.*, n. 165.
(5) Cf. BARDENHEWER, *Patrologie*, p. 145 s.
(6) Cf. TANQUEREY, *o. c.*, n. 620.

non esset completa, nisi per productionem creaturarum. Inde quasi duplex Verbum distinguunt quidam : unum est Verbum insitum (λόγος ἐνδιάθετος), ab aeterno a Patre procedens, alterum est verbum prolatitium (λόγος προφορικός), creatione manifestatum. Attamen illi auctores tenent Verbum esse *aeternum*, et hoc Verbum esse *realiter idem* ac Verbum prolatitium, generatum tempore, tandem hoc Verbum prolatitium esse realiter distinctum a Patre. Licet valde obscura nobis sit notitia, quae sub illo loquendi modo latet, videtur tamen dicendum quod illa Verbi generatio quae in actione divina creandi mundi habetur, est *manifestatio* Verbi insiti *ad extra* et non nisi metaphorice dicitur generatio vel nativitas. Secundum hanc explicationem, interpretandae sunt etiam locutiones quibus videtur negari aeternitas Filii (1).

663. subordinatianismus.

2. Quoad conditionem Filii erga Patrem, videtur Filium fuisse tamquam *inferiorem* Patre habitum a quibusdam Patribus antenicaenis : haec sententia vocatur *subordinatianismus* (2). Quae tamen, in mente Patrum, non contradicit ipsi dogmati : nam tenebant Filium et Spiritum Sanctum esse vere Deum, habere divinam naturam, sed non eadem plenitudine, ut sic dicam, qua Pater : illa proinde sententia est omnino diversa a subordinatianismo, quem professus est Arius, quippe qui Filii divinitatem ac aeternitatem negabat, ut infrà dicemus. — Notemus non esse falsum quod Filius procedit a Patre, et Spiritum ab utroque : adeoque Filius est ad Patrem ut *principiatum* ad principium, Spiritus est etiam ut principiatum respectu Patris et Filii : sed non recte diceretur Filius *subordinatus* Patri : quia in Patre non est ullo modo major perfectio aut dignitas quam in Filio, nec etiam ulla prioritas respectu Filii. Quod explicabimus postea, quando de perfecta aequalitate trium Personarum divinarum agemus. Tamen ad exprimendum ordinem processionum, recte dicitur : Filius est *secunda* Persona, Spiritus est *tertia* Persona.

ARTICULUS IIus. **Concilium Nicaenum** (an. 325) **et documenta posteriora.**

664. Arius negavit divinitatem Filii,

A. 1. Occasio convocandi primi concilii oecumenici fuit haeresis Arii (3), presbyteri alexandrini, qui circa annum 318-320 incepit publice errorem docere.

Quod SS. Trinitatm spectat, tria praecipue propugnabat :

a) Filius non est aeque aeternus ac Pater, quum ab hoc ille sit genitus, sed duratione differt a Patre : quae sententia exprimebatur formula hac : ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν = fuit aliquando [duratio] quando non erat [Filius].

b) Consequenter Filius non est ejusdem substantiae, ne specifice quidem,

(1) Cf. D'ALÈS, *La théologie de Tertullien*, p. 82-95.
(2) Non omnino eadem est sententia omnium scriptorum ecclesiasticorum : quoad singulorum opinionem, cf. TIXERONT, *o. c.*, passim.
(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 662, ubi indicatur bibliographia, t. XV, p. 22, 88.

ac Pater, nec huic est aequalis (1), *ἀλλότριος μέν και ἀνόμοιος κατὰ πάντα τῆς τοῦ πατρὸς οὐσιας καὶ ἰδιότητος.*

c) Quapropter Filius ex nihilo habet originem et suam propriam existentiam *ἐξ οὐκ ὄντων ἔχει τὴν ὑπότασιν* ; estque aliquid a Deo creatum et factum : *κτίσμα, ποιημα.* Hoc autem ens est Verbum (*Λόγος*) : hoc produxit Deus ut et antequam crearet mundum, adeoque Verbum est ens intermedium inter Deum et universum.

Parum explicite loquitur Arius de Spiritu Sancto. Admittit hunc esse hypostasim, constituentem cum Patre et Filio Trinitatem; sed Spiritus etiam dissimilis est a Patre et a Filio, nec est vere Deus, sed quum Filius solus fuerit a Deo immediate creatus et per ipsum omnia alia, concludendum est Spiritum Sanctum etiam creatum fuisse a Filio (2).

665. damnatus fuit in conc. Nicaen.

2. Jam damnatus fuerat Arius a suo episcopo, S. Alexandro, sed se non subjecerat et pertinax pergebat in diffundenda haeresi, adjutus a fautoribus, quorum numerus in diis crescebat : inde magna exorta est turbatio clericorum et laicorum in Aegypto, in Palestina aliisque regionibus Orientis. His in adjunctis Constantinus, imperator, concilium convocavit Nicaeae, in Bithynia, quo convenerunt circiter 318 episcopi (3), qui fidem catholicam solemniter definiverunt sequenti symbolo : « Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est ex substantia Patris (*γεννηθέντα ἐκ τοῦ παιρὸς, μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσιας του πατρός*), Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum (*γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα*) unius substantiae cum Patre, seu consubstantialem Patri (*ομοούσιον τῳ πατρί*), per quem omnia facta sunt, quae in coelo et in terra, qui propter nostram salutem descendit, incarnatus est... Et in Spiritum Sanctum.

Eos autem qui dicunt : erat, quando non erat, et antequam nasceretur, non erat, et quod de non exstantibus factus est, vel ex alia substantia aut essentia (*ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσιας*) (4) dicentes esse, vel creatum vel

(1) Arius tamquam notionem omnino distinctivam *Dei* ponebat ***innascibilitatem :*** Deus erat *ἀγέννητος*= ingenitus, qui non potest gigni. « Ajoutons que, pour Arius, le terme d'*ἀγέννητος* exprime l'essence même ou du moins une propriété essentielle de la divinité suprême, et nous aurons la base de tous ces raisonnements dialectiques où l'on prouvait que le Fils est d'une nature différente du Père et qu'il n'est pas vrai Dieu comme lui, puisqu'il n'est pas le Dieu *ἀγέννητος*. Il y a dans cette argumentation une équivoque aussi réelle que grave dans ses conséquences, équivoque que saint Athanase et les autres Pères de l'Eglise ne manqueront pas de reveler. Ce terme d'*ἀγέννητος* est, en effet, susceptible d'une double signification : celle d'increé, par opposition à ce qui est créé, et celle d'inengendré, par opposition à quelqu'un d'engendré; pareillement le terme d'*ἄναρχος* peut signifier : sans commencement, par opposition à ce qui commence d'être, ou : sans principe, par opposition à quelqu'un qui procède d'un autre... Dans la pensée d'Arius, *ἀγέννητος* et *γεννητος* s'opposaient nécessairement sous le rapport d'increé et de créé, parce qu'il tenait pour synonymes les termes *d'engendré* et de créé. De là cette idée familière aux ariens : il n'y a pas deux *ἀγέννητοι* c'est-à-dire deux increés ou deux principes, pas plus qu'il n'y a deux infinis ou deux Dieux ». LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol., cath.*, art. *Arianisme*, col. 1784 s.

(2) Cf. LE BACHELET, *o. c.*, col. 1786 s.

(3) Cf. HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, t. I, 1e P., p. 409 ss.

(4) Hic apparet tamquam synonyma adhiberi a concilio vocabula *ὑποστάσις* et *οὐσια*.

convertibilem vel mutabilem Filium Dei, hos anathematizat catholica Ecclesia » (1).

Ex iis, quae de theoria Arii diximus, patefit significatio assertorum in symbolo nicaeno : tamquam tessera doctrinae adhibita est vox ὁμοούσιος, quo affirmatur *aequalem in divina natura,* imo *unius ejusdemque* NUMERICE *naturae* esse Filium cum Patre (2).

666. Diversae factiones Arianorum.

3. Post concilium permanserunt arianae haereseos fautores, qui tamen mox in tres factiones sunt divisi : alii tenuerunt ipsam Arii doctrinam, vocatique sunt *anomoei,* quia contendebant Filium esse omnino dissimilem a Patre : παντελῶς ἀνόμοιος ἐστιν ὑιὸς τῷ πατρι. Alii vocati sunt semi-ariani vel *homoiousiani,* quia dicebant Filium esse *similem in natura* (ὁμοιούσιον : ομοιος-ουσια) cum Patre : qui loquendi modus non excludebat quamdam inaequalitatem inter Filium et Patrem. Alii vocati sunt *homoeani,* quia nihil aliud volebant asserere quam Filium esse *similem* (ομοιον) Patri (3).

Contra illos catholicam doctrinam defenderunt praesertim S. Athanasius et S. Hilarius (4).

667. Pneumatomachi negaverunt divinitatem Spiritus,

B. Inter semi-arianos, quidam explicite negaverunt et impugnaverunt *divinitatem Spiritus Sancti,* illumque esse creatum asseruerunt (quod jam continebatur in theoria Arii) : contra illos, qui *pneumatomachi* vocati sunt, propugnaverunt doctrinam catholicam praesertim S. Athanasius, S. Basilius, S. Ambrosius.

damnati a S. P. Damaso et in conc. Constantin. I.

Illa haeresis damnata est a S. P. sancto Damaso, in concilio Romano, an. 380, et deinde in concilio Constantinopolitano I, an. 381.

In concilio Romano haec statuta sunt :

« Si quis non dixerit, Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius, de divina substantia et Deum verum, A. S. — Si quis non dixerit, omnia posse Spiritum Sanctum, omnia nosse et ubique esse, sicut Filium et Patrem, A. S. — Si quis dixerit Spiritum Sanctum facturum, aut per Filium factum, A. S. — Si quis non dixerit, omnia per Filium et Spiritum Sanctum Patrem fecisse, id est visibilia et invisibilia, A. S. — Si quis non dixerit Patris et Filii et Spiritus Sancti unam divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem ac veritatem, A. S. — Si quis tres personas non dixerit veras Patris et Filii et Spiritus Sancti aequales, semper viventes, omnia continentes visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quae sunt salvanda salvantes, A. S. » (5). Concilium Constantinopolitanum adjunxit symbolo Nicaeno sequentia quibus divinitas Spiritus Sancti definitur: « Credimus... et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas » (6).

668. Conclusio.

Quibus definitionibus in tuto posita est fides catholica de Trinitate Personarum in unitate naturae divinae, de perfecta consubstantialitate Patris et Filii et Spiritus Sancti (7).

---

(1) *Enchir.*, n. 54. Cf. HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, p. 442 ss.

(2) Cf. TIXERONT, *o. c.*, t. II, p. 35; NAGER, *Die Trinitätslehre* des hl. Basilius des Grossen, Paderborn, 1912, p. 34 ss.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 468 ss.

(4) Illi Doctores, licet concesserint vocabulum *homoiousion* posse adhiberi, non tamen admiserunt doctrinam diversam a doctrina stabilita in concilio Nicaeno : cf. RASNEUR, *L'homoiousianisme dans ses rapports avec l'orthodoxie,* in *Revue d'hist. ecclés.* 1903, t. IV, p. 412 ss.

(5) *Enchir.*, n. 74-79.

(6) *Enchir.*, n. 86.

(7) *Enchir.*, n. 39.

Eadem veritas, scilicet unicitas divinae naturae, distinctio realis Personarum, earum consubstantialitas et aequalitas fuit nitide definita et fuse explicata in *symbolo dicto Athanasiano* (1), quod in usum liturgicum receptum est et tamquam vera fidei definitio habita. De ejus origine viget controversia; quidam censent illud non ante saeculum VI fuisse conscriptum (2).

Articulus III^us^. **Brevis synopsis haeresum vel errorum circa dogma SS. Trinitatis.** (3).

669. *Haereses.*

Ne interrumpatur doctrinae expositio, quae nobis facienda est, hîc praemittimus compendium de haeresibus vel erroneis sententiis, quae decursu temporis fuerunt propositae circa dogma SS. Trinitatis et ab Ecclesia rejectae. Reducuntur autem ad tria capita : 1) aliae opponuntur *reali distinctioni trium* Personarum in unica natura divina, 2) aliae opponuntur perfectae *unitati et unicitati* Dei, 3) aliae, nempe Rationalistarum, omne dogma simpliciter abjiciunt et specialiter impugnant documenta quibus demonstratur factum revelationis de SS. Trinitate.

A. Antitrinitarii.

670. *A) quae opponuntur directe reali distinctioni divinarum Personarum: I. antiquitus:*

I. Antiquitus haeretici antitrinitarii profitebantur aut *monarchianismum* quatenus unicam tantum divinam personam agnoscebant; aut *modalismum,* quatenus sub nomine trium personarum in Deo, non nisi tres modos diversos essendi intelligebant; aut *subordinatianismum,* quatenus realem distinctionem trium admittebant, sed ita ut statuerent realem subordinationem et inferioritatem secundae personae relate ad primam, tertiae relate ad secundam.

671. *monarchianismus.*

1°, Saeculo II exeunte exstiterunt qui docuerunt solum Patrem esse vere Deum et proinde in Christo (quem ut Deum tenebant), ipsum Patrem fuisse incarnatum, passum, etc., : quapropter vocabantur *patripassiani* (4). Illa haeresis fuit propugnata a Noëto, quem refutavit sanctus Hippolytus, in opere *Contra Noëtum,* et a Praxea, quem refutavit Tertullianus, in opere *Adversus Praxeam.*

672. *modalismus,*

2°, Medio saeculo III *Sabelliani* aut *Modalistae* « verbotenus admittebant Trinitatem, sed nomine Patris, Filii et Spiritus intelligebant diversos modos seu respectus, quibus una eademque persona divina se habet ad extra : Deus ab aeterno *μονάς* existens, in tempore factus erat trinus, siquidem qua creans vocatur Pater, qua incarnatus vocatur Filius, qua sanctificans vocatur Spiritus S. Unam tantum *ὑπόστασιν* admittentes, praedicabant tres *ἐνέργειας* aut *ὀνομασίας*, imo tria *πρόσωπα*, sed *πρόσωπα ἀνύποστατα*, i. e. tria munera, ea fere ratione, qua nos v. g. diceremus : hic homo modo agit

(1) Cf. Lejay in *Bulletin d'ancienne littérature et d'archéologie chrétiennes*, 1912, t. II, p. 45 ss.
(2) Cf. Van Noort, *o. c.*, n. 121 ss.; Pohle, *o. c.*, p305 ss.
(3) Circa doctrinam S. Hilarii Pictaviensis cf. Le Bachelet, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, art. *Hilaire* (saint) col. 2419 ss.
(4) Fuerunt haeretici qui negabant divinitatem Christi, sed independenter a quaestione de concilianda unicitate Dei cum divinitate Christi: illa antiqua haeresis negans divinitatem Christi vocatur nunc *adoptianismus*. Cf. Tixeront, *o. c.*, t. I, p. 309 ss.

personam sacerdotis, modo personam medici, modo personam magistratus » (1). — Modalismum impugnavit imprimis Dionysius alex. (an. circ. 260), qui tamen in modo loquendi nonnihil excessit; inde Dionysius, Summus Pontifex (2), epistolam dogmaticam scripsit, (an. circ. 260), qua et modalismum et tritheismum damnavit (cf. suprà, n. 658).

673. *subordinatianismus:* 3°, Saeculo III ineunte venerunt *Subordinatiani,* qui tres quidem personas distinctas admittebant, sed secundae et tertiae personae veram divinitatem abjudicabant, dicendo eas gratia tantum aut merito, non autem natura, Deum vocari.

674. *arianismus,* *a*) Arius divinitatem Filii negavit, (cf. suprà, n. 662), ejus doctrinam rejecit S. Alexander episcopus Alexandrinus, deinde S. Athanasius, tandem solemniter damnavit Concilium Nicaenum (3). Post illud concilium perduravit haeresis et exorti sunt semiariani (4), quorum in varias regiones Europae diffusa est haeresis (5).

675. *macedonianismus,* *b*) Macedonius, episcopus Constantinopolitanus (circ. an. 360), semiarianus, thesim arianam diserte applicavit tertiae personae, docendo Filium facturam Patris, fecisse seu creasse Spiritum Sanctum. Hanc haeresim impugnaverunt S. Athanasius, in suis *Epistolis ad Serapionem* (infra 356-361) et in *Epistola ad Jovinianum de fide* (an. 363); S. Basilius, in *De Spiritu Sancto* (an. 375), S. Ambrosius, *Libri tres de Spiritu Sancto* (an. 381). Tandem damnavit summus Pontifex, Sanctus Damasus, in synodo Romana, an. 380, et concilium Constantinopolitanum I an. 381 (cf. suprà, n. 667).

676. **Nota.** Ariani non negabant realem distinctionem Patris, Filii et Spiritus, sed realem distinctionum *divinarum* Personarum. Apposite Le Bachelet, *o. c.*, col. 1859 : « Si l'arianisme rejetait la vraie divinité de Jésus-Christ, ce n'était qu'une conséquence de sa négation fondamentale, portant sur la consubstantialité du Verbe, seconde personne de la Trinité. Par ailleurs, les ariens n'attaquaient pas la distinction des personnes divines, mais ils l'exagéraient, par opposition au sabellianisme; s'ils arrivaient à nier réellement la trinité chrétienne, c'était encore par voie de conséquence, une trinité d'êtres inégaux en nature, ne pouvant être une vraie trinité de personnes *divines.* Cette remarque générale trouve surtout son application en ce qui concerne les sectes protestantes antitrinitaires ».

677. *priscillianismus.* Saeculo IV exeunte, Priscillianus, in Hispania, diversos errores propugnavit, nec agnoscebat SS. Trinitatem : Priscilliani damnati sunt in diversis synodis, praesertim in synodo Bracarensi (Braga), an. 561, cujus primus canon sic sonat : « Si quis Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non confitetur tres personas unius substantiae et virtutis ac potestatis, sicut catholica et apostolica Ecclesia docet, sed unam ac solitariam dicit esse personam, ita ut ipse sit Pater qui Filius, ipse etiam sit Paraclitus Spiritus, sicut Sabellius et Priscillianus dixerunt, anathema sit » (6).

Saeculo VII exeunte, contra diversos errores synodus Toletana XI, an. 675, confecit vel suum fecit symbolum fidei, (7) in quo fuse ac nitide doctrinam de SS. Trinitate exponit : quo documento utemur infrà.

---

(1) VAN NOORT, *o. c.*, n. 122.
(2) De utroque Dionysio, cf. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, t. IV, col. 423 ss.
(3) Cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT' *Dict. de théol. cath.*, art. *Arianisme,* col. 1791 ss.
(4) Cf. ID., *o. c.*, col. 1821 ss.
(5) Cf. ID., *o. c.*, col. 1849 ss.
(6) *Enchir.*, n. 231.
(7) De cujus origine est controversia, cf. PALMIERI, *o. c.*, col. 758.

II. *Tempore Reformationis,* Deum non esse trinum in personis, tenuerunt Servede hispanus († 1533) et Sociniani, quibus accederunt Arminiani quemdam subordinatianismum admittentes. Socinianos condemnaverunt Paulus IV et Clemens VIII (1). *678. II. tempore Reformationis.*

B. **Tritheitae** (2).

Quidam ita Personarum divinarum distinctionem exposuerunt, ut implicite vel explicite negarent unicitatem divinae naturae et tres Deos asserent : inde vocati sunt *tritheitae*. Hos jam damnavit S. Dionysius, Summus Pontifex: cf. suprà, n. 658. Eamdem haeresim impugnaverunt S. Basilius, *Homil.* XXIV, n. 3, P. G., t. XXXI, col. 604 ss.; S. Gregorius Naz., *Orat.* XXXI, n. 9, P. G., t. XXXVI, col. 142 s.; S. Augustinus, *De Trinitate,* L. I, c. I, n. 7, P. L., t. XLII, col. 809. *679. B) Tritheitae.*

1° Medio saeculo VI, Joannes Philopònus, philosophus alex., haeresim christologicam, nempe monophysitismum defendendo, tritheismum propugnavit. Personam identificans cum natura, docuit Patrem, Filium, et Spiritum S. eodem modo participare de una natura abstracta deitatis, quo quo tres personae humanae de eadem humanitate, natura specifica, participant. Hinc tres personae divinae ipsi erant *τρεῖς μερικαὶ οὐσίαι ἐν οὐσιᾳ κοινῇ*. Nihilominus apertam consequentiam : ergo tres sunt dii, recusabat : quomodo autem eam effugere conatus sit, non liquet. *680. Philopónus,*

2° Saeculo XI Roscellinus, nominalistarum (3) antesignanus, docuit Patrem, Filium, Spiritum S. esse tres res seu substantias distinctas, sed voluntate, potentia, etc. perfecte similes atque consentientes, et hac ratione unum. Hinc solus usus loquendi ecclesiasticus impediebat, quominus tres personae divinae tres dii dicerentur. Doctrinam Roscellini impugnavit S. Anselmus, in opere *De fide Trinitatis et de Incarnatione* (4); damnavit synodus Suessionensis, an. 1092. *681. Roscellinus,*

3° Saeculo XII, Joachim, abbas Florensis, in Calabria († 1202), incontumaciter tamen, errorem docuit circa unitatem divinae essentiae. Quem errorem damnavit Concilium lateranense IV, an. 1215, et sic exprimit : « Quod nulla res est, quae sit Pater, quae sit Filius, et Spiritus Sanctus; nec est essentia, nec substantia, nec natura, quamvis concedat quod Pater, Filius et Spiritus S. sunt una essentia, una substantia, una natura. Verum unitatem hujusmodi non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus et multi fideles... » *Enchir.*, n. 431. Illa falsa opinione ductus Joachim accusabat de haeresi Petrum Lombardum, qui docebat : « Quaedam summa res est Pater et Filius et Spiritus Sanctus et illa non generans, neque genita, neque procedens ». *Sententiarum* L. I, dist. V, c. 1. Veram doctrinam definit concilium his verbis : « Nos autem sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quaedam summa res est, incomprehensi- *682. Joachim,*

---

(1) Cf. *Enchir.*, n. 993.

(2) Cf. VAN NOORT, *o. c.*, n. 126 ss.; POHLE, *o. c.*, p. 374 ss., 381 ss.

(3) Cf. suprà, n. 134.

(4) S. Anselmus, *o. c.*, c. I, argumentum quo utebatur Roscellinus, ita refert : « Si in Deo tres personae sunt una tantum res; et non sunt tres unaquaeque per se separatim, sicut tres angeli, aut tres animae; ita tamen ut potentia et voluntate omnino sint unum : ergo Pater et Spiritus Sanctus cum Filio est incarnatus ». Huic argumento respondetur negando consequentiam: quum enim Filius sit persona realiter distincta a Patre et a Spiritu Sancto, humana natura assumpta terminatur ad solam personam, quae est Filius. Quum autem Pater, Filius, Spiritus S., ut infrà explicabitur, non sint nisi *relationes* oppositae subsistentes *ipso Esse,* ideo tres personae sunt una substantia divina seu una *res essentialis,* uti loquitur S. Anselmus, *o. c.*, c. III. « Solus tamen Filius, ait Concilium Toletanum XI, formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, *in id quod est proprium Filii,* non quod commune Trinitati ». *Enchir.*, n. 284. Aliis verbis : « Humanitas trahitur ad *unum* e tribus *relativis modis* quibus habetur divina existentia, sive (quod idem est) ad existentiam divinam habitam *uno relativo modo* ». Card. BILLOT, *De Verbo Incarnato* [5], thes. XI, p. 176.

bilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae, ac singillatim quaelibet earumdem : et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas; quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina : quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest : et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur et Spiritus Sanctus qui procedit : ut distinctiones sint in personis et unitas in natura ». *Enchir.*, n. 432. Illa definitione asseritur perfecta *simplicitas* divinae naturae: cf. suprà, n. 167.

683. Günther.

4° Saeculo XIX mediante, Ant. Günther († 1863), perverse tradendo notionem personae, quam esse dicebat « substantiam suî consciam », tenebat Trinitatem constitui processu immanenti conscientiae divinae. Docuit divinam essentiam generatione et processione *triplicari*. Singula « principia » seu « factores » processus « theogonici » conscientiam habent tum distinctionis ab invicem tum relationis ad invicem, et ideo sunt tres personae. Quum autem non solum aequales sint et una ab alia procedat, sed insuper ipsa conscientia ad invicem referantur, ex tribus suî consciis, veluti ex tribus momentis, componitur una conscientia suî absoluta, una persona absoluta, et hac ratione unus Deus. Unitatem hanc Günther vocabat « qualitativam », quae medium locum teneret inter numericam et specificam (1). Hanc doctrinam reprobavit Pius IX, an. 1857 (2). Contra praecipuum Güntheri errorem paratum fuerat schema in Concilio Vaticano (3).

684. C) Rationalistae,

C. RATIONALISTAE.

Protestantes, quum regulae proximae fidei, scilicet Magisterio Ecclesiae, substituissent « liberum examen », quo unusquisque discerneret id quod ipsi est credendum, mox amiserunt unitatem fidei, etiam quoad asserta omnino fundamentalia is doctrina Jesu. Jam saeculo XVI exeunte, Sociniani negaverunt SS. Trinitatem et divinitatem Christi. Tum influxu illorum, tum carentia normae secundum quam definirentur veritates credendae, factum est ut multi Protestantes jam nihil crediderint et ad merum Rationalismum delapsi sint (4). Illorum numerus crevit in dies, praesertim in Germania, ubi nunc dominatur « Protestantismus liberalis » qui est merus Rationalismus (5).

dogma impugnant duplici genere objectionum.

Multi theoriae illi adhaerentes, acerrime impugnant existentiam omnis supernaturalis effectus a Deo causati, praesertim Revelationis divinae, constitutionis Ecclesiae ejusque infallibilitatis; in specie oppugnant singula dogmata christiana, praecipue SS. Trinitatem et divinitatem Christi. Quo in destructionis opere, *duo genera argumentorum* adhibent : *unum,* quod complectitur objectiones desumptas ex philosophia, quibus *contradictio* in ipso dogmate asseritur vel incompossibilitas cum propositionibus certo cognitis naturali rationis lumine; *alterum,* quod complectitur objectiones, quibus vel negatur directe *valor historicus testimoniorum* de facto revelationis dogmatis vel detorquetur verus sensus textuum exprimentium doctrinam revelatam a Deo et, qua talem, conservatam ab Ecclesia. Praecipue

(1) Hanc doctrinae expositionem desumimus a VAN NOORT, *o. c.*, n. 127. Quoad refutationem, cf. ILLmus JANSSENS, *De Deo trino*, p. 388. ss.
(2) *Enchir.*, n. 1655.
(3) Cf. ILLmus JANSSENS, *o. c.*, p. 391.
(4) Cf. ALBERS, *Handboek der algemeene Kerkgeschiedenis*, B. II, bl. 509 ss.; FILLION, *Les étapes du Rationalisme*, Paris, 1911.
(5) Cf. LE BACHELET, *o. c.*, col. 1861 s.

circa *hujus* generis amplissimam materiam versatur labor hodiernorum Christianismi adversariorum : hi, falsae philosophiae, praesertim kantianae, praejudiciis imbuti, perverse applicant principia certa hermeneuticae et criticae ad documenta Traditionis, vel mero subjectivismo infixi arbitrarie alios textus admittunt, alios rejiciunt. Rationalismus magis ac magis progrediens in via erroris, conclusiones inferendo ex falsis principiis pervenit, nostro tempore, ad systema doctrinale quod vocatur *Modernismus* (1).

685. Nota circa illud duplex genus impugnationis.

1. Quoad primum impugnationis genus, praecipuas objectiones, ex ratione desumptas, exponemus et solvemus infrà, decursu ulterioris explicationis dogmatis.

Notemus quosdam rationalistas verbotenus aliquam Deo tribuere trinitatem, quae nihil commune habet cum dogmate christiano. Secundum Kant, v. gr., tenere debemus Deum esse *legislatorem* sanctum, *gubernatorem* sapientem, *judicem* justum (2). Secundum *Theosophiae* cultores admittendum est unum Esse aeternum, infinitum, incognoscibile, quod manifestando se fit triplex (3).

686.

2. In secundo impugnationis genere adlaboravit praecipue Harnack, cujus opus *Dogmengeschichte* totum ad hunc scopum ordinatur ut naturalis omnium dogmatum evolutio explicetur, ita ut dogmata revera nihil aliud sint quam formulae, ab auctoritate ecclesiastica sancitae, exprimentes cogitationes christianorum, qui successive per decursum saeculorum et diversimode, secundum temporis adjuncta, meditati sunt de assertis religiosis, quorum initium et veluti germen habetur in doctrina Christi, hominis superantis omnes alios amore filiali erga Deum (4).

Non est hujus loci demonstrare factum divinae Revelationis et divinae missionis Christi, historicitatem textuum Evangeliorum. Hisce suppositis, suprà, n. 635 ss. ostendimus a Christo fuisse revelatum dogma SS. Trinitatis (5), idemque fuisse et creditum et doctum ab Apostolis eorumque successoribus, necnon, occasione haereseos arianae, solemniter definitum ab Ecclesiae Magisterio.

687. Dogma ipsum est distinguendum a modo quo exprimitur et a modo quo concipitur,

Ut autem sophismata Rationalistarum detegantur ac solvantur, prae oculis habenda est recta notio dogmatis. Hoc autem est : veritas a Deo revelata et, quà talis, ab Ecclesia proposita (sive ordinaria et universali praedicatione, sive extraordinaria et solemni definitione).

Jamvero ab ipso dogmate, nempe a *realitate revelata* distinguendus est tum *modus exprimendi* seu dicendi illam, tum intellectualis *conceptio* illius. Etenim idem potest alio et alio modo dici : nominatm, dem potest *dici* locutione propria vel locutione metaphorica: v.gr. diabolus operatur continuo ad impellendos homines in peccatum et in infernum; idem exprimi potest metaphorice : diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret. Etiam idem, nempe veritas substantialiter eadem, potest minus vel magis nitide aut distincte, modo vulgari aut scientifico, *concipi :* v. gr. in unico Deo sunt tres realiter ab invicem distincti, scilicet Pater, Filius, Spiritus Sanctus; hoc idem potest distinctius *concipi:* in unica *natura* divina sunt tres *personae* realiter ab invicem distinctae.

688. inde dari potest progres-

Porro alius homo potest perfectius alio intelligere quid importet *natura, persona,* in judicio statim enunciato. Ob similem rationem,dari potest de singulis veritatibus

(1) De quo cf. suprà, n. 41.

(2) Cf. VAN NOORT, *o. c.*, n. 125; DRIESSEN, *God en Godsdienst bij E. Kant*, bl. 224.

(3) *Civiltà cattolica*, 1910, t. II, p. 3, 286, ss., praesertim 291 ss.

(4) De theoria cui Harnack adhaeret, cf. BAINVEL, *De Magisterio vivo*, p. 121 s.; VAN NOORT, *De fontibus Revelationis*, n. 236; *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 350 ss.

(5) Quoad refutationem Rationalistarum videsis, BARDENHEWER, *Patrologie*, passim (cf. in indice v° *Trinität*); TIXERONT, *Histoire des dogmes;* LEBRETON, *Les origines du dogme de la Trinité;* BATTIFOL, *Où en est l'histoire des Religions*, in *Revue du Clergé français*, 1911, t. LXVII, p. 513, 641; HUBY, *Christus* (Manuel d'histoire des religions) passim (cf. in indice v° *Trinité*). — Quoad quaedam particularia, A. PALMIERI, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Esprit-Saint;* RICHARD, *ibid.*, art. *Fils de Dieu.* — Opusculi scripti a L. Anspach refutationem optimam confecit R. P. PINARD, *Le dogme de la Trinité*, in *Revue apologétique*, (Bruxelles) 1907-1908, t. IX, p. 791 ss.

sus in cognitione subjectiva dogmatum.

revelatis *cognitio* plus vel minus perfecta; inde habetur *progressus* in *cognitione*, subjective spectata, quam homines acquirunt *de dogmatibus* et simul adest *immutabilitas* dogmatum, quatenus eadem substantialiter veritas est objectum cognitionis et quatenus idem substantialiter est sensus, qui subest judiciis intellectualibus magis vel minus nitidis, quibus dogmata concipiuntur, et propositionibus diversis quibus dogmata exprimuntur (1). Illa immutabilitas dogmatum fuit definita a Concilio Vaticano, *Const. dogm. de fide catholica,* cap. 3 : « Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum ». Et can. 8 : « Si quis dixerit fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia : A. S. » (2).

Ex dictis percipitur cur falsa et haeretica sit sententia eorum qui tum dogmata tum fidem exhibent tamquam subjecta continuae evolutioni ac mutationi et qui historiam dogmatum censent esse historiam *evolutionis ac mutationis dogmatum* (3). Hanc haereticam sententiam propugnaverunt etiam Modernistae (4). Suprà, n. 651, ss. ostendimus ab initio Ecclesiae fuisse doctum a Magisterio et creditum a fidelibus dogma de SS. Trinitate, quod, successu temporis, occasione haereseum, fuit magis ac magis nitide cognitum et enunciatum, licet eadem substantialiter veritas remanserit semper objectum fidei.

---

(1) Ex progressu cognitionis de veritatibus revelatis orta est *scientia theologica,* quae et ipsa capax est profectus. Cf. suprà, n. 4, 15.

(2) *Enchir.,* n. 1800, 1818.

(3) Quapropter auctores catholici qui recta definitionem *dogmatis* tenent et doctrinam definitam in Vaticano Concilio, non cohaerenter loquuntur quando adhibent locutionem : *evolutio dogmatum.* Haec enim expressio justificari nequit, quum non detur evolutio *ipsius dogmatis.* Dogma est immobile, est veritas a Deo manifestata, est terminus intentionalis cognitionis divinae qui, ope Revelationis, factus est etiam terminus intentionalis cognitionis nostrae. De hoc autem immobili dogmate, tamquam de objecto, crescere potest cognitio nostra ut explicite docet Concilium Vaticanum : « Crescat igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium... intelligentia, scientia, sapientia : sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia ». *Enchir.,* n. 1800. Inde sermo accuratus exigit ut dicatur: historia *revelationis* dogmatum; etiam historia *cognitionis* de dogmatibus vel historia *doctrinae* christianae circa dogmata, non autem : historia dogmatum.

(4) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 275 ss.; LEPIN, *Les théories de M. Loisy* p. 74 ss.; PESCH, *Theologische Zeitfragen,* T. IV, p. 174 ss.

SECTIO SECUNDA.

Ulterior explicatio dogmatis de SS. Trinitate.

689. Hujus sectionis divisio.

In ipso dogmate SS. Trinitatis continetur, uti vidimus, quod in unico Deo sunt tres realiter ab invicem distincti, scilicet Pater, Filius, Spiritus Sanctus; quod Filius a Patre genitus est; quod Spiritus procedit seu originem suam habet a Patre et Filio (cf. suprà, n. 639). Ulterius nunc nobis inquirendum imprimis est de origine illorum duorum, nempe Filii et Spiritus : inde *caput I* erit de *processionibus* divinis. Quum autem inter procedentem et illum a quo procedit, detur necessario relatio, *caput II* erit de *relationibus* divinis. Quum tandem ipsa relatio sit formaliter constitutiva personae divinae, *caput III* erit de *personis* divinis.

CAPUT I

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS.

Notio **processionis.**

690. Explicatur notio processionis, quae, universalissime sumpta, est origo unius ab alio, ratione operationis,

1. Nomen *processio* primo est inventum ad significandum *motum localem,* secundum quem aliquid ordinate, nempe successive, ab uno loco per medium transit in extremum (1).

Inde hoc nomen translatum est ad designandum omnem exitum *causati* a causa, et ulterius ad notificandam omnem eductionem seu emanationem *principiati* a principio, seu omnem ORIGINEM UNIUS AB ALIO (2).

Jamvero origo unius ab alio concipi nequit nisi inquantum sit aliqua *operatio* ratione cujus unum procedat ab alio (3).

691. quae est immanens vel transiens.

2. Est autem duplex operatio, una *immanens,* altera *transiens.*

Immanens operatio est « quae in ipso operante manet et est ipsius operantis perfectio, ut sentire, intelligere, velle » (4); transiens vero operatio est « quae in exteriorem rem transit, quae est perfectio facti quod per ipsam constituitur, ut calefacere, secare, aedificare » (5).

Licet in Deo omnis operatio sit formaliter immanens (6), est tamen quaedam Dei operatio quae *eminenter* seu *virtualiter* est *transiens,* scilicet operatio intellectus et voluntatis prout, sine ulla sui mutatione, contingenter terminatur ad creaturas producendas, conservandas, gubernandas. Hujus operationis divinae est aliquis terminus vere productus, aliqua res facta, realiter distincta a Deo et proinde *extra* Deum. Illius rei origo est processio *ad extra.*

---

(1) Apud auctores antiquos, nomen *processio* adhibetur v. gr. de *agmine* (la marche) exercitus.
(2) Cf. S. THOMAS, *in I Sent.,* dist. XIII, Q. I, a. 3 ad 1 et ad 2; *De Potentia,* Q. X, a. 1.
(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXVII, a. 1.
(4) S. THOMAS, *Sum. contra Gent.,* L. II, c. 1.
(5) ID., *ibid.*
(6) Cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 226; t. XIV, p. 514; suprà, n. 620.

Quum autem Filius et Spiritus Sanctus sint vere Deus, origo illorum nequit non esse processio *ad intra*. Quapropter in materia de SS. Trinitate nobis consideranda est tantum processio *ad intra,* quae est ratione operationis formaliter et exclusive *immanentis*.

692. Duplex est genus processionis: operationis et operati.

3. Sed jam oportet ut sedulo consideremus DUPLEX esse GENUS PROCESSIONIS. Apud creaturas enim dupliciter aliquid procedit seu oritur ab alio : uno modo, sicut **operatio,** alio modo sicut **operatum** (*passive* sumendo hoc vocabulum, quemadmodum fit in locutione : *ex opere operato*) (1).

Et sane operatio definitur *actualitas virtutis* : ita intellectio est actualitas virtutis intellectivae, et volitio, actualitas virtutis volitivae. Porro in creaturis, actualitas virtutis est quaedam entitas realiter distincta ab essentia operantis et ab ejusdem potentia operativa, est aliquod accidens : igitur quando aliqua creatura fit actu agens, tunc ipsa operatio, *entitative* spectata, emanat seu procedit ab operante (2) : haec est processio *operationis*.

Praeterea, saepe, non semper, operans operando *producit aliquid,* scilicet dat esse physicum alicui enti quod prius non existebat et quod realiter distinctum est ab ipsa operatione : v. gr., generans producit genitum, artifex artificiatum, puta statuam, homo intelligens producit verbum mentis seu speciem expressam : haec est processio *operati*.

693. Porro omnis operatio *transiens* « de sui ratione dicit *productionem* alicujus *effectus extra* operantem; unde tam impossibile est ut operatio transiens detur absque processione *operati* quam impossibile est ut sit effectio absque effectu vel causalitas absque causato » (3).

Aliter res se habet de operatione *immanente,* quae non habet effectum extra operantem. Operatio immanens quandoque habet *operatum,* quandoque non (4). V. gr. in homine secundum naturae vires intelligente, ipsa operatione intellectus producitur verbum seu species expressa, in ipsa facultate intellectiva remanens (5) : ideo quando homo fit actu intelligens, tunc in ipso habetur *et* processio *operationis et* processio *operati*. E contrario, quando homo vult, ipsa operatione volitiva non producitur (saltem secundum communem sententiam) aliquid in voluntate realiter distinctum ab ipsa operatione volendi : ideo quando homo fit actu volens, tunc in ipso habetur sola processio *operationis* (6).

---

(1) « Dupliciter potest aliquid procedere ab altero: uno modo sicut actio ab agente, vel operatio ab operante; alio modo sicut operatum ab operante ». S. THOMAS, *De veritate,* Q. IV, a. 2 ad 7.

(2) Nempe operatio emanat a supposito tamquam a principio *quod* agit, emanat a natura tamquam a principio *primo quo* agit suppositum, emanat a potentia operativa seu a facultate tamquam a principio *proximo quo* agit suppositum.

(3) Card. BILLOT, *De Deo uno et trino,* L. II, Q. XXVII, I, p. 348.

(4) Cf. CAJETANUS, *in Sum. theol.,* Q. XXVII; a. 1, n. XI, FERRARIENSIS, *in Sum. cont. Gent.,* L. I, c. 53.

(5) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 428; card. BILLOT, *o. c.,* p. 351 ss.

(6) Hoc assertum exponunt S. THOMAS, *De veritate,* Q. IV, a. 2 ad 7; *Sum. cont. Gent.,* L. IV, c. 19; FERRARIENSIS, in h. l.; CAJETANUS, *in Sum. theol.,* I, Q. XXVII a. 3, n. III; card. BILLOT, *o. c.,* l. c, p. 359 ss. — Licet operatione volendi non producatur aliqua entitas physica, realiter distincta ab operatione ipsa, tamen hujus operationis est *terminus intentionalis;* scilicet *res, cognita* ut bona vel mala, est id ad quod terminatur appetitus. Inde etiam recte dicitur quod res amata est in amante, quatenus res amata fit in amante quasi spirituale pondus, quod est

694. In Deo nequit esse processio operationis,

4. In Deo : *a*) nequit esse processio *operationis*. Haec enim importat ut ipsius operationis entitas, scilicet ipsa actualitas virtutis, emanet ab agente, ideoque sit aliquod accidens realiter distinctum ab essentia agentis : « igitur fingere in Deo processionem operationis nihil aliud esset quam ponere in ipso potentialitatem et motum et compositionem » (1) : quae omnia Deo repugnant.

nec operati,

b) Praeterea nequit in Deo proprie esse processio *operati ad intra :* nam hoc deberet esse aliquid productum seu effectum in ipso Deo, aliquid cujus esse realiter distingueretur ab essentia divina, illique accederet, quod repugnat, quum Deus sit omnino simplex totumque Esse divinum sit omnino necessarium et prorsus *a se*.

695. sed processio secundum operationem et per modum operati,

Restat ut in Deo possit esse tantum **processio secundum operationem et per modum operati.**

Etenim divina processio debet esse *secundum operationem:* quia processio concipi nequit nisi ratione operationis.

Deinde illa processio debet esse *per modum operati :* nam nequit aliquid concipi ut procedens nisi vel ipsa operatio vel terminus operationis : jamvero nullo modo potest esse realiter in Deo processio operationis, ut modo diximus. Relinquitur ut in Deo sit tantum processio termini operationis : hic porro terminus nequit esse aliquid proprie operatum seu productum, sed aliquid quod se habet analogice ad id quod in creatura est operatum. Quapropter divina processio dicitur *per modum operati.*

696. intellectus vel voluntatis

Quum in Deo nequeat esse processio ad intra nisi secundum operationem immanentem, et quum in puro spiritu non alia sit immanens operatio quam *intelligere* et *velle,* oportet ut processio divina ad intra, si quae detur, sit secundum operationem intellectus vel voluntatis et per modum operati in intellectu vel in voluntate.

697. Processio secundum intellectum est principium processionis secundum voluntatem.

Sed jam hîc notandum venit quod processio secundum operationem *intellectus* et processio secundum operationem *voluntatis,* non quasi collateraliter se habent, sed ordine quodam, quatenus prima est principium secundae. Etenim id quod intelligitur, in esse rei intellectae, est in intelligente, et id quod amatur, in esse rei amatae, est in amante. « Quod autem aliquid actu ametur, procedit et ex virtute amativa amantis et ex bono amabili actu intellecto. Hoc igitur quod est amatum esse in amante, ex duobus procedit : scilicet ex principio amativo et ex intelligibili apprehenso, quod est verbum

---

inclinatio in rem amatam: quae inclinatio importat coaptationem appetitus ad bonum. — Ex dictis elucet aliter esse cognitum in cognoscente, aliter amatum in amante. Etiam magna differentia est inter modum quo amor oritur a voluntate et modum quo verbum oritur ab intellectu. Qua de re sic apposite CAJETANUS, *l. c.*, n. XI: « Quamvis amor oriatur effective a duobus, scilicet a voluntate et a re amabili cognita, sicut et verbum ab intellectu et intelligibili una cum intellectu, magna tamen differentia percipienda hîc est. Conceptus enim producitur ab utroque in vi unius efficientis completi et in ratione rei; amor autem producitur a voluntate et re amabili cognita, non ut integrantibus unum agens, sed ut e diverso, ac diversis rationibus concurrentibus. A voluntate enim oritur [amor] in ratione rei, ab amabili autem in ratione cogniti: amabile enim ut cognitum amorem parit, voluntas autem ut talis res ».

(1) Card. BILLOT, *o. c.*, p. 347.

conceptum de amabili » (1). Si igitur datur in Deo processio secundum operationem voluntatis seu, quod idem est, procedens ut res amata in amante, praerequiritur intellectio de bono amabili; si igitur datur in Deo processio secundum operationem intellectus, seu procedens ut res intellecta in intelligente, haec processio est principium processionis secundum operationem voluntatis, quemadmodum cognitio boni amabilis est principium amoris illius boni.

698. Processioni connectitur relatio.

Rationi processionis necessario connectitur ratio *relationis*. Etenim si datur processio, h. e. origo unius ab alio, etiam adest relatio procedentis ad principium a quo originem habet et, vice versa, relatio principii ad illud quod procedit ab ipso.

Illa mutua relatio inerit etiam Deo, si in ipso datur processio ad intra, seu origo unius ab alio.

Jamvero, uti supra diximus, omnis divina processio ad intra est secundum operationem intellectus vel voluntatis.

Apud nos datur processio ipsius operationis intelligendi; praeterea, processio operati, seu verbi, nam conceptio verbi est apud nos *actio causativa* verbi. At vero intelligere divinum nullo modo habet rationem operationis effectivae Verbi Dei: nam, uti supra n. 345, 396, diximus, in Deo, intelligere et res intellecta in esse intellecto sunt realiter idem ac essentia divina. « Consequenter processio sive origo activa Verbi (quae processio nobis *sola revelatione cognosci potest*) nequit esse formaliter operatio, sed est simplex relatio prout exigitur per operationem et connotat eam. Quo fit ut *esse exigitivum relationis principii* Verbi *ad Verbum* respondeat in divino intelligere ei quod apud nos est *esse causativum* seu *effectivum verbi*. Quapropter cum dicimus dari in Deo processionem per modum operati secundum operationem intellectus, et iterum processionem aliam secundum operationem voluntatis, nihil aliud significamus nisi quod divina intellectio est ratio cur sit in Deo oppositio duorum relativorum consubstantialium, sese invicem respicientium per modum intelligentis emittentis et intellecti emissi : quatenus uterque eorum unam eamdemque habet essentiam, intellectionem, et si quid aliud absolute dicitur, sed cum alia et alia relatione, principii videlicet et procedentis a principio. Et idem proportionaliter dicendum de processione altera secundum voluntatem » (2).

Haec summatim dicta praemisimus ut vel ab initio praecaveantur conceptus erronei, etiam ut innotescat quo spectet ulterior dogmatis SS. Trinitatis explicatio : ad hoc nempe tendit, ut exponatur id quod ipse Deus nobis revelavit de processionibus divinis ad intra, et id quod ulterius recta operatio naturalis rationis potest cognoscere de essentia divina processionis ad intra, scilicet de modo quo verificetur in Deo processio et proce-

(1) S. THOMAS, *Compendium theologicae*, c. 49.
(2) Card. BILLOT, *o. c.*, p. 364 ss.

dens, et id quod est de ratione utriusque : quae explicatio necessario desumitur per analogiam ad processionem secundum operationem immanentem intellectus et voluntatis, quae in nobis detegitur.

ARTICULUS Ius. De processione Filii a Patre.

PROPOSITIO PRIMA. **Datur in Deo realis processio Filii a Patre.**

699. Est in Deo realis processio Filii a Patre;

Hoc est de fide.

Demonstratio.

A. EX S. SCRIPTURA. Suprà, n. 636, 639, demonstravimus esse in Deo aliquem realiter distinctum ab alio, Patre, et rationem Filii habentem in ipsa natura divina, ita ut hic sit naturalis filius et vere genitus a Patre, in cujus sinum reclinatus adest. Atqui nequit esse realiter filius, aut genitus, nisi qui realiter procedit ab alio, nisi qui realiter oritur seu originem habet ab alio. Ergo datur in Deo realis processio Filii, et proinde generatio.

B. TRADITIO eamdem veritatem continet, uti constat ex textibus suprà citatis, n. 657 ss.

PROPOSITIO SECUNDA. **Illa realis processio est in Deo secundum operationem intellectus.**

700. haec processio est secundum operationem intellectus:

Haec propositio est saltem theologice certa.

Demonstratio.

A. *Ex S. Scriptura.* Idem qui vocatur Filius et nobis exhibetur ut unigenitus a Deo [Patre] procedens, dicitur etiam *Verbum, Jo.* I, 1-2. Atqui illud vocabulum sumendum est hîc in sensu proprio, ita ut significet *formaliter* intentionalem imaginem rei intellectae existentem in intelligente vel sapientiam genitam. Ergo datur in Deo processio Verbi, h. e. processio secundum operationem intellectus et per modum operati in intellectu.

quod docetur A) *S. Scriptura,*

Minor declaratur. Λόγος formaliter significat vel intellectum seu rationem: vel cognitionem *interne* in intellectu expressam, inde etiam sapientiam; vel cognitionem *externe* expressam seu sermonem aut orationem; vel causam seu rationem cur aliquid sit vel modum secundum quem aliquid est : ad illas significationes formales reduci posse videntur aliae, quae huic nomini subsunt.

Hisce positis, si contextus consideratur in quo adhibetur a Joanne nomen Logos, significatio formalis, quam ipse intendit, dicenda est haec : *sapientia genita.*

Etenim in v. 1 et 2 considerat Joannes Logon prouti est in ipso Deo; in v. 3 et ss., prouti est causa rerum et varias habet relationes cum hominibus. Jamvero Logos *prouti est in ipso Deo,* et quidem *ab aeterno,* non est formaliter *causa* rerum, quia res non ab aeterno factae sunt et praesertim quia Logos *non necessario* est causa rerum : potuisset enim Deus non creare; nec est formaliter sermo Dei vel revelatio Dei : quia iterum in ipso

Deo non verificatur haec ratio locutionis; quodsi referatur sermo Dei ad creaturas creandas, vel revelatio ad homines: haec iterum non ab aeterno sunt (1).

Nec contextui congruit significatio : *intellectus*. Si enim intellectus concipitur ut facultas cognoscitiva et analogice dicitur de Deo, hic non potest concipi ut hypostasis distincta in Deo.

Remanet igitur significatio : cognitio intellectualis interne expressa, seu verbum internum mentis, seu sapientia genita. Haec enim sola perfecte quadrat cum contextu; eo vel magis quod, in v. 18, de eodem Verbo dicit Joannes : « unigenitus Filius *qui est in sinu Patris* » : quatenus est in sinu Patris est Deo prorsus internus; quatenus est *unigenitus Filius* relationem dicit ad Patrem, non ad res creatas; tandem nomen *Logos* designat id quod pertinet ad intellectum, non id quod pertinet ad voluntatem : ergo Verbum significat formaliter interne genitum secundum operationem intellectus.

Haec interpretatio *confirmatur* ex *Jo.*, V, 19 : « Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit ». « Processio significatur ubi dicitur : *non potest Filius a se facere quidquam.* Cum enim operatio sequatur esse, imo in divinis sit omnino idem, Filium non posse a se operari, nihil aliud est quam ipsum non esse a se, sed a Patre per processionem. Processionis vero modus insinuatur ubi additur : *nisi quod viderit Patrem facientem.* Quippe apud nos unus ab alio artem faciendi operis accipit per hoc quod alium facientem videt. Visio itaque, de qua loquitur Evangelium, metaphorice significat communicationem per modum intellectus, qua Filius communicatam a Patre habet artem creatricem, id est naturam divinam sub ratione artis; artem autem nunc dico rationem rei factibilis in intellectu existentem. Et ideo videre Patrem facientem, nihil aliud est quam procedere ea processione quae est determinate secundum operationem intellectivam » (2).

701.
B) Traditione,

B. Ex Traditione.

Praecipui Patres vel antiqui scriptores ecclesiastici nomen *Verbum* interpretati sunt quemadmodum statim exposuimus.

Apol.

Apologetae existentiam Verbi in Deo explicant per processionem secundum intellectum : ita Tatianus, *Apologia contra Graecos*, n. 7, dicit Verbum esse *ex rationali potentia genitum*, ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως; Athenagoras, *Legatio pro christianis*, n. 10, dicit Filium Dei esse « Verbum Patris in idea et operatione », cf. suprà, n. 655.

Clem. Alex.,

Clemens Alex. dicit Verbum esse sapientiam supermundanam, adeoque nos in ipso Deo praeexistere (h. e. intentionaliter) : cf. *Cohortatio ad Graecos*, c. 1, P. G., t. VIII, col. 60 s.; *Paedagogus*, L. I, c. 11, col. 365; *Stromata*, L. VI, P. G., t. IX, col. 280.

Origen.,

Eamdem interpretationem tenet Origenes, *Comment. in Joannem*, tom. II, n. 22, P. G., t. XIV, col. 56.

St. Athan.,

S. Athanasius, *Adversus Arianos*, L. I, n. 9, n. 42, docet Filium Dei esse *sapientiam unigenitam, Verbum verum et unicum Dei*, et *ideo* esse verum et aeternum Filium Dei (3).

---

(1) Idem a fortiori dicendum de ratione *revelatoris* vel *mediatoris:* hae notiones non includuntur in formali ratione significata per nomen Logos. — Si Logos sumitur *metaphorice* ad designandam omnipotentem Dei actionem, qua producit seu creat quaecumque vult, secundum illud: « *Dixit* Deus: Fiat lux, et facta est lux », tunc illa metaphora non videtur posse designari hypostasim in Deo distinctam; praeterea omnipotentia, quae metaphorice designatur illa metaphora, per appropriationem dicitur de Patre et non de Filio.

(2) Card. Billot, *o. c.*, p. 370 s.

(3) Cf. Tixeront, *o. c.*, t. II, p. 69 s.

S.Basilius, *Hom. in illud : « In principio erat Verbum »*, n. 3, P. G., t. XXXI, col. 477, dicit : « Jamvero *verbi* duplex est intelligentia : alterum enim voce profertur, quod posteaquam prolatum est, in aëre perit; alterum verbum internum est, inque animis nostris insitum, verbum scilicet mentis ». Deinde explicat quomodo *verbum* conveniat Deo. « Cum de Unigenito ad te loqueretur, Verbum ipsum dixit... Cur Verbum? Ut perspicuum sit processisse ex mente. Cur Verbum? Quia citra passionem genitus est. Cur Verbum? Quia imago est genitoris, totum in seipso genitorem ostendens... quemadmodum et verbum nostrum totius nostrae cogitationis refert imaginem ». *S. Basil.,*

S. Augustinus, *Sermo* CCXC, n. 3, bene explicat discrimen inter verbum ore prolatum, et verbum internum, quod mente seu corde concipitur; *Sermo* CCXCIII, n. 3 docet Joannem Baptistam esse *vocem* temporalem, Christum vero esse *Verbum* aeternum. — In *Tractatu I in Johannis Evangelium*, cap. I, n. 8 ss,, explicat in his verbis. « In principio erat Verbum » agi de Verbo Dei interno, quod spiritaliter dicitur, et quod est cognoscendum ex mundo cujus est causa. *S. Aug.,*

S. Augustinus, *De Trinitate*, L. IX et L. XV, explicat quomodo intelligenda sit generatio Filii in Deo : est nempe processio Verbi interni secundum operationem cognoscitivam, analogice ad modum quo in nobis verbum internum procedit a mente nostra.

S. Joannes Damascenus, *De fide orthodoxa*, L. I, c. 6, discrimen explicat inter verbum humanum et Verbum divinum, quod Verbum a Patre genitum est et omnia in se ostendit quae in Deo conspiciuntur. *S. Jo. Damasc.*

Ex locis citatis patet praelaudatos Patres nomen *Verbum* assumere ut nomen omnino proprium Filio, quod rationem ejus generationis exprimit et quod formaliter significat *intentionalem repraesentationem rei cognitae in mente cognoscentis*, seu *sapientiam genitam*.

Illa proprietas Verbi in Deo est ratio conveniens cur Deus per Verbum se manifestet ad extra, cur proinde Verbum sit revelator Dei : sed ex hoc non sequitur nomine « Verbum » significari formaliter *revelatorem Dei*.

C. Ex ratione theologica. *702. C) ratione theologica.*

Uti ex revelatione constat, datur in Deo, scilicet in ipsa divina natura seu essentia, processio *ad intra* seu, quod idem est, processio secundum operationem immanentem; atqui in puro spiritu actio immanens non est nisi intellectus et voluntatis; jamvero voluntas praesupponit intellectum : ergo supposita semel processione ad intra in Deo, dubium esse nequit quin detur processio secundum operationem intellectus et per modum intelligibilis emanationis (1).

Scholion. *703. De origine doctrinae de Verbo:*

De origine doctrinae de « Verbo », quam tradit S. Joannes, non parum disputatum est ab auctoribus (2) : quod de illa quaestione tenendum videtur breviter indicabimus.

Status quaestionis. Primus, imo solus Joannes (3), adhibet *vocem* Λόγος qua designetur ipse Filius Dei. Ex modo quo vocem illam usurpat, scilicet absque explicatione, concludi potest illam jam notam esse apud illos, quibus directe destinatur Apocalypsis, et evangelium quartum, nempe apud christianos commorantes Ephesi et in vicina Asiae Minoris regione (4). Praeterea quum illa voce

(1) Cf. S. Thomas, *Sum. theol.*, Q. XXVII, a. 1; card. Billot, *o. c.*, thes. I, p. 371.

(2) Inter catholicos cf. Knabenbauer, *Commentarius in Joannem*, p. 17 ss., 65 ss.; Camerlynck, *De quarti evangelii auctore* (2ª p.), Lovanii, 1900, p. 258 ss., Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinité:* Krebs, *Der Logos als Heiland im ersten Jahrhundert*, Freiburg i. Br. 1910; apud quos acatholicorum sententiae exponuntur ac dijudicantur.

(3) *Jo.* I., 1, 14; *1 Jo.*, I, 1; *Apoc.*, XIX, 13.

(4) Quare recte concludimus Joannem in sua praedicatione solitum fuisse uti hac voce ejusque significationem explicuisse.

nullibi, ut videtur, neque in evangeliis (1), neque in epistolis apostolicis, ipse Christus designetur, probabile est Christum nunquam semetipsum ita vocasse. Quaeritur proinde : 1) undenam acceperit Joannes illud nomen; 2) unde ipsam doctrinam de Verbo habuerit; 3) quaenam sit significatio nominis « Verbum ».

704. Conjectura probabilis est doctrinam Philonis fuisse Joanni occasionem adhibendi vocabulum « Verbum »,

I. Conjectura probabilis est *occasionem* proximam qua Joannes nomen « Logos » assumpserit ad designandum Filium Dei, fuisse doctrinam Philonis tunc temporis sparsam Ephesi.

Tempore enim quo Joannes degebat Ephesi et quo scripsit suum evangelium, nota erat Ephesi, ut videtur, doctrina Philonis et circa illam occupabantur exculti inter christianos et de illa disserebant (2). Porro Philonis doctrina versabatur magna ex parte circa *Logon,* ens quoddam sat mysteriosum, de quo plura praedicantur quae, saltem verbotenus, poterant dici de Christo : Logos Philonis habebatur, v. gr. ut sapientia Dei, ut idea exemplaris universi, ut aliquis intermedius inter Deum et creaturas, ut revelator Dei, ut ille per quem ad perfectionem moralem pervenirent homines (3).

Inde hoc probabile est quod Joannes, illas inter christianos motas quaestiones cognoscens, et perspiciens periculum oriri posse de falsa notione circa ipsam personam Christi et circa fidem de redemptione per Christum, voluerit veram doctrinam exponere, necnon docere quaenam habenda esset notio de *Verbo* ac quisnam esset vere Verbum : inde praemiserit evangelio prologum : « In principio erat Verbum... » etc. (4).

705. sed Joannis doctrina est a Deo revelata.

II. Altera necnon majoris momenti quaestio occurrit undenam acceperit Joannes *doctrinam* de Verbo Dei.

Hanc doctrinam non didicit Joannes a Philone : nam notio et proinde doctrina de Verbo apud Philonem est substantialiter diversa a doctrina Joannis de Verbo Dei (5).

Praeterea nequit admitti Joannem accepisse *credendo* a Philone aliquam religiosam doctrinam : non enim *auctoritatem,* cui fides respondet, habebat erga Joannem Philo, vel alius quilibet non-christianus.

Si igitur admittatur (quod tamen non certo demonstratur) doctrinam Philonis fuisse *occasionem,* qua Joannes nomen et doctrinam de Verbo *expresserit,* oportet ut Joannes aliunde praecognoverit illa voce recte designari Filium Dei et illi convenire id quod illud nomen significat; illa porro cognitio non nisi a Deo revelante potuit accipere Joannes : sive a Christo, hac in terra degente, sive a Spiritú Sancto post Christi ascensionem. Fieri potest ut Joannes cognoscendo naturam Filii Dei, *ratiocinando judicaverit* Filium Dei esse proprie *Verbum* et hoc docuerit (6); probabilius tamen videtur quod speciali revelatione Deus explicite manifestaverit

---

(1) Non videtur *Jo.* XVII, 17b intelligi posse hoc modo quo dicatur ibi vocabulo ὁ λόγος designari ipse Filius Dei. Quapropter concludendum neque in sermonibus quos Joannes in Christi ore ponit unquam hac voce designari Jesum.

(2) Cf. KREBS, *o. c.,* p. 93; LEBRETON, *o. c.,* p. 516.

(3) Cf. KREBS, *o. c.,* p. 43 ss., 101, 105; LEBRETON, *o. c.,* p. 183-205.

(4) Cf. CAMERLYNCK, *o. c.,* p. 260 ss. — Etiam ad avertendas a Christianis falsas notiones de persona et excellentia Christi, scripserat, triginta circiter annis ante Joannem, Paulus quasdam partes epistolae ad Colossenses: cf. *Collat. Brug.,* t. X, p. 196, 277; t. XVI, p. 330; KNABENBAUER, *Commentarii in S. Pauli epistolas ad Ephesios,* etc. p. 29. — Licet occasio scribendi illius prologi fuerit error tunc sparsus, non ideo concludendum est evangelium Joannis esse scriptum *polemicum,* quasi *directe* impugnaret errorem: « Doctrina quidem in libro [evangelio] exposita illae omnes opinationes [falsae] excluduntur, quia veritate stabilita errores contrarii eo ipso prostrati jacere intelliguntur. At aliud est errores oppugnare, aliud verum proponere. Quare potius dicendum est apostolum librum suum scripsisse, non ut illos haereticos directe impugnaret, sed ut fideles contra errores illos et fallacias praemuniret ». KNABENBAUER, *Comment. in evangelium secundum Joannem,* p. 20.

(5) Cf. LEBRETON, *o. c.,* p. 519 ss.; RICHARD, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Fils de Dieu,* col. 2381 ss., 2404 ss.

(6) Etiamsi per ratiocinium ex praehabita cognitione conclusisset Joannes Filium Dei esse Verbum, haec tamen doctrina esset quoad nos divinitus revelata et fide divina credenda, quippe quae docetur in libro a Deo inspirato.

Joanni doctrinam de Verbo Dei : quia est tam altum, tamque profundum dagma de intima Dei natura (1).

706. De significatione nominis « Verbum ».

III. Sed remanet nunc quaestio in quonam sensu nomen « Verbum » adhibuerit Joannes.

Krebs (2) hanc opinionem tenet : quia apud Philonem, apud Judaeos, etiam apud Gentiles, nomen « Logos » adhibebatur ad designandum aliquod ens, cui multa attribuebantur, et de quo multa plus minusve clare cogitabantur, ideo etiam apud christianos hoc nomen usurpatum fuit ad designandum collective et quasi compendiose omnia quae poterant de illo Logo et simul de Christo praedicari. Quapropter censet probabile esse apud christianos vocabulo *Logos* non designari solum *sermonem revelantem* Deum, vel solum Dei *rationem,* vel solam Dei *sapientiam,* vel solum *sermonem Dei efficacem;* sed simul et Dei aeternam cogitationem, sapientiam, Filium intellectualiter genitum; necnon potentem sermonem et irresistibilem Dei virtutem; necnon Revelatorem Dei et Mediatorem Deum inter et homines.

Haec sententia nobis non demonstratur nec videtur admittenda.

a) Primo quidem quia non logice infertur aliquod nomen, quod quasi proprium tribuitur alicui enti, *significare* omnia quae de hoc ente, etiam ut ipsi propria, dicantur : nomen enim unumquodque habet aliquem *formalem* significationem, vel plures formales significationes quae sunt rationes intellectae ad quas significandas ipsum nomen fuit impositum. Ita v. gr. licet Deus vocetur substantive Creator, Omnipotens, Altissimus, Infinitus, non ideo amittunt illa vocabula, etiam quum de Deo dicuntur, formalem significationem; nec homo, qui significationem nominis penitus perspicit, tamquam synonyma illa adhibebit; (cf. suprà, n. 318) nec etiam dici potest quod vocabulum *Deus* haec omnia *formaliter significat* (3).

Quum igitur vocabulum « Verbum » suas habeat formales significationes, ipsi proprias, non licet concludere illo nomine *significari* rationes, quae non continentur in ambitu suae significationis propriae, nisi aliunde constet illum, qui vocabulum adhibuit, vel non cognovisse formalem vocabuli significationem, vel non intendisse illam in loquendo aut scribendo.

b) Quapropter, licet illa persona, quae vocatur « Verbum », sit realiter Redemptor, Sanctificator, Virtus Dei, Mediator, etc., non logice concluditur has omnes diversas rationes significari per solum vocabulum « Verbum »; nec etiam logice concludi potest ideo fuisse a Joanne adhibitum vocabulum *Logos,* quia diversa munera, quae Philo tribuebat illi, quem Logon vocabat, conveniebant analogice Filio Dei. Remanet igitur ut vocabulum « Verbum » sumatur in sua formali et propria significatione et inquiratur quaenam praecise significatio ei sit tribuenda in contextu in quo adhibetur : hoc suprà, n. 700, fecimus, et ostendimus « Verbum » in loco de quo agitur, significare internam cognitionem ut in mente cognoscentis expressam. Consequenter admittimus illo vocabulo Joannem docuisse veritatem speculativam, nempe proprietatem secundae Personae SS. Trinitatis seu, si ita loqui fas est, metaphysicam essentiam seu rationem essendi Filii Dei et proprium modum quo procedit a Patre.

---

(1) Non rite loquuntur qui sermonem habent de aliqua *dependentia* Joannis a Philone, vel de aliquo *influxu* Philonis in Joannem. Nam doctrina Philonis, uti diximus, non potest esse nisi *occasio,* qua Joannes, tunc doctrinam explicite a Deo revelatam acceperit et tradiderit, vel manifestaverit doctrinam jam antea a Deo revelatam, vel cogitando et ratiocinando judicaverit Filium Dei esse vere Verbum et hoc docuerit. In singulis hypothesibus, doctrina Philonis est mera *occasio* effectus qui producitur in Joanne et a Joanne: est nempe occasio « aliquid effectus productionem circumstans, ad cujus praesentiam res fit, quin tamen ipsum in rei productionem influat per se, aut ad eam sit requisitum ». DE JAEGHER *o. c.*, n. 272.

(2) *O. c.*, p. 112 s.

(3) Ita etiam vocabulum « Jahve » habet aliquam formalem significationem: cf. suprà, n. 151 ss. Formalis significatio nominis est ipsa ratio intellecta, ad quam significandam nomen adhibetur et haec significatio exhibetur per definitionem nominalem. Illa significatio habetur quandoque ex etymo, quandoque ex usu. Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 32.

Ordinaria pro nomine habetur aliqua significatio *generalis* quasi radicalis, quae ex usu limitata est ad *speciales* significationes, uti vdere est in dictionnariis. Talis enumeratio significationum habetur v. gr, pro nomine μυστηριον apud PRAT, *Théologie de S. Paul,* t. II, p. 393 ss:

707. *Processio Verbi est proprie generatio.*

PROPOSITIO TERTIA. **Illa processio est proprie generatio.**

Nota. Jam demonstravimus ex documentis Revelationis, n. 636, 668, in Deo esse vere Filium, proinde generationem. Nunc autem probamus processionem divinam ad intra, quae et quatenus est secundum operationem intellectus et per modum operati in intellectu, esse formaliter *generationem.*

Demonstratio.

Generatio definitur : *origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae* (1); atqui haec definitio proprie verificatur in processione divina Verbi; ergo haec est formaliter generatio.

Major declaratur. Secundum traditam definitionem, tria requiruntur ad generationem : 1° *origo* entis *viventis* ab alio ente *vivente;* 2° oportet ut origo sit a principio vivente *conjuncto,* h. e. ut vivens, a quo alterum procedit, communicet suam eamdem numero naturam alteri vel ut *de* substantia sua procedat alterum vivens. Ideoque vel ex solo hujusmodi defectu, primus homo Adam, etsi processerit vivens a Deo vivente, non tamen a Deo genitus dici potest. 3°) Requiritur ut origo sit *in similitudinem naturae :* hae voces exprimunt differentiam specificam generationis : requiritur enim ut vivens *formali ratione processionis suae,* constituatur similis in natura cum illo a quo procedit, seu, ut processio *secundum modum ipsi proprium* tendat ad hoc ut procedens sit ejusdem naturae (sive numerice, sive specifice) cum illo a quo procedit. Unde aliud est oriri simile in natura, aliud oriri *in similitudinem naturae :* hoc ultimum requiritur ad generationem. Quapropter Heva nequit dici genita ex Adamo : licet originem habuerit ab Adamo et de substantia ejus fuerit, tamen non processit secundum operationem quae *per se* tendit ad hoc ut a vivente oriatur alius vivens ejusdem naturae. Heva enim miraculose a Deo producta est de substantia Adami.

708. *Minor* declaratur. Processio Verbi est 1° *origo viventis a vivente :* nam Verbum est verus Deus de Deo vero : 2°) *a vivente principio conjuncto :* Verbum enim est ejusdem numerice essentiae cum Patre; 3°) est *in similitudinem naturae :* nam omne verbum mentis internum procedit formaliter ut similitudo seu imago rei intellectae in intelligente : est enim res intellecta in esse intellecto. Jamvero in Deo habetur realiter Verbum, uti suprà, n. 700, demonstravimus : hoc proinde procedit formaliter ut Deus intellectus in Deo intelligente semetipsum : nam primarium objectum divinae cognitionis est ipsa essentia Dei (cf. suprà, n. 350) : ergo Verbum Dei, formaliter ex ipso modo quo procedit, procedit *in similitudinem* Patris; sed procedit etiam in similitudinem *naturae :* nam in Deo nullum potest esse accidens; non aliud datur esse quam ipsum *Esse per se subsistens :* ergo Verbum est realiter ipsa natura Dei et proinde *substantialis* imago Patris.

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXVII, a. 2; DE JAEGHER, *o. c.,* n. 365; REMER, *Summa Praelectionum philosophiae scolasticae,* t. II, p. 267; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. III, p. 599 ss.; card. BILLOT, *o. c.,* thes. II; VAN NOORT, *De Deo uno et trino,* n. 178; *Collat. Brug.,* 1927, t. XXVII, p. 136 ss.

Nota. 1° In solo Deo, quia est suum intelligere processio verbi est generatio (1). *709. Nota.*

2° Licet generatio in Deo a nobis apprehendatur per modum actionis et passionis, nihil tamen aliud est a parte rei quam relationes oppositae, ut infrà explicabitur.

3° Licet in Deo sit proprie dicta generatio, haec tamen non univoce, sed tantum analogice praedicatur et de Deo et de creaturis.

ARTICULUS IIus. De processione Spiritus a Patre et Filio.

PROPOSITIO PRIMA. **Est in Deo altera processio, nempe processio Spiritus Sancti.** *710. Est in Deo altera processio.*

Haec assertio est de fide : nam nihil aliud importat quam explicitam elocutionem ejus quod in veritate revelata implicite formaliter continetur : etenim in Deo est Pater et Filius et deinde tertius, nempe Spiritus Sanctus, qui realiter distinctus est a Patre et a Filio et qui realiter procedit (cf. suprà, n. 637, 640); si datur procedens, realiter distinctus a Filio, datur etiam processio realiter distincta a processione Filii : hanc alteram processionem hîc asserimus (2).

PROPOSITIO SECUNDA. **Spiritus Sanctus procedit ab utroque Patre et Filio.** *711. Illa processio est a Patre et Filio: hoc est de fide;*

Haec propositio est de fide. In symbolo a S. Athanasio nuncupato dicitur « Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens » (3).

In concilio Lateranensi IV (an. 1215) statuitur haec definitio : « Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus... Pater et Filius et Spiritus Sanctus : tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino; Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque; absque initio semper ac sine fine; Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens » (4). Spiritus Sancti processionem a Patre et Filio explicite definiverunt etiam concilium Lugdunense II (an. 1274) (5) et concilium Florentinum quod « Decretum pro Graecis » confecit (an. 1439), in quo legitur : « Diffinimus ut haec fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit » (6).

---

(1) Cf. Card. BILLOT, *o. c.*, p. 380 ss.

(2) Eruditissimam demonstrationem de divinitate Spiritus Sancti, tum ex Scriptura, tum ex Traditione, tradit A. PALMIERI, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Esprit Saint*, col. 676 ss.; specialiter Origenis doctrina exponitur, *o. c.*, col. 704 ss. Cl. TIXERONT in editione 7ª operis *Histoire des dogmes* (1915) p. 531 rite emendavit quod scripserat in praecedentibus editionibus, circa sententiam Origenis. Non *divinitatem* Spiritus Sancti censet Origenes esse extra ea quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur, sed modum proprium quo procedit vel ipsam rationem processionis.

(3) *Enchir.*, n. 39.

(4) *Enchir.*, n. 428.

(5) *Enchir.*, n. 460.

(6) *Enchir.*, n. 691.

712. *hoc demonstratur:* A) *ex S. Scriptura,*

Demonstratio.

A. Ex S. Scriptura (1).

1° Spiritus Sanctus procedit a Patre, uti explicite dicitur *Jo.*, XV, 26.

2° Idem Spiritus etiam a Filio procedit. Hoc constat *a*) ex hoc quod docetur Spiritum Sanctum accipere a Filio naturam divinam, *Jo.*, XVI, 7-15 (cf. suprà, n. 637); *b*) ex hoc quod Spiritus Sanctus dicitur *mitti* a Filio : « Cum autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum Veritatis, qui a Patre procedit ». *Jo.*, XV, 26. — « Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos » *Jo.*, XVI, 7. Et sane, eatenus Spiritus Sanctus dici potest *mitti* ad homines, quatenus in iis vel apud eos incipit novo quodam modo inesse (2), ratione alicujus novi effectus qui Spiritu appropriatur, et quatenus ille modus novus praesentiae convenit Spiritui propter hoc quod aliquo modo *procedit* seu *proficiscitur* ab eo, a quo mitti dicitur; jamvero Spiritus Sanctus non potest procedere a Filio ratione imperii vel consilii accepti a Filio : hoc repugnat aequalitati Spiritus cum Filio; restat proinde ut eatenus mittatur a Filio Spiritus quatenus hic ab illo *originem habet in natura divina* et consequenter quatenus cum natura a Filio accepta habet a Filio et operationem, vi cujus incipit novo modo adesse hominibus : ergo Spiritum mitti a Filio importat Spiritum procedere a Filio in ipsa divina natura seu ab illo accipere divinam naturam. *c*) Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii, Spiritus Christi, Spiritus Jesu : *Gal.*, IV, 6; *Rom.*, VIII, 9; *Act.*, XVI, 6-7; atqui non potest dici Spiritus Filii nisi etiam a Filio procederet : non enim excogitari potest alia relatio inter Spiritum et Filium quam relatio originis; praeterea Spiritus Filii idem sonat ac Spiramen Filii, Spiratus a Filio, aliis verbis, spiratione procedens a Filio. Quod confirmatur ex eo quod ipsis Graecis fatentibus, Spiritus Patris nihil aliud significat nisi : spiratione procedens a Patre. — Ineptum est effugium Graecorum : dicitur Spiritus Filii, quia Filius est consubstantialis Patri a quo Spiritus procedit. Nam si haec ratio sufficeret, etiam secunda persona vocari posset Filius Spiritus Sancti, quod est aperte haereticum (3).

713. B) *ex Traditione,*

B. Ex Traditione (4).

Apud patres apostolicos et apud apologetas, non invenitur explicita assertio nec inquisitio de modo quo procedit Spiritus Sanctus; generatim, ante concilium Nicaenum, parum loquebantur patres et scriptores ecclesiastici de illis quae spectant tertiam Personam SS. Trinitatis. Quando vero haeretici impugnarunt divinitatem Spiritus Sancti, tunc catholici perscrutati sunt doctrinam revelatam de illo, multaque diserte propugnaverunt, de quibus antea non fiebat explicita mentio. Praesertim a saeculo IV mediante explicite

---

(1) Quoad textus hîc citandos et solvendas objectiones quas movent Graeci haeretici; cf. Franzelin, *De Deo trino*, thes. XXXII, p. 439 ss.; id., *Examen doctrinae Macarii Bulgakow... de processione Spiritus Sancti*, p. 14 ss.; A. Palmieri, *o. c.*, col. 762 ss.

(2) Infrà fusius exponetur notio divinae *missionis* tum internae, tum externae.

(3) Cf. Franzelin, *De Deo trino*, thes. XXXII, n. II, p. 445; Van Noort, *o. c.*, n. 180.

(4) Cf. A. Palmieri, *o. c.* col. 773 ss.

docetur doctrina de origine Spiritus Sancti a Filio et illâ exprimitur deinceps in pluribus professionibus fidei sive privatis sive publicis (1).

Praedicti dogmatis quasdam praecipuas elocutiones hîc breviter referimus. *714.*

A. *Quoad Graecos.*

Orig.,

Origenes docet Patrem solum esse ingenitum, Spiritum Sanctum indigere Filio quia accipit ab illo existentiam, sapientiam, etc. *In Joan.*, II, c. 6.

S. Gregorius Thaum. (cf. suprà, n. 657) Filium dicit *solum ex solo Deo,* proinde indicat Filii processionem esse ipsi soli propriam et consequenter diversam a processione Spiritus. Praeterea docet Spiritum esse imaginem (2) Filii : quod importat aliquam originem a Filio; tandem dicit : « Neque defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus » quod significat : sicut numquam fuit Pater absque Filio procedente ab illo, ita nunquam fuit Filius absque Spiritu procedente ab illo. *S. Greg. Thaum.,*

S. Athanasius 1) dicit similem esse relationem Spiritus ad Filium qualis est relatio Filii ad Patrem : haec similitudo est in hoc quod Filius a Patre et Spiritus a Filio habet id quod est : « Qualem scimus proprietatem esse Filii ad Patrem eamdem ad Filium habere Spiritum comperiemus. Et quemadmodum Filius dicit : *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt,* ita haec omnia per Filium in Spiritu esse deprehendemus ». *Epist. III ad Seraptonem,* n. 1. 2. Ratio cur Spiritus realiter distinguatur a Filio est praecise quia Spiritus est Filii sicut Filius est proprius Patris, Spiritus est secundum suam essentiam proprius Filii, sicut Filius est secundum suam essentiam proprius Patris. *Epist. I ad Serap.*, n. 25. *S. Athan.,*

S. Basilius docet a Filio Spiritum habere originem suî, licet ineffabilis sit modus proprius illius processionis. *De Spir. S.*, c. XVIII, n. 46; *Adv. Eun.*, L. III, n. 6-7. *S. Bas.,*

Spiritus Sanctus « ex Deo procedit : non per generationem sicut Filius sed tamquam spiritus oris ejus [Patris]... » « Nativa bonitas et naturalis sanctimonia et regalis dignitas ex Patre per Unigenitum ad Spiritum permanat. » *De Spiritu Sancto,* c. XVIII, n. 46 et 47, P. G., t. XXXII, col. 152 s. Quum hîc dicitur divinitas *per Unigenitum* ad Spiritum permanare, hoc importat veram processionem Spiritus a Filio : nam S. Basilius dicit : « Quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium se habet Spiritus », *o. c.*, n. 43, col. 148. Etiam explicando tum distinctionem Personarum tum communitatem ejusdem naturae, dicit : « Quin etiam Filium si quis vere apprehenderit, habebit eum utrinque, hinc quidem Patrem suum, illinc vero Spiritum proprium una secum adducentem. Neque enim a Patre qui semper est in Patre abscindi poterit, neque a proprio Spiritu unquam sejungetur qui in ipso efficit omnia ». *Epist. XXXVIII,* n. 4, *o. c.*, col. 332. Tandem *Adv. Eunomium,* L. III, n. 1, continet celeberrimum textum, cujus genuinitatem quidam negaverunt, plures vero recte, ut videtur, propugnaverunt. « Cur enim necesse est, si dignitate ac ordine tertius est Spiritus, natura quoque eum esse tertium? Dignitate (3) quidem Spiritum secundum esse a Filio, cum habeat esse ab ipso, atque ab ipso accipiat et annuntiet et omnino ab illa causa (4) dependeat, tradit pietatis sermo, at natura tertia uti, neque ex sanctis Scripturis edocti sumus, neque ex prius dictis ulla consecutione colligi potest ». Igitur Spiritus est ejusdem numerice naturae ac Filium et Pater, sed ordine est secundus a Filio quia *ab ipso habet esse* seu *ab ipso procedit tamquam principiatum a principio.* In sequentibus verbis eodem modo

---

(1) Cf. A. PALMIERI, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Filioque,* col. 2309 ss.

(2) Rationem *imaginis* proprie dictae non convenit Spiritui respectu Filii, sicut convenit Filio respectu Patris. Cf. S. THOMAS, *Opusc. contra errores Graecorum,* c. X.

(3) Quando dicit Filium esse *dignitate* secundum a Patre, et Spiritum esse *dignitate* secundum a Filio, nihil aliud intelligit quam ordinem, qui necessario intercedit inter illum qui procedit ab alio et hunc a quo procedit alius, inter principiatum et principium. Cf. *Adv. Eunomium,* L. I, n. 20.

(4) In lingua graeca Patrum vocabulum αἰτία (= causa) tam universaliter sumitur quam vocabulum *principium* apud Latinos: inde quando Spiritus dicitur dependere a Filio tamquam a causa, nihil aliud affirmatur quam origo principiati a principio; minime intenditur quod Spiritus sit aliqua res effecta a Filio, quae *quoad substantiam seu naturam* realiter distinguatur et sic dependeat a Filio. Cf. S. THOMAS, *o. c.*, c. I.

explicat cur Filius sit secundus a Patre, licet eamdem numerice naturam habeat; idem deinde asserit verificari de Spiritu respectu Filii.

S. Cyril. Alex. S. Cyrillus Alex. pluries explicite docet Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio. Hanc nominatim sententiam habet: « Spiritus est Spiritus Dei et simul Spiritus Filii, exiens substantialiter ex ambobus, hoc est, ex Patre per Filium effusus ». *De adoratione in spiritu et veritate,* P. G., t. LXVIII, col. 148.

715. B. *Quoad Latinos.*

Tertul., Tertullianus nitide asserit Spiritum habere originem a Filio: « Spiritum non aliunde puto quam a Patre per Filium ». *Adv. Praxeam,* n. 4. Eodem in opere, n. 25, interpretans verba Christi a Joanne relata in evangelio, XVI, 14, dicit: « De meo sumet, inquit, sicut ipse de Patre. Ita connexus Patris in Filio et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, qui tres unum sint, non unus » (1).

S. Hilar., S. Hilarius dicit: «Spiritus Sanctus, Patre et Filio auctoribus, confitendus est ». *De Trinitate,* L. II, n. 29. Quod explicat, *o. c.,* L. VIII, n. 20.

Fides Damasi, In quadam professione fidei, approbata a Romano Pontifice S. Damaso, et vocata « Fides Damasi », composita circa an. 380, legitur: « Credimus... Spiritum Sanctum de Patre et Filio procedentem ». Cf. A. PALMIERI, *o. c.,* col. 2309.

S. Aug., S. Augustinus docet doctrinam catholicam de Trinitate esse quod « Spiritus Sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coaequalis et ad Trinitatis pertinens unitatem ». *De Trinitate,* L. I, c. 4, n. 7, P. L., t. XLII, col. 824. — « Si ergo et de Patre et de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dicit: de Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, de quo et ipse est. A quo autem habet Filius ut sit Deus (est enim de Deo Deus ab illo utique habet ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus; ac per hoc Spiritus Sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre ». *In Joan., tract. 99,* n. 8. P. L., t. XXXV, col. 1890. Cf. *De Trinitate,* L. XV, c. 27, n. 48, col. 1095.

symb. Athan. In symbolo Athanasiono legitur: « Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus nec creatus nec genitus, sed procedens » (2).

symb. Tolet., In symbolo concilii Toletani XI (an. 675) dicitur: « Spiritum quoque sanctum... credimus esse... non genitum vel creatum, sed ab utrisque procedentem, amborum Spiritum. Hic etiam Spiritus Sanctus nec ingenitus nec genitus creditur: ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, aut si genitum duos Filios praedicare monstremur: qui tamen nec Patris tantum, sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque processisse monstratur; qui caritas sive sanctitas amborum esse agnoscitur » (3).

716. C. EX RATIONE THEOLOGICA.

C) ex ratione theologica.

Filius habet omnia quae Pater (*Jo.*, XVI, 15), excepta paternitate, quae est praecise ratio distinctiva Patris; atqui Pater habet spirationem activam eamque non ratione paternitatis. Ergo eamdem spirationem habet Filius (4).

717. Additio vocis « Filioque » in symbolo

Scholion. *De additione vocis* FILIOQUE *in symbolo.*

In Concilio Constantinopolitano I (an. 381) definita est divinitas Spiritus Sancti (cf. suprà, n. 667), et professio illius dogmatis adjuncta est symbolo quod conditum fuerat in concilio Nicaeno. Sic habitum est symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, quod in Ecclesiae orientalis usum liturgicum transiit, multo tempore antequam hoc factum est in occidente.

---

(1) Notari potest quod a Tertulliano Spiritus Sanctus explicite dicitur Deus: « Duos tamen deos et duos dominos numquam ex ore nostro proferimus, non quasi non et Pater Deus et Filius Deus et Spiritus Deus et Dominus unusquisque... » *Adv. Praxeam,* n. 13.

(2) *Enchir.*, n. 39.

(3) *Enchir.*, n. 277.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, 1927, t. XXVII, p. 222 ss.

Porro in illo symbolo legebatur : « Credo in Spiritum Sanctum... qui ex Patre procedit ». Jamvero in Hispania, saeculo V vel VI addita est vox *Filioque;* ita ut diceretur : « qui ex Patre Filioque procedit ». Postea idem additamentum factum est in Gallia et Germania. Saeculo IX ineunte, Summus Pontifex, Leo III, rogatus de hac re a Carolo Magno, doctrinam de processione Spiritus a Filio expresse ratam habuit, sed innovationem liturgicam potius improbavit, necnon ejus eliminationem exoptavit (1). Postea, saeculo XI, praedicta additio facta est etiam Romae, probabiliter sub Benedicto VIII (1012-1024) et inde universaliter in occidente accepta est.

facta est primo in Hispania, saec. V vel VI,

tandem Romae saec. XI,

Contra hanc additionem accerrime pugnaverunt Photius ejusque sequaces, a saeculo IX exeunte usque ad praesens tempus.

Duae quaestiones hîc occurrunt : 1° utrum licita fuerit additio vocis *Filioque* in symbolo; 2° utrum doctrina, illo vocabulo expressa, pertineat ad veritates a Deo revelatas.

718.

A. Dubitari potest utrum licita fuerit prima insertio, facta ab aliquo concilio provinciali, vel ab episcopis in sua propria dioecesi. Sed certo licita fuit a tempore quo approbata fuit a Romano Pontifice: ipsi enim competit jus determinandi veritates credendas, quae exprimi debent in publica professione fidei, et definiendi formulas ad hoc aptas : hoc pertinet ad plenam *docendi* potestatem, qua fruitur legitimus successor Petri (2).

saltem ex tunc est legitima;

Nec objici potest hoc quod fuit declaratum in concilio Ephesino (an. 431) : « Statuit sancta Synodus alteram fidem nemini licere proferre aut conscribere aut componere, praeter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt » (3).

Non intendit illa Synodus statuere nunquam posse postea fieri definitionem alicujus veritatis revelatae, vel declarationem sensus alicujus dogmatis, vel adjunctionem alicujus formulae in professione fidei, sed intendit prohibere ne *altera fides* proponatur, h. e. ne fides (objective spectata) *diversa* a fide definita in concilio Nicaeno admittatur et exprimatur, aliis verbis ne aliquid oppositum doctrinae in Nicaea definitae, vel aliquid incompossibile cum illa, accipiatur credendum, aut propugnetur, aut in symbolo vel publica fidei professione inseratur.

Caeteroquin concilio Ephesino, licet hoc fuerit oecumenicum, non competebat jus impediendi quocumque modo exercitium potestatis docendi quam Ecclesiae contulit Christus : illa porro potestas plena inest semper Romano Pontifici et concilio oecumenico unito illi : quapropter, omni tempore, Romanus Pontifex et concilium oecumenicum habent jus determinandi professionem fidei, consequenter, pro opportunitate, aliquid mutandi vel adjungendi in symbolo praecedenti; possunt nempe veritatem revelatam, quae non nisi implicite continebatur in symbolo, explicite exprimere; possunt formulam

(1) Cf. A. PALMIERI, *o. c.*, col. 2309-2317, etiam col. 809 ss.
(2) S. THOMAS, *Sum. theol.*, II-II, Q. I, a. 10, demonstrat quod ad Summum Pontificem pertinet *ordinare symbolum* seu dare *novam editionem symboli.*
(3) *Enchir.*, n. 125.

clariorem substituere dictioni minus aptae, etc. : eo fine ut fideles perfectius intelligant et profiteantur veritates revelatas, quae semper substantialiter eaedem manent.

719. estque recta expressio divinae doctrinae et jure exprimitur in symbolo.

B. Quoad *doctrinam,* quae asseritur addita voce *Filioque,* haec omnino pertinet ad veritatem divinitus revelatam : etenim, uti suprà, n. 712, exposuimus, constat ex S. Scriptura et documentis Traditionis, Spiritum Sanctum habere originem a Filio, dependere (si ita loqui fas est) in sua propria subsistentia a Filio, sicut principiatum dependet a principio : accipit enim Spiritus cognitionem et consequenter essentiam a Filio (*Jo.,* XVI, 15) : ergo vere procedit a Filio. Haec veritas est revelata, non est mere conclusio theologica; quapropter rite ponitur inter veritates ab omnibus fidelibus explicite credendas, et proinde jure exprimitur in symbolo fidei (1).

720. Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium.

Adnotatio. Recta est assertio : Spiritus Sanctus *procedit a Patre per Filium.* Nam Spiritus procedit seu spiratur a Patre et Filio, tamquam ab unico principio, ut melius intelligetur ex infrà dicendis. Sed unica spiratio, active sumpta, seu actio spirandi Spiritum est in Patre, unice tamquam in principio, vel tamquam in primo fonte, non tamquam accepta vel communicata ab alio; in Filio autem est tamquam accepta et communicata ipsi a Patre. Porro ut haec differentia significetur, dicitur: Pater *per Filium* spirat Spiritum, seu, quod idem est, Spiritus procedit a Patre *per Filium* (2).

Attamen aeque *immediate* a Filio ac a Patre procedit Spiritus.

Nec dici potest quod Spiritus procedit a Filio *per Patrem:* quia spiratio activa non est in Patre ut accepta vel principiata a Filio. Sed Pater, sicut est principium Filii ita est principium Filii spirantis seu spirationis prout haec est in Filio. Igitur ratio cur Pater *per Filium* spiret est in distinctione et ordine personarum ponenda, non in actione spirandi.

721. Processio Spiritus est secundum operationem voluntatis: hoc demonstratur ratione theologica,

PROPOSITIO TERTIA. **Illa processio Spiritus est secundum operationem voluntatis.**

Haec propositio est theologice certa.

Demonstratur.

Si in Deo datur processio realiter diversa a processione secundum operationem intellectus, illa processio debet esse secundum operationem voluntatis; atqui in Deo processio Spiritus est realiter distincta a processione secundum operationem intellectus; ergo illa processio, scilicet processio Spiritus, est secundum operationem voluntatis.

Antecedens declaratur. Processiones in Deo accipi non possunt nisi secundum actiones immanentes. Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duae scilicet intelligere et velle. Ergo nulla alia processio esse potest in Deo nisi verbi et amoris (3).

Porro datur in Deo processio secundum operationem intellectus, seu processio Verbi, uti suprà, n. 700, demonstravimus. Jamvero non nisi *unica*

(1) Cf. A. PALMIERI, *o. c.,* col. 2319 ss.

(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* 1. Q. XXXVI, a. 3; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. III, p. 601 ss.; PÈGUES, *Comment. franç. littér. de la somme théologique,* vol. II, p. 381 ss.

(3) Ita S. THOMAS, *o. c.,* Q. XXVII, a. 3.

potest esse processio secundum operationem intellectus: etenim haec processio est necessario infinite perfecta in suo ordine: nam Deus unico et simplici actu omnia intelligit. Unde in Deo non potest esse processio Verbi ex Verbo, sed est in eo solum unum Verbum perfectum ac unica processio Verbi (1). Si ergo datur processio realiter distincta a processione Verbi, illa processio debet esse secundum operationem voluntatis.

Minor declaratur. In Deo Filius seu Verbum est procedens a Patre et realiter distinguitur a Spiritu, qui etiam est procedens: ergo processio Filii seu Verbi, quae est secundum operationem intellectus, est realiter distincta a processione Spiritus.

722. hoc confirmatur ex S. Scriptura.

Confirmatur assertio nostra, 1) In S. Scriptura non inveniuntur textus quibus affirmetur Spiritum Sanctum procedere secundum operationem voluntatis: sed ita tamen exhibetur ejus operatio *ad extra* ut explicatio hujus sola videatur esse in processione Spiritus secundum operationem voluntatis. Etenim Spiritui Sancto specialiter attribuuntur illa opera divina quae maxime *amorem* Dei manifestant, qualia sunt incarnatio Verbi, *Luc.*, I, 35; justificatio et sanctificatio hominum, *Tit.*, III, 5-6; distributio charismatum, *I Cor.*, XII, 4-12; habitatio Dei in justis, *I Cor.*, VI, 19; munia et gubernatio Ecclesiae, *Act.*, XIII, 2, XX, 28.

Quum aliunde cognoscamus Patrem, Filium et Spiritum Sanctum aequaliter omnino esse causam efficientem illorum operum, haec specialis attributio facta *Spiritui Sancto* non aliter explicari videtur quam per hoc quod haec opera specialiter congruant cum proprio charactere Spiritus Sancti; hic igitur proprius character esse debet amor: quum autem hic proprius character proveniat ab ipsa ratione secundum quam procedit ad intra illa Persona, concludendum est Spiritum Sanctum procedere secundum amorem, qui est primus actus voluntatis (2).

723. et doctrina Patrum.

2. Cui conclusioni conformem doctrinam tradunt praecipui Patres.

Ipsa *Sanctitas* exhibetur tamquam propria essentia Spiritus: ita apud S. Gregorium Thaum. (cf. suprà, n. 657); apud S. Basilium, qui dicit: « Spiritum Sanctum creaturam dicis. Omnis autem creatura serva est creatoris: *Omnia enim,* inquit, *sunt serva tua.* (Ps. CXVIII, 91). Si vero servus est, adventitiam [h. e. accidentalem] quoque habet sanctitatem; quidquid autem adventitiam sanctitatem habet, capax est malitiae; at Spiritus Sanctus, cum secundum essentiam sanctus sit, non appellatur sanctitatis; non est igitur creatura Spiritus Sanctus. Quodsi creatura non est, consubstantialis est Deo ». *Epist.* VIII, n. 10, P. G., t. XXXII, col. 261; cf. *Adv. Eunomium,* L. III, c. 1, P. G., t. XXIX, col. 656; *De Spiritu Sancto,* c. 16, n. 38, P. G., t. XXXII, col. 136.

S. Augustinus docet Spiritum Sanctum esse *dilectionem* qua Filius et Pater conjunguntur; adeoque Spiritum Sanctum proprie nuncupari vocabulo charitatis; necnon hominis amorem, quippe qui de scientia procedit atque memoriam intelligentiamque conjungit, habere similitudinem Spiritus Sancti. *De Trinitate,* L. VI, c. 5, n. 7, L. XV, c. 17, n. 31, c. 21, n. 40, c. 23, n. 43, P. L., t. XLXII, col. 927 s., 1082, 1088, 1090.

S. Gregorius M. etiam dicit Spiritum Sanctum esse *amorem. Hom.* XXX, n. 1.

Concilium Toletanum XI docet quod « Spiritus Sanctus... simul ab utroque processisse monstratur, quia charitas sive sanctitas amborum agnoscitur » (3).

Idem exponunt S. Anselmus, *Monologium,* n. 51; S. Bernardus, *In Canticum,* serm. VIII; S. Petrus Damianus, *Opusc. I,* n. 2 (4).

---

(1) Ita S. THOMAS, l. c., ad 3.

(2) Cf. FRANZELIN, *De Deo trino,* thes. XXVI, p. 387 ss.

(3) *Enchir.,* n. 277.

(4) Cf. FRANZELIN, *o. c.,* p. 393 ss.; ILLmus JANSSENS, *De Deo trino,* p. 620 ss.

724. Spiritus procedit ut Deus amatus in Deo amante se,

Corollarium 1um. *Spiritus Sanctus procedit ut Deus amatus in Deo amante se.*

Uti suprà, n. 721, diximus, omnis processio ad intra in Deo, seu omnis *origo unius ab alio* in Deo est secundum operationem immanentem et per modum operati. Spiritus Sancti origo, uti ex modo expositis constat, est secundum operationem voluntatis et proinde debet esse per modum operati in voluntate.

Jamvero cujuslibet voluntatis primus actus est amor; in Deo primus et unicus voluntatis actus, et omnino necessarius, est amor quo Deus semetipsum infinite amat (cf. suprà n. 435); terminus vero intentionalis illius actus est ipse Deus amatus in Deo sese amante; porro Deus amatus in Deo amante se nihil est aliud quam ipsa amorosa impulsio vel inclinatio Dei amantis semetipsum in Deum amatum (1): haec est igitur ratio processionis Spiritus Sancti.

725. non generatur,

Corollarium 2um. *Processio Spiritus Sancti non est generatio.*

Haec assertio est de fide. Definitur enim « Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, *nec genitus,* sed procedens ». Ita in symbolo a S. Athanasio nuncupato.

Porro ratio cur *non generetur* Spiritus explicatur hîc.

Generatio est origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae (cf. suprà, n. 707). Jamvero processio Spiritus est quidem origo viventis a vivente principio conjuncto: quum Spiritus sit Deus verus de Deo vero, consubstantialis Patri et Filio; sed illa processio non est *in similitudinem naturae.* Etenim operatio voluntatis, nempe amor, ratione suî, non efficit ut constituatur *similitudo* rei amatae in amante, sed fertur in ipsam rem prouti haec est in semetipsa, supposita cognitione rei.

Igitur Spiritus sanctus, quippe qui procedit secundum operationem voluntatis et per modum operati in voluntate, non procedit formaliter *in similitudinem* naturae divinae adeoque non generatur, nec est filius (2).

726. non habet nomen quod propriam rationem processionis significet;

Corollarium 3um. *Spiritui Sancto nullum nomen convenit* EODEM MODO PROPRIE *quo nomen Verbum convenit Filio.*

Etenim nomen *verbum* significat formaliter *terminum operationis intellectivae intrinsecum,* et proinde, ex vi nativa suae significationis, est nomen proprium secundae Personae SS. Trinitatis, quippe quae procedit formaliter ut terminus intellectus in intelligente (cf. suprà, n. 700).

Sed non habemus ullum nomen quo formaliter designetur terminus intrinsecus actus amoris (3), ideoque non habemus vocabulum quo Spiritus Sanctus *proprie* significetur, secundum formalem rationem suae processionis.

---

(1) Cf. suprà, n. 696 s.; FERRARIENSIS in *Sum. contra Gent.,* L. IV, c. 19; *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 325.

(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXXVIII, a. 4.

(3) Ratio est, ut videtur, quia apud nos non datur *aliquid procedens per modum operati* in voluntate, quod sit realiter distinctum ab ipso actu amandi.

Nomen *amor* significat formaliter ipsam operationem amandi, non ejus terminum. Nihilominus accommodatum est illud vocabulum ad designandum Spiritum Sanctum. Quando autem Spiritus dicitur *Amor,* intelligendum est *res amata* in amante, nempe *Deus amatus* in Deo amante se (1).

Uti constat ex dictis nomen *amor* potest, in divinis, sumi *personaliter* ad designandam ipsam tertiam Personam SS. Trinitatis: tunc nomen amor proprie significat *relationem subsistentem.* Ad rem CAJETANUS, *In Sum. Theol.,* I, Q. XXXVII, a. 1: « Adverte quod illa distinctio amoris in essentialem et personalem... non est distinctio rei, sed vocis in suas significationes... Unde non sunt duo amores in divinis, unus essentialis et alter personalis. Sed ly *amor,* propter penuriam vocabulorum, quandoque significat divinum amorem qui procul dubio essentiale quoddam est, quandoque vero tertiam Personam, procedentem per modum voluntatis et amoris. » V. infrà, n. 731[bis].

Etiam accommodatum est nomen *spiratio,* quo origo exprimatur tertiae Personae in divinis. « Convenientia autem hujus nominis facile apparere potest. Nam sicut in processione Verbi attenditur communicatio naturae divinae sub ratione rei intellectae in esse intellecto, ita in processione Spiritus Sancti attenditur communicatio ejusdem divinae naturae sub ratione amorosae impulsionis in seipsam. Ideo tertia persona quamdam analogiam habet cum motione illa quam ex amabili cognito amans in se producit, quaeque ab intimis progrediens tendit in amatum in quo est amoris terminus. Hinc accommodatum est ei nomen *spiritus,* scilicet a spiritu qui in rebus corporeis dicit halitum ex intimo pectore emissum. Et quia ipsa halitus emissio *spiratio* vocatur, ideo *spirationis* nomen, primo quidem ab ecclesiasticis auctoribus accommodatum ad designandam secundam processionem in divinis, fuit postea ab Ecclesia (2) ipsa consecratum » (3).

Corollarium 4[um]. *Pater et Filius sunt* UNICUM *principium Spiritus Sancti.*

727. procedit a Patre et Filio tamquam ab unico principio.

Haec assertio est de fide, uti constat ex definitione concilii Lugdunensis II (an. 1274): « Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit ».

Haec assertio jam continetur in doctrina revelata de processione Spiritus, nominatim in hoc quod Christus dicit, ubi declarat Spiritum Sanctum a se procedere: « Omnia quaecumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet [Spiritus] » *Jo.,* XVI, 15 (cf. suprà, n. 712). In quo continetur Spiritum procedere a Patre et Filio secundum perfectionem quae communis est utrique, proinde procedere ab utroque tamquam ab unico principio spirante.

Sed eadem assertio plenius intelligitur ex illis quae diximus de propria ratione, qua Spiritus Sanctus procedit, et est vere corollarium ex pro-

(1) Cf. S. THOMAS, *o. c.,* Q. XXXVII, a. 1.
(2) In conc. Lugdunensi II, *Enchir.,* n. 460, etiam in conc. Florentino et in professione fidei Graecis praescripta a Gregorio XIII: cf. *Enchir.,* n. 691, 1084.
(3) Card. BILLOT, *o. c.,* thes. IV, p. 396.

positione qua affirmatur processionem Spiritus Sancti esse secundum operationem voluntatis. Etenim unicus est in Deo actus voluntatis, nempe amor, estque infinite perfectus, proinde non nisi unica potest esse processio secundum operationem divini amoris. Jamvero haec unica operatio, secundum quam procedit Spiritus, est Patris et Filii, quatenus sunt Deus amans se (1): ergo a Patre et Filio, tamquam ab uno principio, procedit Spiritus Sanctus.

728. Objectio contra distinctionem Spiritus a Filio.

Objectio contra distinctionem realem Spiritus a Filio (2).

In Deo operatio voluntatis et operatio intellectus sunt realiter idem; processiones autem, quae sunt secundum idem, non habent unde realiter distinguantur. Ergo praeter processionem secundum operationem intellectus, non datur *alia* processio secundum operationem voluntatis.

Resp. Dist. min. Processiones quae ponerentur in Deo secundum operationem *re et ratione* eamdem, non haberent unde realiter distinguerentur, *conc.;* processiones secundum operationes re quidem indistinctas, sed *ratione diversas, subdist.:* si propria ratio uniuscujusque operationis non exigeret quemdam ordinem originis unius processionis ab alia, iterum *conc.;* si secus, *nego.*

Explicatur responsio. Licet intellectus et voluntas in Deo re non differant, sed ratione tantum, tamen ille, qui procedit secundum operationem voluntatis, realiter distinguitur ab illo, qui procedit secundum operationem intellectus, et una processio differt ab alia. Objectio enim proposita eatenus concluderet, quatenus distinctio voluntatis et intellectus assignaretur *ut formalis ratio* distinctionis processionum. Sed non est ita, quia sola *relationum* originis *oppositio* distinctionem realem facit in divinis, et ideo processio a processione in tantum potest distingui in quantum termini unius processionis (puta Pater et Verbum) se habent ut unum principium alterius (puta processionis Spiritus Sancti). At vero ideo praecise una processio ex alia praesupposita principium sumit, quia est processio per modum operati in voluntate. « Semper enim voluntas aliquid producit aliqua processione praesupposita. Non enim voluntas in aliquid tendit nisi praeexistente productione intellectus aliquid concipientis: cum bonum intellectum moveat voluntatem » (3).

729. Processiones divinae non nisi Revelatione innotescunt,

ARTICULUS III^us. **Ulterior explicatio de divinis processionibus.**

1. Bene consideremus non posse ex naturali rationis lumine detegi existere in Deo realiter procedentes et processiones: hoc tantum Revelatione divina cognoscitur, quae nobis manifestat esse, in unico Deo, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum: huic veritati innititur tota nostra explicatio de procedente et de processione secundum operationem intellectus et de altero procedente ac de altera processione secundum operationem voluntatis. Licet naturaliter sciamus Deum esse infinite perfectum in intelligendo ac in volendo, non tamen innotescit nobis quod divinum *intelligere* verificatur in hoc quod Pater generat Filium, et divinum *velle* in hoc quod Pater et Filius spirant Spiritum; aliis verbis, naturaliter non innotescit nobis quod divina

(1) Amor divinus, entitative spectatus, est idem ac essentia divina et proinde est etiam in Spiritu Sancto, sed sub relatione spirationis *passivae*, quae praecise est constitutiva Personae Spiritus, ut infra dicetur. In Patre et in Filio amor divinus est sub unica relatione spirationis *activae*.

(2) Objectio et responsio desumuntur a card. BILLOT, *o. c.*, thes. III, object. 1^a, p. 387.

(3) S. THOMAS, *De potentia*, Q. X, a. 2 ad 7.

intellectio et divina volitio exigant *reales relationes oppositas* originantis ad originatum, seu principii ad principiatum: in hoc est proprie mysterium SS. Trinitatis, ut infrà explicabitur (1).

sunt necessariae,

Processiones tamen sunt in Deo prorsus *necessariae,* pertinent omnino ad essentiam entis infinite perfecti in intellectu et in voluntate, consequenter non posset existere Deus quin sit Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

aeternae;

Processiones etiam *aeternae* sunt: quum necessario pertineant ad aeternum intelligere et ad aeternum velle.

730. non possunt esse nisi duae.

2. *In Deo non possunt esse nisi duae processiones.*

« Nam processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones quae in agente manent, alias terminarentur ad extra, et ex consequenti non essent in natura divina, quae ab uno in alium nequaquam propagari potest, sed penitus immultiplicabilis existit (2). Atqui actiones immanentes in intellectualibus non sunt nisi duae, scilicet intelligere et velle. Relinquitur ergo quod nulla alia processio posset esse in Deo, nisi verbi et amoris » (3).

731. Quo sensu divina natura dicatur foecunda.

Nota. Dicere possumus, in Deo *naturam esse foecundam, quatenus Pater generat Filium et ab utroque procedit Spiritus Sanctus.*

a) Uti explicuimus, dantur in Deo duo procedentes, unus, *Verbum,* secundum operationem intellectus, alter, *Spiritus,* secundum operationem voluntatis. Quapropter divina *natura,* quà natura est. h. e. ut principium primum internae propriae operationis divinae, est ratio ontologica processionum divinarum.

Haec connexio bene exprimitur a Ruusbrouck: « Het *wezen* Gods is ledig, nadien het wezen heet [voor zooveel men het wezen als dusdanig beduidt], en ook eeuwig begin en einde ende een levende onthoud [ondersteunsel] alles dies [van al dees] dat geschapen is. En dat zelfde wezen is *nature,* en vruchtbaar en eigendom [eigen grond) der persoonlijkheid. En dat eigendom is persoonlijkheid, en persoonlijk in drie eigenschappen, dat is, vaderlijk, en zoonlijk, en daarin is verborgen de derde eigenschap, dat is willige geestelijkheid... » (4). Ergo essentia divina, qua essentia, significatur ut quiescens, non-operativa; natura vero significatur ut *operativa ad intra,* adeoque ut ratio ontologica generationis Filii et spirationis Spiritus.

b) Attamen nequit dici: *natura* divina *generat* (5), vel spirat sed ut infrà

---

(1) Suprà, n. 396, diximus quod in Deo intellectus, intelligere, res intellecta in esse intellecto, sunt realiter unum et idem: hoc certum est; sed ex Revelatione, addita explicatione scientifica, didicimus esse in Deo *reales relationes* Dei cognoscentis ad Deum cognitum et Dei cogniti ad Deum cognoscentem: inde realiter existunt: Cognoscens et Verbum, seu Generans et Genitum, seu Pater et Filius. Modo simili: voluntas, amare, res amata in esse amato sunt in Deo realiter unum et idem; sed ex Revelatione, addita explicatione, cognoscimus esse *reales relationes* Dei amantis se ad Deum amatum et Dei amati ad Deum amantem: inde existunt Spirator (Pater et Filius) et Spiratum seu Spiritus.

(2) Essentia divina, quia est ipsum Esse per se subsistens, est necessario unica et realiter distincta ab omni alia re, inde dicitur *individuari* propria sua perfectione. Licet Deus sit formaliter et eminenter individua substantia intellectualis naturae, et proinde *personalis,* non sequitur non posse esse in Deo nisi unicam personam. Ex Revelatione cognoscimus personalitatem in Deo importare tres Personas, realiter ab invicem distinctas. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. III, p. 546 s.

(3) Card. BILLOT, *o. c.,* thes. V. Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXVII, a. 5.

(4) Cit. ab ILLmo AC REVmo WAFFELAERT, *Eening der minnende ziel met God,* bl. 59 v. et in versione gallica, p. 17. Vide explicationes ibi datas.

(5) In concilio Lateranensi IV statuitur: « In Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas: quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina:

explicabimus, solus Pater generat Filium, et Pater simul ac Filius spirant Spiritum; igitur natura divina est foecunda in Patre, quatenus Pater generat Filium (1) et quatenus ab utroque procedit Spiritus.

731bis. *Nota de quodam asserto.*

Adnotatio. Uti statim ostendimus, nequit dici: *natura* divina *generat* vel *spirat;* nec dici potest Filius *procedit* ab *intellectu* divino, Spiritus *procedit* a *voluntate* divina. Et re quidem vera, ut distinctam habeamus notionem de *processione* divina, bene considerandum est quod divinas processiones sola *revelatione* cognoscimus (v. n. 729), quatenus revelatione docemur esse in unico Deo Patrem, Filium et Spiritum Sanctum (v. n. 635 ss). Hujus dogmatis explicatio datur imprimis per hoc quod exponitur quid in Deo importet *processio* Filii a Patre et processio Spiritus a Patre et a Filio (v. n. 689 ss). Quando proinde exponimus quod Filius procedit a Patre secundum operationem intellectus et per modum operati in intellectu (v. n. 700 ss.), quando exponimus quod Spiritus procedit a Patre et a Filio secundum operationem voluntatis et per modum operati in voluntate (v. n. 721 ss), nullo modo dicimus aut concedimus quod Filius procedit ab *intellectu* divino et quod Spiritus procedit a *voluntate* divina. Sed tenendum est quod divina intellectio est ratio cur sit in Deo oppositio *duorum relativorum consubstantialium* sese invicem respicientium per modum intelligentis emittentis et intellecti emissi... Et idem proportionaliter dicendum de processione altera secundum voluntatem. V. omnino textum citatum suprà, n. 698. Quapropter dogmatis expositionem non rite exprimit R. P. AL. JANSSENS, *de H. Drievuldigheid*[2], bl. 87, dicendo: « De Zoon gaat uit van het goddelijk verstand ». In Deo Filius procedit a *Patre* non ab intellectu divino; nec concipi potest Filius nisi concipiatur ut a *Patre* procedens, licet a *Patre* procedat *secundum operationem intellectus.* Iterum *Verbum, personaliter* dictum in divinis (2), non procedit ab intellectu divino sed a dicente (Patre). — Pariter Spiritus Sanctus non procedit a voluntate divina, sed a *Spirantibus* Patre et Filio, procedit autem a Spiratore (sc. a Patre et a Filio) *secundum operationem voluntatis.* — Infrà (n. 746 et n. 762) clarius apparebit quomodo Filius ne concipi quidem possit a nobis nisi concipiatur ut a Patre procedens et quomodo Spiritus ne concipi quidem possit a nobis nisi concipiatur ut procedens a Patre et a Filio, tamquam ab unico spirationis activae principio.

R. P. Janssens, *o. c.*, l. c., proponit aliquam difficultatem, cujus solutio, quatenus communiter a theologis datur, non ipsi satisfacit. Est porro haec difficultas: « Filius procedit ab intellectu divino. Sed intellectus est facultas naturae et proinde unus et idem est intellectus tum in Patre, tum in Filio, tum in Spiritu Sancto. Ipsum intelligere est unum et idem in tribus Personis divinis. Num igitur Filius est terminus proprii sui intelligere? Quomodo Filius non procedit a Spiritu Sancto cujus intelligere idem est ac intelligere Patris? » (3).

Respondetur:

1) Falsum est hoc assertum: « Filius procedit ab intellectu divino » uti suprà diximus, et falso supponitur illud assertum doceri a theologis.

2) Certum est quod intellectus est perfectio *naturae* divinae, et est unus et idem in Patre et in Filio et in Spiritu Sancto. Praeterea intellectus divinus nihil aliud est quam ipsum *intelligere* divinum, quod realiter idem est ac natura divina et consequenter omnino idem est in Patre et in Filio et in Spiritu Sancto.

---

quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest; et illa res non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus Sanctus, qui procedit ». *Enchir.*, n. 432. Cf. suprà, n. 682.

(1) Cf. S. BONAVENTURA, in *I Sent., Dist.* VII, a. 1, q. 1, ad 2, *Opera omnia,* t. I, p. 136.

(2) « Proprie loquendo Verbum dicitur personaliter in divinis, non essentialiter » S. THOMAS, *Sum. Theol. I,* Q. XXXIV, a. 1, ad 3.

(3) « De Zoon gaat uit van het goddelijk verstand. Maar het verstand is een vermogen van de natuur en dus een en hetzelfde in den Vader en den Zoon en den H. Geest. Het denken is één en hetzelfde in de drie goddelijke personen. Is dan de Zoon de term van zijn eigen denken? Hoe gaat hij niet uit den H. Geest wiens denken hetzelfde is als dat des Vaders? » AL. JANSSENS, *De H. Drievuldigheid*[2] bl. 87-88.

Eodem intelligere Pater cognoscit omnia quae cognoscit, et Filius cognoscit omnia quae cognoscit, et Spiritus Sanctus cognoscit omnia quae cognoscit.

3. Sed inde (v. infrà, n. 772 ss.) non sequitur quod Filius *est* terminus sui intelligere. Filius, qui formaliter ut *Verbum* procedit, est formaliter *terminus* intellectionis *Patris,* uti suprà, n. 700-702, exposuimus, ideoque processio Verbi est proprie *generatio,* v. n. 707-709.

4. Spiritus Sanctus eatenus intelligit quatenus habet naturam divinam et eatenus habet naturam divinam quatenus *procedit* a Patre et a Filio, tamquam ab unico principio. Igitur Spiritus habet intelligere et a Patre et a Filio praecise quia et quatenus ab Utroque *procedit* (1). Impossibile igitur est quod Filius, secundum intelligere, procedat a Spiritu Sancto: quum Spiritus eatenus intelligat quatenus Ipse *procedat a Filio.*

5. Unum et idem est intelligere divinum sed est sub tribus *relationibus* ad invicem *oppositis:* quod nunc est exponendum, quo apparebit *processiones* in Deo nihil aliud esse realiter quam *relationes,* V. infrà, n. 747.

Objectio. 732. *Objectio contra aseitatem Dei.*

Omnis procedens est ens ab alio; sed nequit esse in Deo ens ab alio; ergo nequit esse in Deo procedens vel processio.

R. *Dist. Maj.* Omnis procedens est ens ab alio vel per realem effectionem vel per meram oppositionem relativam, *conc.;* ens ab alio solùm per realem effectionem, *nego.*

Contrad. min. Nequit esse in Deo ens ab alio procedens per realem effectionem et habens substantiam realiter distinctam ab illo a quo procedit, *conc.;* nequit esse in Deo ens ab alio per meram oppositionem relativam ad illum a quo procedit, *nego.*

Explicatur distinctio. Aseitas, quae divinae essentiae propria est, importat quod Deus existit omnino independenter a qualibet causa, ita ut *esse a se* significet esse incausatum, existere vi essentiae suae (cf. suprà, n. 163). Jamvero huic aseitati non repugnat processio quam, secundum divinam Revelationem agnoscimus in Deo: nam illa processio non importat quod procedens sit causatus vel effectus ab illo a quo procedit, sed importat tantum relationem originis: origo, active spectata, est relatio *a quo alter;* origo, passive spectata, est relatio *qui ab altero.* Jamvero illae duae reales relationes oppositae identificantur cum una eademque essentia divina incausata, quae est ens a se. Ergo ille qui procedit et ille a quo procedit alter eamdem habent *aseitatem,* quae propria est divinae essentiae.

Sed oportet ut demonstremus processiones in Deo nihil aliud esse quam *relationes originis:* ad hoc ponimus sequens caput.

Caput II

DE RELATIONIBUS IN DEO.

Relatio est ordo unius *ad aliud.* Realis relatio est *in aliquo.* Sunt autem *quatuor reales relationes in natura divina,* proindeque *subsistentes.* Illarum *tres* sunt ad invicem *oppositae,* proindeque *realiter ab invicem distinctae.*

(1) Ipse Christus dicit: « Ille [Spiritus] me clarificabit quia de meo accipiet... » *Jo.,* XVI, 14. Agitur hîc de *cognitione* quam Spiritus habet a Filio, quia a Filio *procedit.*

Haec sunt successive exponenda et demonstranda.

733. *Relatio est ordo unius ad aliud,*

Notio **relationis** (1).

1. Relatio est *ordo unius ad aliud.*

Praeter ea quae subjecto cuipiam conveniunt *absolute,* h. e. ad seipsum, citra respectum ad aliud, ut puta Petro *esse hominem, esse magnum, esse doctum,* alia sunt quae eidem non conveniunt nisi *relative,* h. e. ex ordine seu habitudine seu respectu ad aliud, ut puta *esse dominum, servum, patrem.*

Harum denominationum relativarum proprium est, ut, praeter id quod important *in recto,* aliud in obliquo importent seu connotent tamquam *extrinsecum terminum:* ita ut eae non in subjecto, quod denominant, penitus absolvantur, sed versentur quasi in transitu ab uno ad aliud et formalis earum ratio sit *ad aliquid* aliquo modo *se habere.* — *Id quod* refertur vocatur *subjectum* relationis; illud *ad quod* refertur subjectum, vocatur *terminus* relationis; id *in quo* proxime nititur habitudo subjecti ad terminum vocatur *fundamentum* relationis. RELATIO autem ipsa (prout scilicet ea voce nunc significatur non actus intentionalis quo active referimus unum ad aliud, sed id quo formaliter refertur unum ad aliud) est: UNIUS AD ALIUD ORDO.

734. *distinguitur in transcendentalem et praedicamentalem,*

2. Distinguitur *transcendentalis* et *praedicamentalis* relatio.

Transcendentalis est relatio illa quam *in ipsa sua essentia* involvunt res de se ordinatae ad invicem. Sic anima transcendentalem ordinem habet ad corpus, accidens ad substantiam, facultas operativa ad operationem, et universim, actus ad potentiam.

Transcendentalis vocatur haec relatio (in oppositione ad *praedicamentalem*) eo quod non importat *modum essendi distinctum* qui subjecto superadveniat ut speciale genus accidentis; sed necessario involvitur in ipsa ratione entis cujuslibet quod sit quomodocumque *de se ordinatum ad alterum,* cujuscumque demum praedicamenti ipsum sit.

Ad rem GONET, *de Trinitate,* Disp. XI, a. 3 (p. 280 s): « Relatio *transcendentalis* non est vere et proprie relatio, sed aliquid *absolutum... ab aliquo extrinseco dependens et illud connotans....* ut patet in potentiis et habitibus quae per transcendentem ordinem ad objectum constituuntur et tamen sunt accidentia absoluta et non relativa... Hinc confutata manet aliquorum sententia, qui docent paternitatem in Divinis esse relationem solum transcendentalem et ideo illam non supponere generationem... ».

Praedicamentalis vero relatio dicitur ea quae alicui subjecto contingenter advenit ut *accidens speciale,* cujus formalis ratio sit: *esse ad aliud;* cujusque formale munus sit: *puro respectu subjectum referre ad aliud.* Ita, ex. gr. uni homini accidit, respectu alterius, praedicamentalis relatio paternitatis, etc.

735. *analogice ad hanc concipienda est relatio in Deo.*

Nota. Quando nobis acquirenda est notio de relationibus quae in Deo sunt, consideranda et investiganda est relatio *praedicamentalis:* non quia in Deo ponuntur relationes praedicamentales, quod absit! illae enim sunt

(1) Summi momenti est ut habeatur distincta notio de relatione. « Ex modo enim quo concipitur relatio, pendet omnis modus concipiendi hoc mysterium et solvendi argumenta in contrarium » Card. BILLOT, *o. c.,* p. 69 vel 375. Quapropter paucis exponemus ea quae ad praedictam notionem acquirendam scitu necessaria sunt, sequentes, etiam in modo loquendi, DE JAEGHER, *o. c.,* n. 258 ss.; card. BILLOT, *o. c.,* p. 70 ss., vel 376 ss.

accidentia; sed quia *analogice* ad relationem praedicamentalem debemus concipere relationes originis in ipso Deo.

3. *In solo genere* RELATIONIS *seu in iis solum quae* AD ALIQUID *dicuntur attenditur divisio in* ENS REALE *et* ENS RATIONIS (1).

736. In solo genere relationis datur divisio in relationem realem et relationem rationis.

Relationem dividi in realem et logicam seu rationis, communiter docent philosophi et theologi; etiam constat apud illos illam divisionem non applicari ad alia praedicamenta seu ad alia suprema genera entium: sane, non distinguitur inter substantiam realem et substantiam rationis, inter quantitatem realem et quantitatem rationis, atque ita porro.

Hoc autem ideo est quia illa genera entium absolutorum *ex ipsa ratione generis* ponunt *subjectum* ipsum vel *aliquid in subjecto,* intrinsece modificans hoc. Unde etsi per rationem possim apprehendere qualitatem aut quantitatem, quae de facto non existit in rerum natura, nulla tamen est qualitas aut quantitas in sola mentis consideratione existens, quae possit attribui rebus extra mentem existentibus, quin hoc ipso evadat intellectus falsus, hoc est, difformis ab objecto.

At contrà, relatio *ex sola ratione sui generis* non dicit modificationem subjecti, sed mere esse *ad aliud.* Nominat scilicet respectum rei relatae prout hic respectus ab ea re tendit in alterum. Et hinc est quod relationis ratio in iis etiam respectibus salvatur qui non habent ponere aliquid in re, sed consequuntur solùm modum intelligendi. V. gr. in homine est *realis relatio* creaturae ad Deum, in Deo autem relatio *rationis* Creatoris ad creaturam: etenim relationi creaturae ad Deum cointelligitur relatio Creatoris ad creaturam, sed haec relatio non ponit *aliquid reale* in Deo, non est reale accidens inhaerens Deo.

Licet auctores communitur admittant existere relationes reales, quidem tamen ita explicant *realem* relationem ut *ipsa relatio* non sit *realis entitas,* quum censeant relationem esse realiter idem ac id quod dicitur fundamentum relationis. Quaestio exponitur apud DE JAEGHER, *o. c.,* n. 260, et adhaeremus sententiae quae dicit: « non salvari in relatione rationem *entis realis* et dignitatem *specialis praedicamenti,* nisi concedatur ipsi *relationi* realitas *vere distincta ab entitate fundamenti,* nisi concedatur ipsi *relationi* realitas *vere distincta ab entitate fundamenti,* cujusque propria ratio sit in puro *esse ad,* ita ut realitas fundamenti sit relationis causa quidem et radix, non autem confundatur cum *ipso esse relationis.* »

Perutile est considerare quae scribit S. Thomas, *Quodl.* IX, a. 4: « In hoc differt *ad aliquid* ab aliis generibus, quod alia genera ex propria sui ratione habent quod aliquid sint, sicut quantitas, ex hoc ipso quod est quantitas, aliquid ponit, et similiter est de aliis; sed *ad aliquid* ex propria sui generis ratione non habet quod ponat aliquid, sed *ad aliquid:* unde inveniuntur quaedam *ad aliquid* quae nihil sunt in rerum natura, sed in ratione tantum, quod in aliis generibus non contingit; et quamvis aliquid ex ratione sui generis non habeat quod ponat aliquid, non tamen etiam habet ex ipsa generis ratione quod nihil ponat: quia sic nulla relatio esset aliquid in rerum natura; unde *ad aliquid* non esset unum de decem generibus.

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXVIII, a. 1; *Quodl.* IX, a. 4. Hoc assertum non contradicit thesi generali quod *esse* aliud est *reale,* aliud *intentionale* (cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 196), hîc loquimur de *genere quodam* entium *realium* (scil. de relatione), in quo genere occurrit distinctio in ens *reale* et ens *rationis.*

Habet autem relatio quod sit aliquid reale, ex eo quod relationem causat. Cum enim in aliquo invenitur aliquid reale per quod ad alterum dependeat et comparetur, tunc dicimus realiter comparari vel dependere ».

737. *ex quo sequitur in relatione reali distingui notam* esse ad *a nota* esse in.

Ex assertione, modò exposita, sequitur tamquam *corollarium* quod *in relatione reali* distinguenda est nota *esse ad* a nota *esse in.*

Etenim relatio, quum distinguatur in realem, et rationis tantum, non ponit *ex propria nota sui generis* id quo sit realis, aliis verbiis: relatio, quum formaliter dicat esse *ad aliquid,* non ponit ex formali et propria illa nota, esse *in subjecto,* seu esse reale, et proinde distinguendum est id quo praecise realis est relatio, seu quo habet *esse in* subjecto, ab eo quo est praecise relatio, seu *esse ad* aliquid.

Ad rem card. Billot, *o. c.*, p. 408 s.: « *Aliae categoriae realitatem dicunt ratione propriae notae sui generis; relatio autem nonnisi ratione alterius notae distinctae.* Et re quidem vera, unumquodque in tantum dicit realitatem quamdam extra mentem, in quantum dicit ens vel *in se,* vel *in alio* tanquam in subjecto. Nunc autem considera quoque quantitatem, qualitatem, et si quod aliud genus est accidentis, quo absolute, hoc est, in se, ens perficitur: nonne quantitas, ex hoc solo quod quantitas est, nata est ponere aliquid in substantia, cujus est extensiva? Et similiter qualitas, ex hoc solo quod qualitas est? Ita sane; nam si forte praescindas *esse in* (1) eo ipso nihil remanet in intellectu, et perit omnino qualitatis et quantitatis ratio. Vere igitur categoriae absolutorum, ex propria sui generis nota realitatem ponunt. — At vero relatio, ex nota sui generis distinctiva, dicit *esse* ad alterum, et nondum includit *esse in* subjecto; potest enim concipi, ut dictum est, respectus *ad* qui non est *in,* quemadmodum contingit quandocumque alicui rei relationem rationis attribuimus, puta, cum Deum dicimus Creatorem, Dominum, et si quid aliud ejusmodi. Hinc, quoties relatio est quaedam realis ratio essendi, non ideo talis est quia dicit *ad aliquid* praecisive, sed quia dicit *ad aliquid* quod habet radicem *in* ipso subjecto cui attribuitur, potius quam in mera apprehensione intellectus considerantis. Distinguitur ergo in *relatione reali,* nota relationis in quantum relatio est (*esse ad*), a nota quae est titulus seu ratio realitatis ejus (*esse in*).

« Sed cave ne concipias haec duo tanquam se habentia ad invicem eo modo quo potentia se habet ad actum, puta, essentia ad esse: non secus ac si *esse ad* signaret essentiam relationis realis, et *esse in,* ejus exsistentiam. Hoc enim verum non est, quia esse aliquid cui competit exsistere *in* subjecto, profecto ingreditur essentiam relationis realis, in quantum realis est. Neque etiam, generatim loquendo, concipi debet *esse ad* et *esse in,* per modum duorum componentium, quia nec est ibi compositio physica, puta materiae et formae, nec compositio metaphysica, puta generis et differentiae. Si enim de *compositione* ageretur, sive realis illa esset, sive rationis tantum, haberemus unionem partium vel quasi partium, quarum singulae ex sibi propriis afferrent realitatem, sicut videre est in omnibus compositionum modis. Unde consulto dixi distinguendas esse *duas notas,* id est, duos inadaequatos aspectus unius simplicis atque incompositae essentiae realis, quae tota est *ad,* et tota *in,* tametsi conceptus *ad,* ex hoc quod dicit *ad,* non involvat conceptum *in,* qui solus est ratio realitatis in iis quae dicuntur ad alterum, eo quod *esse ad* non explicat rationem entis realis, nisi quia et in quantum est *in* substantia, vel per inhaerentiam, vel per identitatem ».

738. *Relationi reali non repugnat ut sit vel inhaerens vel subsistens.*

4. *Realis relatio est extra rationem substantiae, tamen ex suo conceptu praescindit ab hoc quod est inhaerere substantiae vel esse re idem cum substantia.*

a) Substantia definitur ens cui competit esse *in se,* non in alio, adeoque

(1) Intellige *esse in,* saltem aptitudinale.

evidentissime ponit rem absolutam, quae conceptu adaequato differt a re relativa, cujus est esse *ad alterum.*

b) Relatio, ex formali ratione sui generis seu ex propria nota suî, dicit esse *ad alterum,* adeoque in ejus definitione non includitur modus quo realis sit in subjecto; consequenter illaesa manet ratio relationis seu *ad aliquid,* si praescinditur a modo quo insit subjecto; unde sequitur relationem sic esse extra rationem substantiae, ut ex sese non repugnet reali identitati cum ipsa, quia quantum est ex nota *ad aliquid,* non magis exigit *inesse* (sicut accidens inhaeret subjecto) quam *subsistere* (h. e. esse realiter idem ac esse subsistens).

739. *Oppositio relationum per se in neutro oppositorum defectum importat.*

5. *Inter omnes oppositionis modos, sola oppositio relativa in neutro oppositorum defectum per se importat.*

« Omnis oppositio, si relativam excipias, habetur per affirmationem in uno extremo et negationem in altero, alicujus formalitatis absolutae; et omnis ratio absoluta ex sese ponit *aliquid,* id est quamdam realitatem ac perfectionem. Ideoque vi oppositionis semper habetur negatio alicujus quod nequit deesse in uno oppositorum, quin hoc ipsa relinquat eum imperfectum. Sed res relativae in quantum hujusmodi non opponuntur secundum quod una habet *aliquid* quod altera non habet; opponuntur enim secundum *ad aliquid,* quod licet reale sit, non tamen ratione ipsius *esse ad,* sed, ut dictum est (cf. suprà, n. 737), ratione *esse in.* Jamvero formaliter loquendo de oppositione relativa, *esse in* non illud est quod in ipsa linea oppositionis invenitur, atque inde tandem fit ut relativa, qua talia, non eo opponantur *quo* realia sunt et perfectionem dicunt, tametsi ea opponantur *quae* realia sunt et perfecta » (1).

740. *In Deo sunt reales relationes,*

PROPOSITIO PRIMA. **Sunt in Deo relationes reales.**

Haec assertio non est explicite definita, sed in revelatis continetur implicite et quidem formaliter, ut ex demonstratione patebit, proinde pertinet ad fidem catholicam.

Demonstratio.

Sunt in Deo duo realiter procedentes, uti demonstravimus suprà, n. 699 ss. Jamvero inter procedentem et illum a quo realiter procedit datur realis relatio mutua originis, scilicet principiati *ad suum principium* et, vice versa, principii *ad suum principiatum.* Praeterea quum procedentes, eorumque relationes mutuae sint in Deo necessitate naturae divinae (cf. suprà, n. 729), sequitur in ipsa *natura divina* esse realiter illas relationes, easque proinde esse omnino reales (2).

Inde Patres explicite relationes exhibent ut explicent esse in Deo personas. Ita S. Basilius, *Contra Eunomium,* L. II, n. 22, P. G., t. XXIX, col. 621. Cf. etiam S. Gregorius Naz., *Orat. theol. V,* c. 9; S. Gregorius Nys., *Tractatus « Quod non sint tres dii »,* P. G., t. XLV, col. 133, S. Cyrillus Alex., *De sancta et consub-*

(1) Card. BILLOT, *o. c.,* p. 416 s. Cf. S. THOMAS, in *I Sent.,* dist. XXVI, Q. II, a. 2.
(2) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXVIII, a. 1.

stantiali Trinitate dialogi, dial. 4, P. G. t. LXXV, col. 868; S. Joannes damasc., *De fide orthodoxa,* L. I, c. 10. — Praesertim S. Augustinus notionem relationis inculcat: « Fides autem nostra est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum credere et confiteri; nec tamen eum, qui Filius est, Patrem dicere, nec eum, qui Pater est, Filium, nec eum, qui Spiritus Patris et Filii est, aut Patrem aut Filium nuncupare. His enim appellationibus hoc significatur quo *ad se invicem* referuntur, non ipsa substantia, qua unum sunt. Nam et pater cum dicitur, nonnisi alicujus filii dicitur; et filius nonnisi alicujus patris intelligitur; et spiritus secundum id quod ad aliquid refertur, spirantis alicujus est, et spirans utique spiritum spirans est ». *Epist.* CCXXXVIII, n. 14, P. L., t. XXXIII, col. 1043.

« In rebus creatis atque mutabilibus quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur... In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim *ad aliquid,* sicut pater ad filium et filius ad patrem, quod non est accidens: quia et ille semper pater et ille semper filius... Quamobrem quamvis diversum sit patrem esse et filium esse, non est tamen diversa substantia, quia hoc non secundum subtantiam dicuntur, sed secundum *relativum;* quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile ». *De Trinitate,* L. V., c. 5, n. 6, P. L., t. XLXII, col. 914 Cf. *De civitate Dei,* L. IX, c 10, n. 1, P. L., t. XLXI, col. 325.

In symbolo concilii Toletani XI (an. 675) docetur tres personas *relative* dici, relationem esse rationem cur tres numerentur, etiam tres personas unius atque inseparabilis naturae non confundi, nec etiam separari: non confunduntur, quia in relatione sigulae suam proprietatem habent; non separari: non confunduntur, quia in relatione sinbulae suam proprietatem habent; non separantur, quia relatio propria unius personae insinuat alteram (1).

In concilio Florentino, decreto pro Jacobitis (an. 1441) statuitur: «Hae tres personae sunt unus Deus, et non tres dii: quia trium est una substantia... omniaque sunt unum ubi non obviat relationis oppositio ». *Enchir.,* n. 703. In quo textu supponitur sola relatione originis, propter oppositionem ad alteram relationem originis, distingui et multiplicari Personas in Deo. — Igitur *ad fidem catholicam pertinet esse in Deo reales relationes* (2).

741. et quidem quatuor.

PROPOSITIO SECUNDA. **Sunt in Deo quatuor relationes reales.**

Haec assertio est theologica certa.

Demonstratio.

Quum in Deo sint realiter Pater et Filius, est in Deo realis paternitas h. e. relatio illius *a quo alter* procedit secundum intellectum, et est realis filiatio, h. e. relatio illius *qui ab altero* procedit secundum intellectum. Praeterea est realiter in Deo Spiritus et Spirator (cf. suprà, n. 710 ss.): ergo est in Deo realis spiratio (3) passive accepta, h. e. relatio *qui ab altero* principio procedit secundum voluntatem, et est realis spiratio, active spectata, h. e. relatio *a quo alter* procedit secundum voluntatem. Ergo sunt in Deo quatuor reales relationes.

---

(1) *Enchir.,* n. 278-281.

(2) Cf. S. THOMAS, *De Potentia,* Q. VIII, a. 1.

(3) Non habemus vocabulum quo proprie significatur *relatio procedentis secundum operationem voluntatis:* utimur nomine *spiratio;* sed notandum est quod hoc nomine hic intelligitur ipsa *relatio:* nempe relatio procedentis et tunc dicitur spiratio passive accepta, et opponitur relationi spiratoris. Sed quandoque vocabulum *spiratio* adhibetur ad significandum ipsum actum notionalem spirandi vel ipsam processionem seu originem secundum illum actum.

PROPOSITIO TERTIA. **In Deo relationes sunt 1°) ratione quidem simpliciter et adaequate distinctae a substantia; 2°) sed realiter identificatae cum divina essentia, 3°) ideoque sunt subsistentes.** 742. *In Deo relationes sunt ratione simpliciter distinctae a substantia,*

Haec assertio est theologice certa.

Demonstratio.

Quoad 1am partem: relatio ex formali ratione sui generis nihil aliud dicit quam *ad aliquid* esse; substantia autem formaliter dicit *in se* esse; atqui *formalis ratio τοῦ ad aliquid* esse est omnino extra formalem rationem *τοῦ in se* esse (cf. suprà, n. 737). Ergo relationes sunt *ratione simpliciter et adaequate* distinctae a substantia; aliis verbis relationes conservant notam propriae categoriae etiam quando realiter identificantur cum essentia divina (1).

Quoad 2am partem: si relatio realis non realiter identificaretur cum divina essentia, esset inhaerens illi et daretur realis compositio inter divinam substantiam et relationem. Quod repugnat: cf. suprà, n. 176 s. 743. *sunt re idem ac essentia divina,*

Quoad 3am partem: relatio in Deo est realiter idem ac essentia divina; atqui divina essentia est ipsum Esse per se subsistens; ergo relatio in Deo existit quia est Esse subsistens, seu quia ipsa est *subsistens.* 744. *adeoque subsistentes;*

PROPOSITIO QUARTA. **In Deo, solae illae relationes, quae ad invicem opponuntur, sunt realiter ab invicem distinctae.** 745. *solae relationes ad invicem oppositae sunt realiter distinctae ab invicem;*

Haec assertio continetur implicite formaliter in asserto quod definit concilium Florentinum: [In Deo] omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio » (2).

Demonstratio.

Divina essentia est omnino simplex, et omne quod in ipsa *reale* est identificatur cum ipso Esse per se subsistente. Relationes reales originis, quas Deo inesse diximus, etiam *re* idem sunt cum essentia divina et ab hac habent omne quod reale est in ipsis. Illae relationes sunt *ratione* simpliciter distinctae ab essentia, sed ex hoc non sequitur quod sint *realiter distintae ab invicem.* Ad hoc requiritur alia ratio.

Jamvero *oppositio* duarum relationum realium originis facit necessario illas esse realiter ab invicem distinctas: et sane, si *realiter* existit relatio illius *a quo alius* et opposita relatio illius *qui ab alio,* illae duae relationes debent esse realiter ab invicem distinctae, quum impossibile sit quod idem, sub eodem respectu, sit realiter principium et principiatum. Ergo *oppositio* relationum originis importat realiter ab invicem distingui oppositas relationes.

---

(1) Perfectiones *absolutae,* licet ratione formaliter inter se differant, tamen, quando ut infinitae considerantur, reducuntur secundum propriam rationem ad rationem *τοῦ* Esse subsistentis. Cf. suprà, n. 145; card. BILLOT, *o. c.*, thes. VII, et thes IX, coroll.

(2) *Enchir.*, n. 703. Quaeri potest utrum illud assertum sit veritas a Deo revelata, quatenus formaliter implicite continetur in explicite revelatis, an potius conclusio logice illata ex revelatis et ut vera infallibiliter definita ab Ecclesia. Si hoc ultimum, illa assertio credenda est fide ecclesiastica. De notione illius cf. FRANZELIN, *De Traditione,* thes. XII, schol. 1, p. 113; card. BILLOT, *De virtutibus infusis,* thes. XIII; *Collat. Brug.*, t. VII, p. 5, t. XIV, p. 412, t. XV, p. 415.

Sed nulla alia est ratio distinctionis *realis* inter relationes divinas. Etenim in Deo nequeunt realiter multiplicari relationes mere materialiter, sicut realiter multiplicantur duo individua ejusdem speciei: talis enim multiplicatio nequit esse nisi in entibus compositis ex materia et forma: quae compositio repugnat in Deo. Sed nequit esse in Deo realis multiplicatio relationum ex hoc quod una relatio sit quasi generice diversa ab alia, puta quod una sit secundum operationem intellectus, alia vero secundum operationem voluntatis: nam in Deo, intelligere et velle sunt realiter eadem operatio; proinde relatio secundum operationem intelligendi, puta, relatio cognoscentis ad rem cognitam, non erit realiter distincta a relatione amantis ad rem amatam.

Ergo ubi non datur oppositio relationum ad invicem, ibi non datur realis distinctio relationum: ergo illae solae relationes originis, quae ad invicem opponuntur, sunt realiter ab invicem distinctae.

746. tales sunt tres.

Corollarium. *In Deo sunt tantum tres relationes realiter ab invicem distinctae, scilicet paternitas, filiatio, spiratio passiva.*

Etenim realis paternitas et realis filiatio sunt ad invicem oppositae: ergo ab invicem realiter distinctae. Relatio spirationis, passive acceptae, est opposita ad relationem spirationis activae: ergo sunt realiter ab invicem distinctae.

Sed non datur oppositio relativa inter relationem spirationis activae et relationes paternitatis et filiationis; nec inter has, quà tales, et spirationem passive acceptam. Sed relatio spirationis passivae nequit esse realiter eadem ac relatio paternitatis et filiationis: nam si hoc esset, filiatio, sicut spiratio passiva, realiter opponeretur relationi Spiratoris, proindeque processio intellectus, quae est generatio in divinis, prodiret ex processione amoris: quod falsum est: quia processio secundum operationem intellectus praeexigitur ad processionem secundum voluntatem (1).

Relinquitur ergo ut relatio spiratoris realiter sit eadem cum relationibus paternitatis et filiationis.

747. In Deo relationes sunt realiter idem ac processiones,

PROPOSITIO QUINTA. **In Deo relationes subsistentes procedentium sunt realiter idem ac processiones.**

Praenotemus nos, in ulteriori explicatione dogmatis SS. Trinitatis, initium sumpsisse a revelata veritate, quod sunt in Deo tres: Pater, Filius, Spiritus Sanctus, quorum duo procedentes. Inde cognovimus *a*) esse in Deo duas processiones; *b*) esse in Deo quatuor relationes reales et subsistentes. In praesenti propositione probamus rationem processionis totam verificari in sola relatione.

Demonstratio.

Processio, quae hîc consideratur, est origo in vivente. Jamvero « Omnis certe origo in viventibus creaturis inventa [sive sit origo subsistentis ut

(1) Ita S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXX, a. 2.

generatio, sive non subsistentis ut conceptio verbi] est formaliter operatio quaedam (1)... Relatio autem praedicamentalis, quando datur, consequenter tantum se habet ad originem, puta paternitas ad actum generandi. — Quod enim origo creata non possit esse relatio evidentissime ostenditur ex hoc quod oportet originem inferre terminum suum, non autem praesupponere illum. Sed omnis relatio creata, utpote inhaerens et se habens mere ut quo unum refertur ad aliud, suum terminum pariter et subjectum praesupponit. Ergo omnino impossibile est quod aliqua creata relatio sit origo termini sui. — Rursus omnis creata origo rationem habet effectionis, quia est id quo influitur esse in termino. Sed id quo influitur esse in termino, non est relatio, sed actio vel motio; ergo iterum idem ac prius. Et hinc etiam facile vides cur necesse habeamus omnem originem per modum actionis concipere » (2).

Nunc oportet ut divinae originis notionem efformemus per analogiam ad notionem originis, quae ex creatis elucet nobis. Jamvero in divinis ipsa origo nequit formaliter esse *actio:* quia procedens seu originatum non potest esse effectus (cf. suprà, n. 694 ss.): remanet proinde ut processio in divinis sit quidem *secundum actionem,* sed in se nihil aliud sit quam *relatio originis.* Praeterea relatio *originis subsistens,* quatenus est subsistens, includit, in sua formali ratione, ordinem originis unius ab alio seu esse *ad aliquid* ratione originis: ergo relatio originis subsistens verificat rationem processionis seu est ipsa processio: v. gr., filiatio subsistens est subsistens *esse ad alium,* a quo procedit filius, consequenter est origo unius ab alio.

748. quae ab illis differunt ratione, sed secundum quid tantum.

Corollarium. *Relatio et processio sunt etiam ratione simpliciter idem in divinis, et non differunt nisi secundum quid, eodem fere modo quo sapientia, potentia, caeteraque attributa absoluta, ratione differunt a substantia divina* (3).

Processio est origo passive accepta. In Deo autem sunt duae processiones, quarum unaquaeque importat duas relationes: inde quatuor relationes et duae processiones (cf. suprà, n. 741). Hîc ostendimus unamquamque processionem esse etiam ratione simpliciter idem cum relatione principiati. (Pariter unaquaeque origo active sumpta est ratione simpliciter idem cum relatione principii).

Etenim ratio processionis invenitur contenta in formali ratione relationis subsistentis, ex hoc quod subsistens est: sicut ratio substantiae invenitur contenta in formali ratione sapientiae divinae, ex hoc quod haec est infinita vel subsistens (cf. suprà, n. 145): igitur, in divinis *processio* et *relatio* originis sunt *ratione simpliciter idem* (4).

Quia tamen in formali ratione processionis non est, quoad nos, contenta

(1) Operatio seu actio est producens unum ab alio, est faciens unum egredi ex alio, est id quo a causa influitur esse in effectum.

(2) Card. BILLOT, *De Deo uno et trino,* L. II, thes. IX, coroll., p. 448.

(3) ID., *ibid.*

(4) In memoriam revocetur quod, in divinis, *substantia* et *relatio* sunt *ratione simpliciter et adaequate distinctae:* cf. suprà, n. 738, 742.

formaliter explicite ratio relationis (indigemus enim ratiocinio ut continentia appareat) hinc est quod ratio processionis differt *secundum quid* a ratione relationis subsistentis, scilicet tamquam implicitum ab explicito. Illae rationes differunt etiam quoad modum quo a nobis concipiuntur ac significantur: quia originem concipimus et significamus per modum actionis.

749. Objectio desumpta ex principio identitatis comparatae exponitur

Objectio.

Ex dictis solvi potest praecipua difficultas quae ex naturalis rationis principiis proponitur contra mysterium SS. Trinitatis. Est porro difficultas desumpta ex principio identitatis comparatae, vi cujus affirmatur quod ea quae sunt eadem uni tertio sunt etiam eadem inter se: quum autem relationes divinae, puta paternitas et filiatio sint realiter idem ac essentia divina, sequi videtur quod sint realiter idem inter se, quod nempe paternitas est realiter idem ac filiatio et proinde quod Pater est realiter idem ac Filius.

750. et solvitur ex recta intellectione praedicti principii.

Responsio.

Non unica proposita est a theologis solutio: unica tamen, ut videtur, est valida responsio, quam statim exponemus.

1° S. Thomas, Aristotelis doctrinam sequens, asserit principium identitatis comparatae non valere ad hoc ut ex illo inferatur conclusio, nisi quando duo sunt RE ET RATIONE eadem cum tertio, aliis verbis, nisi quando in propositionibus praedicatio est *formalis* seu quando praedicatum est de ratione subjecti (1); etenim ut legitime concludas A esse idem ac C, ex hoc quod A et C sunt idem cum B, oportet ut comparatio instituatur sub eo respectu sub quo illi termini sunt in intellectu et consequenter ut formalis sit identitas A cum B et C cum B; secus si identitas A cum B et C cum B est tantum materialis vel quasi materialis, non sequitur *per se,* seu ratione ipsius comparationis, conclusio quod A est C.

Jamvero, in re de qua agitur, relatio divina v. gr., paternitas est quidem realiter idem ac essentia divina, sed non formaliter, imo, uti suprà, n. 742, exposuimus, ratio relationis divinae est adaequate distincta a ratione essentiae divinae; etiam filiatio divina est realiter idem ac essentia divina, sed non formaliter: quapropter ex identitate Paternitatis cum divina essentia et identitate Filiationis cum eadem essentia non sequitur identitas Paternitatis cum Filiatione.

Quapropter ad propositam difficultatem respondet S. Thomas: « Secundum Philosophum [*Physic.,* L. III, c. 3] argumentum illud quod *quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem,* tenet in his quae sunt idem re et ratione, sicut tunica et indumentum; non autem in his quae differunt ratione... Et similiter, licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina et similiter filiatio; tamen haec duo in suis propriis rationibus important oppositos respectus. Unde distinguuntur ad invicem » (2).

(1) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 64, 68; card. BILLOT, *o. c.*, thes. VIII.

(2) *Sum. theol.*, I, Q. XXVIII, a. 3, ad 1. Cf. CAPREOLUS, *In I Sent.*, dist. II, q. 3, a. 1, *Opera*, t. I, p. 151 ss., ubi sententiam S. Thomae propugnat; licet dicat tres esse modos secundum quos S. Thomas exponit principium, de quo agitur, non sunt tamen modi inter se oppositi, sed sunt diversae explicationes, quae tuentur valorem universalem praedicti principii rite intellecti.

2° Sed illa S. Thomae explicatio de principio identitatis comparatae impugnata fuit argumento quod est instantia in proposita difficultate et quae nunc est solvenda.

Quaecumque uni et eidem sunt eadem *realiter,* licet ratione ab illo differant, sunt eadem realiter, seu, aliis verbis, impossibile est ut ea quae ab uno tertio ratione tantum differunt, realiter distinguantur inter se: atqui relationes divinae, scilicet paternitas, filiatio, etc., sunt ab uno, nempe essentia divina, ratione quidem diversae, sed sunt realiter idem cum illo; ergo illae relationes ratione quidem ab invicem diversae sunt, sed non realiter distinctae esse possunt (1).

Respondetur *negando Majorem:* etenim ex hoc quod A et C sunt ratione tantum diversa a B, non sequitur illa non posse nisi ratione distingui inter se: nam non repugnat ut inter se alio modo differant ac eo modo quo differunt a B. Et sane, relationes divinae, scilicet paternitas, filiatio, sunt quidem realiter idem cum essentia divina et ratione tantum distinguuntur ab illa, sed, *secundum propriam et formalem uniuscujusque rationem,* singulae sunt *oppositae* ad invicem, consequenter impossibile est ut sint realiter idem.

3° Sed notemus quod eatenus fieri potest ut duo sint inter se opposita et inde realiter distincta, quae ratione tantum diversificantur a tertio quocum realiter identificantur, quatenus illa duo sunt formaliter RELATIONES ad invicem OPPOSITAE. Et re quidem vera, impossibile omnino est ut *absoluta* A et C, si sint realiter identica cum *absoluto* B, adhuc realiter opponantur ad invicem. Etenim absoluta habent in eo ipso, in quo opponuntur, titulum et rationem suae realitatis; ac per consequens, unumquodque oppositorum ponit realitatem, de cujus ratione est negatio realitatis quae est in altero. Si ergo, non obstante identitate cum tertio, adhuc opponerentur, eo ipso tertium quocum utrumque supponitur idem, deberet negare seipsum, quod est absurdum et directe repugnans principio contradictionis: idem enim non potest simul et sub eodem respectu esse et non esse.

At vero non apparet haec evidens repugnantia quando nota, qua duo ad invicem opponuntur, est formaliter *relatio.* Etenim relatio R opponitur relationi R', non contrarie, sed relative, scilicet secundum reciprocum ac mutuum *esse ad;* atqui, ut dictum est suprà, n. 737, nota *ad aliquid* praecisive, non est ratio et titulus realitatis in relatione reali, sed nota alia, quae in casu, nihil aliud est quam realis identitas cum substantia. Ideo relatio R et Relatio R', dum ponunt oppositos, seu mutuos ac reciprocos ejusdem ordinis respectus, non eo realia sunt reduplicative, quo distinguuntur inter se, sed eo potius in quo conveniunt: conveniunt enim in derivando realitatem suam ex absoluto B, cujus speciali conditione ac natura praedicti mutui respectus exiguntur. Si autem realia sunt una eademque realitate

(1) Illa est objectio quam contra expositionem S. Thomae proponebat Aureolus: cf. CAPREOLUS, *l. c.,* p. 152 ss.

absoluti, ergo absolutum B potest simul verificare opposita R et R'; quin ideo debeat verificare negationem suae propriae realitatis (1).

Jamvero revelatione divina didicimus ita esse in divinis: paternitas, filiatio, processio passiva opponuntur formali ratione *relationis* et ideo realiter ab invicem distinguuntur; sed simul identificantur cum *absoluto,* quod est essentia divina, a quo absoluto habent quod sunt reales.

751. Ex dictis intelliges responsionem quam ad integram difficultatem traditur in forma his verbis:

Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se, *Dist. Maj.* Quae sunt eadem re et ratione, *conc. Maj.;* quae sunt eadem re, sed non ratione, *subdist.:* si ratio, secundum quam a tertio distinguuntur, sit ratio *absoluta,* per se ipsam ponens *aliquid* in re, rursus *conc. Maj.;* si sit ratio propria *relationis,* scilicet *ad aliquid, adhuc subdist:* si inter se relativa oppositione non opponantur, iterum atque iterum *conc. Maj.;* si inter se opponantur ut relatio principii et relatio ejus quod est a principio, *nego Maj.* (2).

752. Principium identitatis comparatae non fallit in divinis.

Corollarium. *Principium identitatis comparatae, eo sensu quo principium est, et evidens axioma rationis naturalis, non fallit in divinis; sed ultima totius difficultatis hîc occurrentis enodatio ex propria ratione relationis subsistentis est desumenda.*

Etenim 1° ex dictis aperte sequitur *a*) illud principium non valere nisi de iis quae re et ratione sunt identica, *b*) in Deo relationes processionum ad intra non esse re et ratione identicas et cum divina essentia, et inter se.

Praeterea illud principium non potest fallere in divinis: est enim principium *a priori,* cujus notitia acquiritur, non quidem experientia aut inductione, sed ipsa immediata analysi terminorum, imo est basis ac fundamentum omnium regularum syllogismi. Necesse igitur est ut *intra limites suae legitimae significationis* sit absolute et universaliter verum, et tam in divinis quam in creatis applicetur, non secus ac istud: nihil potest esse simul et non esse (3).

2° Quoad secundam partem corollarii, patet solutionem datam, quoad mysterium SS. Trinitatis, inniti totam rationi *relationis subsistentis:* etiam quia paternitas est mera relatio, et quia paternitas, in Deo, est realis per identitatem cum ipso Esse per se subsistenti; et quia filiatio est mera relatio, et quia, in Deo, est realis per identitatem cum ipso Esse per se subsistenti, quia tandem ex formali sua ratione opponuntur ad invicem paternitas et correlativa filiatio — ideo, in Deo, realiter sunt distincta paternitas et filiatio.

Ex dictis colliges perfici naturalem nostram cognitionem ex revelatis a Deo: ex manifestato nobis mysterio SS. Trinitatis, firmatur et completur notitia de principio identitatis comparatae, magis nitida fit notio de ente absoluto et de relatione, tandem illucescit quod in ipso Deo realizatur et supremum *Absolutum* et suprema *Relatio* (4).

753. Non admittenda solutio Molinae,

Nota. 1. Ex dictis sequitur non admittendam esse solutionem, quam proponebat Molina, *In Sum. theol.,* I, Q. XXVIII, a. 3, disp. 2: ipse enim restringebat extensionem praedicti principii ad identitatem duorum cum aliquo tertio singulari *incommunicabili.* Illa autem restrictio non demonstratur legitima, nec videtur vere solvere difficultatem.

754. nec Suarezii,

Nec opinio est sequenda Suarezii *De Trinitate,* L. IV, c. 3, n. 7 (p. 622), qui concedit principium identitatis comparatae non posse applicari in divinis, et esse falsum si in tota abstractioie et analogia entis sumatur, abstrahendo ab ente creato et increato, finito et infinito. Jam suprà, n. 752, diximus cur illud principium sit omnino verum et universiale, necnon *a priori* et proinde omnino tenendum.

---

(1) Ita card. BILLOT, *o. c.,* thes. VIII. Cf. S. THOMAS, *In I Sent.,* dist. XXVI, Q. II, a. 2. Eamdem solutionem exponunt: ILLmus JANSSENS, *De Deo trino,* p. 238 ss.; VAN NOORT, *De Deo uno et trino,* n. 208 ss.; PÈGUES, *Comment. franç. littér. de la Somme théologique, Traité de la Trinité,* p. 106 ss.

(2 Card. BILLOT, *l. c.*

(3) ID., *ibid.*

(4) Cf. ILLmus JANSSENS, *o. c.,* p. 241 s.; PÈGUES, *o. c.,* p. 105 s.

Sed etiam hic notari potest illam Suarezii responsionem radicitus inniti in notione quam habet de ipsa relatione: non enim formalem rationem relationis ponit in mere *esse ad*, nec hoc nitide distinguit ab *esse in* (cf. suprà, n. 737), sed in ipsa relatione, ut sic, agnoscit titulum realitatis ejusdem et porro *proprium* esse *singulis* relationibus tribuit, et proinde propriam perfectionem (1). Quae sententia componi non posse videtur cum perfecta simplicitate divinae essentiae, nec cum omnimoda aequalitate divinarum Personarum, ut infrà explicabitur (2).

755. nec sententia Scoti.

Scotus admittebat distinctionem quam vocabat *formalem ex natura rei*, et quae est quasi media inter distinctionem realem et distinctionem rationis tantum, cf. suprà, n. 138. Inde censebat Scotus divinas relationes a divina essentia distingui *ex natura rei*, proinde non admittebat processiones in Deo nihil aliud esse quam mere relationes originis, consequenter admittebat distinctionem formalem inter Personas divinas et relationes: quae conclusiones cum perfecta Dei simplicitate non componi posse videntur (3).

Caput III.

DE PERSONIS DIVINIS.

Notio **personae.**

756. Personae est: rationalis naturae individua substantia,

Persona definitur: « rationalis [vel intellectualis] naturae individua substantia » (4).

Nobis hîc praecipue considerandum est quid significent vocabula: *individua substantia.*

Substantia est ens cui competit *esse in se*, non in alio.

Individua hîc intelligitur simpliciter individua h. e. omnino indivisa in se et divisa seu distincta a quolibet alio ente, seu *incommunicabilis*. Substantia individua proinde est ens existens *in se* et *propter se* et *totum in se* seu *incommunicabile*. Persona est igitur substantia *singularis, completa, tota in se* seu *incommunicabilis*, in natura intellectuali (5): hoc significat definitio suprà expressa.

757. seu distinctum subsistens in natura rationali,

Ad hanc autem definitionem reducitur alia haec: persona est *distinctum subsistens in intellectuali natura* (6).

« Et sane in hoc quod dicitur *subsistens*, significatur substantia individua prout excludit communitatem assumptibilis, quia illud quod in se subsistit, quamdiu in se subsistit ab alio praeexistente supposito nequaquam assumi potest. Praeterea cum additur *subsistens in aliqua natura* [vel in natura intellectuali] signatur substantia individua prout excludit communitatem partis, quia subsistens in natura possidet totam naturam, et non est solum aliqua naturae pars quae toti attribuitur. Denique, per appositum *distinctum*, designatur substantia individua prout excludit omnem aliam communitatem quae esset contra rationem suppositi, (puta communitatem

(1) Videsis Suarez, *De Trinitate*, L. III, c. IX et X.

(2) Cf. Martin, in *Science catholique*, 1898-99, t. XIII, p. 865 ss., ubi optime exponitur oppositio sententiae Suarezii cum doctrina S. Thomae.

(3) De sequelis distinctionis scotisticae in exponendo mysterio SS. Trinitatis cf. P. Raymond, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, art. Duns Scot, col. 1882 ss.

(4) Boëthius (an. 470-525), *Liber contra Nestorium et Eutychen, de persona et duabus naturis*, c. III, P. L., t. LXIV, col. 1343.

(5) Hanc notionem hîc ex philosophia supponimus. Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 244; Welschen, *Le concept de personne selon saint Thomas*, in *Revue thomiste*, 1914, t. XXII, p. 129 ss.; *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 173, 240.

(6) Cf. S. Thomas, *De Potentia*, Q. IX, a. 4; Terrien, *S. Thomae Aquinatis doctrina sincera de unione hypostatica*, p. 71; card. Billot, *De Verbo incarnato*, Q. II, p. 78.

quae invenitur in natura divina), quia id quod dinstincte subsistit in aliqua natura, nullo modo communicabile est pluribus hujus naturae suppositis, ut ex terminis evidens est » (1).

758. Definitio data exprimit id quod nomen persona significat formaliter,

Hucusque exposuimus id quod nomen persona significat *formaliter;* postea inquirendum nobis est id quod nomen persona significat *materialiter* in divinis, seu rem in qua verificatur ratio per nomen persona significata. Sed imprimis notionem praedictae distinctionis declaramus verbis S. Thomae:

Sciendum in primis est, « quod aliquid [h. e. nomen] significat dupliciter: uno modo *formaliter,* et alio modo *materialiter. Formaliter* quidem significatur per nomen, id ad quod significandum nomen est principaliter impositum, quod est *ratio nominis,* sicut hoc nomen homo significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. *Materialiter* vero significatur per nomen, *illud in quo talis ratio salvatur,* sicut hoc nomen homo significat aliquid habens cor et cerebrum, et hujusmodi partes sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali. Secundum hoc ergo dicendum est quod hoc nomen *persona* communiter sumpta nihil aliud significat quam substantiam individuam rationalis naturae. Et quia sub substantia individua rationalis naturae continetur substantia individua, id est incommunicabilis, tam Dei, quam hominis, quam etiam angeli, oportet quod persona divina significet subsistens distinctum in natura divina, sicut persona humana significat distinctum subsistens in natura humana, et haec est formalis significatio tam personae divinae, quam personae humanae » (2).

759. sed inquirendum est id quod, in Deo, persona significat materialiter.

Sed formalis significatio nominis *persona* non determinat quid sit illud in quo secundum varias naturas intellectuales, puta humanam, angelicam, divinam, ratio *subsistentis distincti* salvatur; et ideo superest inquirendum de materiali significato personae in Deo.

Hîc porro occurrit necessario difficultas: etenim essentia divina est formaliter ipsum esse subsistens; est insuper ex necessitate quidditatis suae prorsus singularis, immultiplicabilis, divisa atque distincta ab omni supposito quod in numerica ejus unitate non sit, ab omni supposito quod realiter distinctum est ab illa. Quapropter si in illa consideratione (quam ex solo naturali rationis lumine acquirimus) maneremus, forsitan putaremus (licet illegitima esset conclusio) ipsam essentiam divinam esse personam.

Sed ex revelatione cognoscimus divinam essentiam non esse incommunicabilem, sed communicari tribus, realiter identificatis cum illa, et realiter ab invicem distinctis, nempe Patri, Filio, Spiritui Sancto. Quapropter ipsa essentia divina non verificat rationem *substantiae simpliciter individuae,* sed inest *tribus distincte subsistentibus,* quos proinde recte fides catholica personas dicit.

In sequentibus inquiremus ulteriorem de hoc explicationem.

ARTICULUS I^us^. **De divinis personis in communi.**

760. Sunt in Deo personae.

PROPOSITIO PRIMA. **Sunt in Deo personae.**

Haec propositio est de fide. Sed hîc demonstratur nomen *persona* omnino secundum propriam significationem convenire Deo et, ut in secunda pro-

(1) Card. BILLOT, *o. c.*, p. 78 s.
(2) S. THOMAS, *De Pot.*, Quaest. IX, a. 4.

positione elucebit, tribus qui sunt in Deo, nempe Patri, Filio et Spiritui Sancto.

Demonstratio.

Persona est intellectualis naturae individua substantia, vel, distinctum subsistens in natura intellectuali; atqui sunt in divina natura distincti subsistentes: ergo sunt in Deo personae.

Minor declaratur. Sunt enim in natura divina relationes reales ad invicem oppositae, consequenter distinctae et *incommunicabiles* (cf. suprà, n. 745 ss.). Praeterea illae relationes, quatenus realiter identificatae cum ipsa essentia divina, sunt *subsistentes,* h. e. existunt in se, imo sunt ipsum Esse per se subsistens, proinde habent illum modum existendi qui substantiae proprius est. Ergo in Deo relationes oppositae sunt *distincte subsistentes* in natura intellectuali.

761. Nomen persona in divinis significat materialiter relationem incommunicabilem, quà subsistentem.

Corollarium 1um. *Nomen persona in divinis materialiter significat relationem incommunicabilem quà subsistentem.*

Ex propositione statim demonstrata constat rationem formaliter significatam per nomen *persona* verificari in reali relatione incommunicabili identificata cum essentia divina seu in *relatione* incommunicabili *subsistente:* haec est id quod nomen persona, in divinis, significat materialiter.

Sed ulterius nunc inquiri potest *quo modo* haec res significetur seu designetur in nomine *persona:* ad hoc ponitur corollarium.

Nomen persona in divinis non significat *in recto* ipsam essentiam divinam, quippe quae non est incommunicabilis; sed significat *in recto* ipsam *relationem,* quia et quatenus haec est *incommunicabilis;* non tamen relationem solùm significat, nec relationem per modum formae distinguentis, sed relationem ut est *distincte subsistens* seu *subsistens individuum,* sicut illa indicatur quando dicitur *Pater, Filius, Spiritus Sanctus.*

762. Relatio incommunicabilis est constitutiva personae divinae.

Corollarium 2um. *Nota constitutiva personae divinae est relatio incommunicabilis.*

Id enim formaliter constituit personam, quod incommunicabilem reddit substantiam intellectualem; jamvero illud est in Deo ipsa relatio incommunicabilis. Inde persona divina constituitur *relatione* incommunicabili.

Quod confirmatur, si consideratur nullam rationem distinctionis realis inveniri in Deo nisi oppositionem relativam: « In Deo enim omnia sunt unum et idem ubi non obviat relationis oppositio » (1).

Ergo eatenus distinguitur realiter una persona ab alia, quatenus una relative opponitur alii; ergo sola relatione constituitur in ratione *personae,* h. e. distincte subsistentis; proinde relatio incommunicabilis, prout haec distinguitur ab essentia divina, est formaliter constitutiva personae divinae (2).

---

(1) *Conc. Flor., Enchir.,* n. 703; cf. suprà, n. 740.

(2) Haec est sententia communis et omnino tenenda. Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XL, a. 2; CAPREOLUS, *In I Sent.,* dist. XXVI, Q. I, a. 1, concl. 2a, t. II, p. 215; CAJETANUS, *In Sum.*

Haec conclusio, ut videtur, asseritur in declaratione concilii Toletani XI, dicentis: « In relatione enim personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit non comprehenditur. Ergo in hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt; et in hoc numero carent quod ad se sunt » (1).

763. Objectio solvitur.

Subtilis autem occurrit hîc difficultas ex hoc quod relatio paternitatis videatur *posterior* generationi et persona generans *prior* generationi, consequenter persona divina, nempe Pater, praesupponitur generationi et relationi paternitatis, et proinde non potest constitui formaliter ipsa relatione paternitatis.

Quae difficultas sic exprimi potest in forma: Pater in ratione personae constitutus supponitur in signo priori ad generationem; sed relatio paternitatis non convenit Patri in signo priori ad generationem; ergo persona Patris non constituitur ipsa relatione paternitatis.

R. *Maj. conc.*

Min. dist.: relatio paternitatis *ut in actu exercito... conc.;* relatio paternitatis *ut in actu signato, nego.*

Contrad. consequens: persona Patris non constituitur ipsa relatione considerata *in actu exercito, conc.;* persona Patris non constituitur ipsa relatione considerata *in actu signato, nego.*

Explico distinctionem. Relatio potest considerari *ut in actu exercito,* h. e. tamquam *actu exercens munus referentis* seu tamquam in exercitio ipsius *respectus* sive tendentiae actualis et attingentiae sui termini correlativi. Qua talis, relatio paternitatis supponit generationem et personam generantem; consequenter qua talis nequit constituere formaliter personam Patris in divinis. Sed relatio potest considerari *ut in actu signato,* nempe ut realitas quaedam, ut quasi-forma. Secundum hoc *divina* relatio est *realitas subsistens incommunicabiliter* (cf. suprà, n. 740-745), et secundum hoc ipsa relatio paternitatis constituit formaliter divinam personam quae est Pater (2).

764, Dupliciter analogum est nomen persona Deo applicatum.

Corollarium 3um. *Nomen persona, divinis applicatum, duplici titulo est analogum.*

Persona est *distinctum subsistens in natura intellectuali.* Jamvero ex doctrina revelata scimus divinam personam esse relationem incommunicabilem qua subsistentem (cf. suprà, n. 758), inde nomen persona dicitur *analogice* de creatura et de Deo, 1° ex hoc quod dicit *distinctum:* nam incommunicabilitas personae *divinae* habetur per *relationem* originis: quod non verificatur in ulla creatura; 2° ex hoc quod persona dicit *subsistens:* nam subsistit persona divina per ipsum *esse per se subsistens,* quod est ipsa essentia divina (3).

765. De usu nominis persona.

Adnotatio circa usum vocabuli personae et hypostasis in exponenda doctrina catholica de SS. Trinitate.

1° Jam Tertullianus, initio saeculi III, rite propugnabat realem distinctionem, Patris, Filii, Spiritus Sancti in *una substanta* divina, illosque vocabat *personas* (4).

---

theol., I, Q. XL, a. 4, n. VIII; GONET, *Clypeus.* t. II, *De Trinitate,* disp. XI, a. 2; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.*, in *Collat. Brug.*, t. III, p. 553; card. BILLOT, *De Deo uno et trino,* L. II (*de Trinitate*), thes. XXXVI.

(1) *Enchir.*, n. 280.

(2) Videsis GONET, *o. c.*, l. c., a. 3, § II; BILLUART, *De SS. Trinitatis mysterio,* diss. IV, a. 2; card. BILLOT, l. c.

(3) Si unica tantum esset persona divina, analogia haberetur solum ex uno titulo, nempe ex hoc quod persona dicit *subsistens.* Cf. card. BILLOT, *o. c.*, thes. X.

(4) *Adv. Praxeam,* praesertim c. 3, 7, 8, 9, 11, 12, 19. Cf. D'ALÈS, *La théologie de Tertullien,* p. 82 ss.

Sed ille auctor et alii antiquiores scriptores ecclesiastici non videntur perspexisse nomen *persona* secundum formalem ejus significationem, quam suprà, n. 756, exposuimus, proprie convenire tribus in Deo distinctis. Etiam S. Augustinus, *De Trinitate*, L. VII, c. IV-VI, non valet rationem reddere cur dici possit tres esse personas, quum nequeat dici tres esse deos; usumque vocabuli *persona* explicat ex necessitate accommodandi nomen ad exprimendum mysterium SS. Trinitatis. Intrinsecam rationem cur rite vocentur *personae* Pater, Filius et Spiritus Sanctus, perscrutati sunt Scholastici.

Mirabilis est effectus Providentiae divinae quod usus ab initio factus sit de vocabulo *persona*, quum in re tam difficili recenseri debuerunt, sub aliquo communi nomine, tres illi distincti quos unum Deum esse credimus. Inquirebant enim adversarii: ecce tres dicitis, sed quid tres? Tria entia? Tres dii? Tres essentiae? Et responsum est: Tres personae, licet proprietas illius vocabuli, ut videtur, non perspecta fuerit ab antiquis (1).

2° Postquam, ineunte saeculo IV, fuerat solemniter damnatus Arianismus (cf. suprà n. 664-668) adhuc vigebat controversia inter catholicos circa usum vocabulorum *οὐσία*, *ὑπόστασις*, et nominatim in synodo Alexandrina (an. 362) disputatum est inter Latinos et Graecos (2).

S. Basilius praecipuus fuit qui notiones per illa vocabula significatas perscrutatus est et differentiam inter *οὐσία* et *ὑπόστασις* declaravit, docendo *essentiam* se habere ad *hypostasim* sicut *commune* ad *singulare*, adeoque hypostasim esse id quod in se existit, id quod distincte subsistit, id quod est vere individuum. Secundum hoc rite explicatur cur dicendum sit, in Deo esse *unam essentiam* et *tres hypostases*. Legatur S. Basilius, *Adv. Eunomium*, L. II, n. 28, P. G., t. XXIX, col. 637; *De Spiritu S.*, c. XVIII, n. 46; epist. XXXVIII, n. 3; *epist.* CCXXXVI, n. 6; P. G., t. XXXII, col. 152, 729, 884 (3).

766. *Tres sunt in Deo personae.*

PROPOSITIO SECUNDA. **Tres sunt personae in Deo.**

Demonstratio.

Etenim tot sunt in Deo personae quot sunt in ipso relationes incommunicabiles subsistentes (cf. suprà, n. 761); atqui sunt in Deo tres relationes incommunicabiles subsistentes nec plures, scilicet paternitas, filiatio, processio passiva (cf. suprà, n. 746); ergo sunt in Deo tres personae, Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

767. *Spiritus S. non realiter distingueretur a Filio si non procederet ab eo.*

Nota. Ex dictis melius intelligitur cur *Spiritus Sanctus non realiter distingueretur a Filio nisi procederet ab illo* (4).

Etenim divina persona est hypostasis *relatione* distincta, nempe relatione *originis;* praeterea eatenus una persona divina realiter distinguitur ab alia, quatenus constituitur relatione originis, quae est *realiter distincta* a relatione originis, qua constituitur alia persona; sed eatenus realiter distinguitur in Deo una relatio originis ab alia, quatenus una *opponitur* alii (cf. suprà, n. 745); ergo non distinguitur realiter spiratio passiva a filiatione, si spiratio passiva non opponitur filiationi; sed spiratio passiva nequit opponi filiationi nisi sit relatio principiati ad principium vel principii ad principiatum; sed hoc ultimum evidenter excluditur, quum contra fidem sit dicere Spiritum S. esse principium Filii; ergo remanet quod Spiritus S. eatenus distinguitur a Filio quatenus procedit ab illo (5).

---

(1) Cf. card. BILLOT, *o. c.*, thes. XI.

(2) Cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Arianisme*, col. 1833 s,; POHLE, *o. c.*, p. 382 s.; ILLmus JANSSENS, *De Deo trino;* p. 280 ss.

(3) Cf. BARDENHEWER, *Patrologie*, p. 248; TIXERONT, *Histoire des dogmes*, t. II, p. 77; NAGER, *Die Trinitätslehre des h. Basilius*, p. 58 s.

(4) Contradictoriam sententiam propugnavit SCOTUS, *In I Sent.*, dist. XI, Q. 2.

(5) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXXVI, a. 2; *De Potentia*, Q. X, a. 5.

768. Quaternitas admitti non potest in Deo, si considerantur relationes, nec si considerantur essentia et relationes,

Corollarium. *Nullo modo admitti potest in Deo quaternitas.*

1° Licet sint in Deo quatuor relationes reales, tamen una, scilicet spiratio activa, est realiter idem cum paternitate et filiatione, adeoque non constituit quartam personam in Deo. Cf. suprà, n. 746, 762.

2° Praeterea nequit admitti quaternitas ac si numerarentur essentia divina et tres relationes incommunicabiles: etenim essentia divina non distinguitur a relatione originis sicut res a re, sed distinguitur tantum ratione: adeoque eatenus reales sunt relationes divinae quatenus identificantur cum ipsa essentia divina, et eatenus sunt tres Personae, quatenus tres relationes, identificatae cum unica essentia divina, sunt ad invicem oppositae. Proinde realis pluralitas, quae in Deo, numero exprimitur, est tantum *trium* subsistentium seu personarum.

Ad rem declarat Concilium Lateranense IV (an. 1215) contra errorem Abbatis Joachim (1): « Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; tres simul Personae, ac singillatim quaelibet earundem; et ideo in Deo solummodo *Trinitas* est, non *quaternitas*... » V. textum integrum suprà n. 682.

nec si considerentur subsistentia et subsistentes.

3° Tandem nequit quaternitas admitti ac si numerarentur in Deo una subsistentia absoluta et tres subsistentiae relativae.

Quod ut intelligatur accurate consideranda est significatio nominis *subsistentia*, quod non ab omnibus eadem prorsus significatione adhibetur.

a) Si nomen *subsistentia* sumitur *in concreto* significando ipsum existens incommunicabiliter seu ipsam hypostasim seu personam, tenendum est esse in Deo tres subsistentias sicut in Deo sunt tres personae.

b) Si nomen *subsistentia* sumitur *in abstracto*, etiam duplex est consideranda significatio:

α) nomen subsistentia in abstracto significare potest id quo formaliter existit aliquid *in se* et *propter se* et *distinctum ab omni alio ente:* secundum hoc essentia divina est ipsum Esse per se subsistens, omnino *distinctum* ab omni alio ente extra Deum; quapropter, secundum hoc, verificatur in Deo *subsistentia absoluta* (2), quae unica est: est enim ipsa essentia divina, infinite perfecta, immultiplicabilis.

β) Nomen subsistentia in abstracto potest etiam significare id quo formaliter *incommunicabile* existit aliquid, nempe ipsam rationem *incommunicabilitatis*, qua aliquid in se subsistit (v. suprà, n. 756). Si nomen subsistentia in illa significatione usurpatur, tenendum est esse in ipsa essentia divina *tres subsistentias*, quatenus in divina essentia sunt *subsistentes tres ab invicem realiter distinctae relationes*, omnino *incommunicabiles*, quibus formaliter constituuntur tres personae (v. suprà, n. 762).

Conclusio. Uti ex suprà dictis constat, aliquo sensu dici potest et debet: in Deo est *una subsistentia*, et alio sensu dici potest et debet: in Deo sunt *tres subsistentiae*. Sed nunquam dici potest sunt in Deo *quatuor* subsistentiae: nam secundum doctrinam revelatam circa Deum, in Deo connumerari nequit id quo formaliter existit Deus in se (tanquam substantia distincta ab omni *alio* ente quod non est Deus v. suprà, n. 182, 255 s.) cum eo quo verificatur *in ipso Deo* formalis ratio incommunicabilitatis subsistentiae: illae enim sunt rationes formaliter diversae. Praeterea nequeunt subsistentia absoluta et subsistentiae relativae (i. e. relationes oppositae subsistentes) connumerari simul ac si essent quatuor res vel quatuor entia: nam ipsa essentia divina, sc. subsistentia absoluta, non est *realiter* distincta a relationibus originis, sed in illa summa re subsistens est paternitas, filiatio, spiratio (passiva) et illa summa res *est* Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

---

(1) De quo cf. Jordan, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, art. *Joachim de Flore*, col. 1432.

(2) Bene notetur non posse admitti in Deo *personalitatem* absolutam: personalitas seu formalis ratio personae in Deo est *relatio*.

4° Inquirunt theologi utrum tenenda sit assertio: est in Deo *unica subsistentia*, an assertio: sunt in Deo *tres subsistentiae* (1). Uti statim diximus utraque assertio, secundum *diversam* significationem nominis *subsistentia* est vera (2). *769. De quaestione quae inter auctores controvertitur.*

Sed praeterea inquirunt quidam theologi utrum rectae doctrinae magis conformis sit assertio: « est in Deo *unica* subsistentia » an assertio: « sunt in Deo *tres subsistentiae* ». Card. Billot (3) docet omnino tenendam esse assertionem « est in Deo *unica* subsistentia » et non admittit dici posse « sunt in Deo *tres subsistentiae* » nisi quando vocabulum *subsistentiae* sumitur *in concreto*, scil. pro *hypostasi subsistente*.

Ill^mus Janssens (4) et cl. P. Pègues (5) e contrario censent doctrinae revelatae magis conformem esse assertionem: sunt in Deo *tres subsistentiae*, scil. *relativae*.

Quaestio est potius de nomine quam de re; nobis tamen videtur magis conforme esse doctrinae verae dicere: est in Deo *unica subsistentia* eaque *absoluta;* haec assertio videtur etiam magis conformis modo loquendi sancti Thomae.

Objectio contra simplicitatem Dei. *770. Objectio contra simplicitatem Dei solvitur.*

In quo habetur unio plurium distinctorum, in eo habetur compositio. Atqui in natura divina habetur unio trium Personarum. Ergo in Deo habetur compositio.

R. *Dist. Maj.* In quo habetur unio plurium distinctorum *quae se habent ut partes vel quasi-partes,* in eo habetur compositio, *conc.* In quo habetur unio plurium distinctorum *quae nulla ratione se habent ut partes,* in eo habetur compositio, *nego.*

Contrad. min. In natura divina habetur unio trium Personarum *quae se habent ut partes vel quasi-partes, nego;* in natura divina habetur unio trium Personarum *quae nulla ratione sunt partes, conc.*

Sub datis distinctionibus nego consequens.

Explico: Ut habeatur in aliquo *compositio* non sufficit ut in eo sint plura, sed requiritur ut haec plura sint partes vel quasi-partes. Etenim compositio est *unio plurium in unum quod his pluribus constituitur:* inde de ratione compositionis est ut componentia sese mutuo compleant ac perficiant, ut scilicet sint tamquam potentia et actus, consequenter ut unumquodque componens sit minus toto quod ex componentium unione resultat, consequenter ut unumquodque componens sit proprie *pars* vel *quasi-pars* totius. Ubi haec ratio *partis* non invenitur, ibi non habetur compositio: hoc valet de *reali* et etiam de *logica* compositione.

Restat ut inquiramus qua ratione se habeant Personae divinae in divina natura.

1. Si considerantur relationes respectu naturae, *nullam* cum ipsa faciunt *compositionem.*

a) Non datur compositio *realis:* nam relationes realiter identificantur cum ipsa natura divina.

(1) Auctores pro alterutra sententia citatos invenies ap. ILL. JANSSENS, *De Deo Trino*, p. 659, et ap. PÈGUES, *Comm. franç. littér.*, V. II, *De la Trinité*, p. 172.
(2) Quod etiam admittit R. P. PÈGUES, *o. c.*, p. 176.
(3) *De Deo Uno et Trino*, L. II, Thes. XI, coroll., p. 471.
(4) *O. c.* p. 661.
(5) *O. c.* p. 177.

b) Sed nec datur compositio *logica.* Licet enim in divinis substantia et relatio sint formali ratione seu conceptu simpliciter distinctae (1), tamen divina natura et relationes minime considerari possunt ut *partes* vel *quasi-partes.* Etenim natura divina utpote res infinite perfecta nullo modo se habet ad relationes tamquam potentia ad actum, tamquam capacitas perfectionis ad perfectionem; et ipsa relatio ex formali suo conceptu seu « *secundum propriam rationem* dicit *solum respectum ad aliud* » (2), consequenter relatio formaliter considerata nullo modo addit *perfectionem* ipsi naturae divinae, et ideo non habetur compositio logica ex divina natura et relationibus. Ad rem Card. Billot: « Hujusmodi adaequata distinctio relationem inter et substantiam nequaquam in praejudicium divinae simplicitatis existit; idque praecise quia *esse ad* non dicit, ut condivisim ab essentia, realitatem aliquam, sed solum dicit id quod per se praescindit ab ente reali vel rationis, et nonnisi ex identitate cum essentia absoluta in realitatis linea sistere intelligitur: respectum scilicet ad correlativum terminum et contrapositionem. Quo fit ut relatio non sit cassa in Deo, quasi non habens realiter id quod sibi proprium est (distinguere et opponi): sed nec aliunde componat cum essentia per modum comprincipii, etiam secundum solum intellectum » (3).

2. Si vero considerantur relationes *ad invicem,* illae tres relationes oppositae distinguuntur realiter ab invicem, ideoque non dicunt *unionem,* nec compositionem.

ARTICULUS IIus. **De divinis personis comparatis ad essentiam et ad relationes** (4).

771. Ut melius intelligatur qualiter sint Personae, considerandae sunt comparative ad essentiam divinam.

Hucusque probavimus in unico et vero Deo esse realiter duas processiones duosque procedentes, quatuor relationes quarum tres sunt ad invicem oppositae, quae proinde sunt subsistentes incommunicabiliter ideoque formaliter constituunt tres distinctas personas.

Quum omnes illae rationes verificentur seu realizentur in unica essentia, simplicissima ac infinita, in ipso Esse, plures exsurgunt quaestiones circa modum quo in divina essentia sint distinctae personae.

Imprimis quum Verbum procedat secundum operationem intellectus, et Spiritus, secundum operationem voluntatis, inquiritur de *objecto* divinae *intellectionis* secundum quod procedit Verbum et de *objecto* divini *amoris* secundum quod procedit Spiritus.

---

(1) Hîc animadvertes non sufficere *distinctionem rationis* ut habeatur *compositio logica:* plura possunt ratione distingui quae tamen non possunt considerari ut *partes:* tunc non datur compositio. Etiam in Deo ratione distinguuntur essentia et attributa ac attributa inter se: tamen inter haec non habetur compositio logica. Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 212. — Tamen diversus est modus quo ratio *relationis* distinguitur a ratione substantiae et modus quo ab eadem differt ratio scientiae, vel omnipotentiae. Cf. suprà, n. 736,

(2) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXVIII, a. 1.

(3) *O. c.* Epilogus, I, § 2, p. 665.

(4) Non possumus singulas quaestiones explicare, quas habet S. Thomas in sua *Summa* theologiae, I, a Q. XXXI ad Q. XLIII; ideoque non omnino eumdem ordinem sequimur. Nominatim sub titulo hujus nostri articuli, quaedam ponimus quae sub aliis titulis inveniuntur apud S. Thomam.

I. *De objecto secundum quod procedunt Verbum et Spiritus.*

772. *Verbum procedit secundum cognitionem omnium quae a Deo cognoscuntur.*

PROPOSITIO PRIMA. **Verbum procedit a Patre secundum omnem cognitionem divinam quatenus haec terminatur objective et ad ipsum Deum et ad omnes creaturas; — pariter Spiritus Sanctus procedit secundum omnem amorem divinum, quatenus hic terminatur objective et ad ipsum Deum et ad omnes creaturas.**

Haec sententia nobis tenenda videtur, licet non ab omnibus theologis admittatur.

Circa hoc diversae sunt sententiae.

Scotus, *in I Sent.*, dist. XXXII, q. I; *in II Sent.*, dist. I, q. I, a. 2, censet, Verbum procedere secundum cognitionem ipsius essentiae divinae tantum, non autem secundum cognitionem Personarum, nec creaturarum (1).

Vasquez, in I P., disp. 142 et 143, tenet Verbum procedere secundum cognitionem essentiae divinae, et etiam Patris ac Filii, non autem secundum cognitionem Spiritus Sancti, nec ullarum creaturarum.

Suarez, *De Trinitate*, L. IX, c. 4-7, docet Verbum procedere secundum cognitionem et essentiae divinae, et trium Personarum, et omnium creaturarum *ut possibilium* non autem creaturarum existentium qua talium. Hanc sententiam, ut videtur, sequitur Franzelin, *De Deo Trino*, thes., XXIX.

Censemus vero Verbum procedere secundum omnem Dei cognitionem, etiam secundum cognitionem *creaturarum* in qualibet temporis differentia *existentium*, licet contingenter existant. Haec, ut videtur, est doctrina S. Thomae, *Sum. theol.*, I, Q. XXIV, a. 1 ad 3, et a. 3, qualis intelligitur a Ferrariensi, *In Sum. Cont. Gent.*, L. IV, c. 13 (p. 635 s.); card. Billot, *o. c.*, thes XXIII; Illmus Janssens, *o. c.*, p. 508 ss.; Pègues, *o. c.*, p. 325 ss.

773. *Propositio explicatur.*

Ut sententia, in nostra propositione enuntiata, rite intelligatur perpendamus: 1° quoad *processionem Verbi: a*) sicut unica et infinite perfecta est in Deo actio intelligendi, ita unica est processio Verbi, quod est unicum, *b*) sicut divina actio intelligendi diversa quadam ratione *terminatur ad diversa objecta*, ita etiam in unico procedente Verbo, diversa quadam ratione, intelligibiliter repraesentantur diversa objecta.

Ordo inter diversa objecta, ex quorum cognitione procedit unicum Verbum, bene exhibetur a Gonet (2): « Inferes secundo plures esse distinguendas terminationes in intellectione per quam Verbum producitur. Prima est ad essentiam divinam ut ad ejus objectum formale et primarium; secunda ad attributa et relationes, ut ad proprietates vel modos objecti formalis et primarii; tertia ad creaturas possibiles; ultima ad res existentes et futuras. Tres primae *per se* et ex *vi processionis* Verbo divino conveniunt; quarta vero solum *concomitanter* et *veluti per accidens*. Unde si per impossibile aliqua ex tribus tolleretur, Verbum divinum vel omnino destrueretur, vel mutaretur instrinsece; secus vero, si ultima tantum terminatione careret ».

c) Eatenus objecta cognita repraesentantur intelligibiliter in Verbo, quatenus ex illarum cognitione procedit Verbum. Omne enim quod Verbum habet, hoc ex vi processionis suae habet.

---

(1) De illa opinione cf. ILLmus JANSSENS, *o. c.*, p. 497 ss.

(2) *Clypeus*, t. II, *De Trinitate*, disp. IX, n. 95, p. 246. Cf. BILLUART, *De Trinitate*, diss. V, a. 3, p. 546 s.

2° Quoad *processionem Spiritus Sancti:* proportione servata, ut infra explicabitur, sicut Verbum procedit secundum unicam actionem divinam intelligendi, ita Spiritus secundum unicam actionem divinam *amandi,* adeoque procedit *per se* ex amore ipsius Dei, veluti *per accidens* ex amore creaturarum *existentium* (non mere possibilium, ut infrà dicetur).

Circa hoc dicit Gonet (1): « Sicut *cognitio productiva* Verbi, *concomitanter se extendit* ad creaturas existentes et futuras, ita *amor quo Spiritus Sanctus producitur, concomitanter ad illas terminatur.* »

Editores *Summae* (2) « Juxta thomistas Spiritus Sanctus procedit per se ex amore essentiae, attributorum et personarum in Deo; per accidens et concomitanter ex amore creaturarum futurarum, sed nullo modo ex amore possibilium ».

774. Praenotanda.

Demonstratio 1^ae^ partis.

Duo praenotemus oportet. — Primum est quod divina essentia, rationem simul habet et principii intellectivi et speciei intelligibilis, et operationis intellectualis et intentionis intellectae, cum sit ipsa subsistens intelligendi perfectio. Cf. suprà, n. 396.

Alterum est quod Deus, primo et per se, solum seipsum cognoscit; secundario autem cognoscit et alia a se, non quidem in ipsis rebus, sed in seipso, in quantum essentia divina continet similitudinem aliorum ab ipsa. Cf. suprà, n. 350-353, 398. « Hinc, sicut divinum intelligere est, primario quidem, cognitio ipsius Dei unius et trini, secundario vero, cognitio eorum omnium quae secundum infinitos imitabilitatis modos, vel participant vel participare possunt divini esse similitudinem: ita omnino eadem divina essentia prout respondet ei quod apud nos est intentio intellecta, primario quidem intelligibiliter repraesentat quidquid in Deo est et Deus est, videlicet totam Trinitatem; tum secundario, cunctas creaturas, tam existentes quam possibiles, ita ut intelligibilis repraesentatio totius veri creati nihil aliud sit quam necessaria consequentia perfectissimae comprehensionis veri increati » (3).

775. Demonstratio ex simplicitate Dei.

Hisce praesuppositis, hoc est argumentum: si Verbum procedit secundum divinam intellectionem, qualis haec est in se et entitative, procedit etiam secundum cognitionem omnium quae sunt objectum ad quod terminatur divina intellectio, atqui Verbum ita procedit; ergo Verbum procedit secundum intellectionem omnium quae sunt objectum divinae intellectionis.

Antecedens declaratur. Divina intellectio est, secundum se seu entitative, simplicissima, et perficitur unico actu cognoscendi, qui simul terminatur ad omnia objecta ejus; nec ulla est realis successio in cognitione divina ex hoc quod nos ratione distinguimus objectum primarium et objectum secundarium; nec etiam ulla est successio realis in cognitione divina ex hoc quod cognitio creaturarum *existentium,* quà talium, supponit liberam Dei electionem. Si igitur Verbum procedit secundum intellectionem divinam, qualis haec est realiter seu entitative in Deo, oportet ut procedat secundum totam

(1) *O. C.*, disp. X, n. 98, p. 265.
(2) I, Q. 37, a. 2, ad 2, nota 1 editio (NICOLAII, SYLVII, etc.).
(3) Card. BILLOT, *o. c.*, thes. XXIII.

et simplicissimam illam intellectionem, proindeque sit repraesentativum totius veri, omniumque objectorum ad quae intentionaliter terminatur ipsa intellectio divina.

Minor declaratur. Jamvero Verbum procedit secundum intellectionem divinam, qualis haec est una et simplicissima in sua entitate. Etenim ipsa intellectio divina (secundum hoc quod docet Revelatio) realem processionem Verbi exigit; Verbum autem est formalis et intrinsecus terminus actus intelligendi, ergo Verbum est repraesentativum omnium ad quae terminatur realiter ipsa intellectio divina; independenter a qualibet distinctione rationis, quam nos ponimus in Deo circa objecta divinae cognitionis. — Et re quidem vera, Pater in unico Verbo *omnia* cognoscit, etiam existentia, quà talia; haec igitur intelligibiliter repraesentantur in ipso Verbo; ergo procedit Verbum secundum cognitionem omnium quae cognoscit Pater, ergo etiam secundum cognitionem creaturarum existentium, quà talium.

Thesis nostra *confirmatur* asserto S. Thomae: « Pater intelligendo se, et Filium, et Spiritum Sanctum, et omnia alia quae ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas dicatur et omnis creatura » (1).

776. Objectio ex contingentia rerum existentium.

Objectio praecipua contra illam thesim desumitur ex hoc quod cognitio creaturarum in qualibet temporis differentia *existentium* dependet a libero decreto voluntatis divinae. Cf. suprà, n. 404. Unde sic objicitur:

Processio necessaria, cujusmodi est processio Verbi, nequit rationem suî habere in cognitione rerum contingentium; atqui creaturae existentes sunt contingentes; ergo.

R. *Nego Maj.* Processio Verbi nequit habere rationem suî *in cognitione entitative contingenti;* bene tamen in *cognitione entitative necessaria,* quae, quum sit primario de ente necessario, secundario et ex consequenti *terminatur ad res contingentes.* Etenim in essentia divina cognoscit Deus omnia quae cognoscit; porro tum essentia divina, tum divina cognitio, est aeque entitative perfecta, sive existant res, sive non existant; aliis verbis, sive *esse* creaturas, sive *non esse* illas velit Deus. Ergo eadem est necessitas processionis Verbi, sive terminetur cognitio divina ad creaturas existentes, sive non terminetur ad illas, in hypothesi quod non sint. Verumtamen sicut impossibile est ut creaturae existant, quin ad eas, ut existentes, terminetur divina cognitio, ita impossibile est ut cognitio divina terminetur ad illas ut existentes, quin ex notitia illarum ut existentium procedat Verbum Dei (2).

Nec posset Verbum *repraesentare* intentionaliter seu intelligibiliter res existentes, qua tales, si non procederet ex cognitione divina de illis existentibus: nam Verbum nihil aliud est quam terminus intentionalis perfectus operationis cognoscitivae secundum quam procedit.

Ratione processionis Verbi impossibile est ut intentionaliter repraesentet aliquid cujus cognitio esset quasi posterior processioni illius.

(1) *Sum. theol.,* I, Q. XXXIV, a. 1, ad 3. Idem docuerat S. THOMAS, *De veritate,* Q. IV, a. 4.
(2) Ita card. BILLOT, l. c., ibidem videsis alias objectiones.

Demonstratio 2ae partis.

777. *Spiritus Sanctus procedit secundum amorem omnium quae Deus amat.*

Quae in prima parte diximus de processione Verbi, haec applicari debent processioni Spiritus Sancti. Sicut enim Verbum procedit ex cognitione comprehensiva Dei et proinde ex cognitione omnium ad quae terminatur cognitio divina; ita Spiritus Sanctus, cum procedat ex actu unico, simplicissimo ac infinito amoris divini, procedit secundum amorem omnium quae Deus actu amat: ergo secundum amorem ipsius Dei et rerum existentium, quas Deus actu amat.

Non autem procedit Spiritus Sanctus secundum amorem rerum *possibilium,* quà talium: etenim hae sunt quidem amabiles, non autem actu amantur a Deo: cf. suprà, n. 437.

Haec est quaedam differentia inter processionem Spiritus et processionem Verbi, quippe quod procedit per se secundum cognitionem omnium possibilium. « Hoc videlicet discrimen est inter amorem et intellectionem, quod amor *dat,* primum autem quod datur est esse actu seu existere; intellectio vero etiam boni, non dat sed *apprehendit;* non autem oportet ut aliquid sit actu ad hoc ut apprehendatur seu intelligatur etiam tamquam bonum » (1).

777bis. **Objectiones.** 1. Operatio intellectus est, in Deo, distincta ratione ab operatione voluntatis et est ratione prior huic operationi; proinde processio secundum operationem intellectus est prior processione secundum operationem voluntatis, consequenter Filius est prior Spiritu; adeoque in ipso Filio seu Verbo, ut termino operationis intellectus non potest cognosci Spiritus.

Ad hanc *objectionem* respondetur:

licet *operatio* intellectus, in Deo, sit *ratione* distincta ab operatione voluntatis et, *ratione* prior huic operationi, tamen *processio* Filii non est prior processioni Spiritus. Etenim origo Filii seu processio Ejus est relatio subsistens filiationis cui *cointelligitur* relatio opposita paternitatis: adeoque Filius non est posterior Patri; sed paternitas et filiatio subsistentes *intelliguntur* ut spiratio activa subsistens: etenim Pater et Filius, secundum doctrinam revelatam, non intelliguntur nisi ut *spirator* cui relative opponitur Spiritus. Proinde nulla est prioritas rationis inter paternitatem et spirationem activam, nec inter filiationem et spirationem passivam, nec inter processionem Filii et processionem Spiritus.

Quatuor relationes reales, de quibus suprà, sunt aequaliter idem re ac essentia divina: cognitio Dei de sua essentia importat necessario cognitionem quatuor relationum quae sunt ipsa essentia divina; quum autem divina cognitio sit omnino acqualis in Patre, in Filio et in Spiritu, ideo aequaliter omnino et *eodem actu* cognoscunt et Pater et Filius et Spiritus *se ipsum* et etiam *se invicem* cognoscunt.

Idem dicendum de amore divino: nam amor divinus est *realiter* idem ac essentia divina et *realiter* idem ac cognitio divina, praeterea amor Deus suimetipsius est omnino *necessarius* et simul ac cognitio divina.

2. Obj. Spiritus non cognoscitur ante quam est; sed in ipsa conceptione Verbi nondum est Spiritus; ergo non cognoscitur Spiritus in ipso Verbo.

Resp.: Conc. antec.

Nego min. Nam *simul* est processio Spiritus ac conceptio Verbi: Pater enim concipiens Verbum est simul (cum Verbo) spirans Spiritum.

778. *Alia sententia.* Alii rem exponunt modo diverso, quamquam differentia forsitan est in modo loquendi: nempe non admittunt Verbum procedere ex divina cognitione creaturarum ut existentium, nec Spiritum procedere ex divino amore rerum existentium, *ut existentium* (2).

---

(1) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, p. 598.

(2) Quae sequuntur explicant sententiam indicatam ab ILLmo AC REVmo WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. III, p. 597 s.

1° Quoad *processionem Verbi.* Haec quaestio de processione Verbi *cum respectu ad creaturas,* eadem est cum quaestione de divina intellectione creaturarum, secundum verba sancti Thomae, quae suprà n. 775, citavimus. Inde dicunt: sicut Deus intelligit creaturas formaliter ut imitationes suae essentiae, sive in aliqua temporis differentia illae existant, sive non; ita Verbum procedit cum respectu ad creaturas, formaliter ut imitationes divinae essentiae, non vero formaliter ut possibiles, neque ut existentes. Unde caute loquitur sanctus Thomas (1), qui constanter dicit *omnem creaturam,* nequaquam vero creaturam ut possibilem nec ut existentem: et addit respectum ad creaturam importari in Verbo et in Amore procedente quasi secundario [et quasi radicaliter] in quantum *veritas et bonitas* DIVINA *est principium intelligendi et amandi omnem creaturam.* Porro, sicut in intellectione divina nihil immutatur sive existant sive non existant creaturae (cf. suprà, n. 404[bis]) (sed eas intelligit Deus non in ipsis sed in essentia sua, quamquam ut sunt in se ipsis existentibus vel non), ita Verbum procedit cum respectu ad creaturas, sive hae existant, sive non.

Unde dici non debet Verbum procedere cum respectu ad creaturas *ut possibiles,* nec ad eas *ut existentes,* neque etiam dici debet Verbum procedere per *visionem* creaturarum existentium, quia terminus contingens existentiae nihil efficit nec refert ad scientiam divinam, nec ad aeternam immutabilemque processionem Verbi, quaemadmodum in lumine illuminante nihil immutatur eo quod contingat aliquod objectum illuminari vel non.

2° Quoad *processionem Spiritus Sancti.* Spiritus non procedit nisi per dilectionem essentiae divinae divinarumque Personarum, boni nempe divini necessario seu naturaliter amati; et essentiae quidem etiam ut imitabilis ad extra, nequaquam vero imitationum ejus sive possibilium (2), sive existentium. Processio Spiritus Sancti est ex intrinseca perfectione naturalis Deo et amor naturalis *sui divini* boni est in Deo *radix* amoris liberi quo amat creaturas, seu liberae terminationis divini amoris ad creaturas existentes.

Unde cum dicit Sanctus Thomas Deum *nos* amare *in Spiritu Sancto,* omnino id intelligendum est de respectu quasi *secundario* seu *radicali* ad creaturas, quatenus Deus amando suam essentiam ut imitabilem, inclinatur ad communicanda bona, quorum primum est existentia. Hoc sensu, quando ex libera Dei dilectione existimus, merito dicimur diligi in Spiritu Sancto, scilicet tamquam *in radice* amoris divini *liberi;* nequaquam vero quasi Spiritus Sanctus procederet *per dilectionem etiam creaturarum.*

779. De S. Thomae mente.

Propositio nostra, n. 772 exposita, quoad utramque partem, compendio videtur declarari hisce S. Thomae verbis: « Pater non solum Filium, sed etiam et nos diligit Spiritu Sancto [quibus verbis asseritur Spiritum Sanctum procedere secundum amorem etiam existentium creaturarum, quum Pater Filium *et nos* diligat *Spiritu Sancto*]; quia... diligere, prout notionaliter dicitur, non solum importat productionem divinae personae, sed etiam personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Unde sicut Pater dicit se et omnem creaturam Verbo quod genuit, inquantum Verbum genitum sufficienter repraesentat omnem creaturam [ergo Verbum *repraesentando* Patrem et omnem creaturam, etiam existentem]; ita diligit se et omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primae secundum quam Pater amat se et omnem creaturam ».

« Et sic etiam patet quod respectus importatur ad creaturam et in Verbo et in Amore procedente *quasi secundario;* in quantum scilicet veritas et bonitas divina est principium intelligendi et amandi omnem creaturam » (3).

Ergo in ipso Verbo *procedente* et in Spiritu *procedente* importatur *respectus* ad creaturam omnem; sed *quasi secundario:* quia objectum *primarium* divinae cognitionis et amoris est solus Deus, *secundarium* vero omnis creatura (cf. suprà,

(1) *Sum theol.,* I, Q. XXXIV, a. 1, ad 3, Q. XXXVII, a. 2, ad 3.

(2) Spiritum Sanctum non procedere secundum amorem *possibilium,* ut talium, diximus suprà, n. 777.

(3) *Sum. theol.,* I, Q. XXXVII, a. 2 ad 3.

n. 350-353, 453). Quod sanctus Thomas intelligit Verbum procedere secundum cognitionem et Spiritum secundum amorem creaturarum *existentium*, hoc constat quia dicit: *a*) sicut Pater *dicit* se et *omnem* creaturam Verbo ita *diligit* se et *omnem* creaturam Spiritu: non potest restringi illa universalis assertio ac si sanctus Thomas intendisset tantum *possibilem* creaturam, excludendo realem; eo vel magis quod Pater non diligit Spiritu sancto creaturas mere possibiles, ut suprà, n. 777, diximus; *b*) Pater non solum Filium, sed etiam *nos* diligit Spiritu Sancto: *nos* significat homines actu existentes.

II. *De operatione communi ad extra.*

780. Tres Personae divinae sunt una numerice causa creaturarum.

PROPOSITIO SECUNDA. **Pater, Filius, Spiritus Sanctus non sunt tria principia creaturae, sed unum principium.**

Haec assertio est *de fide* et explicite definita fuit in concilio Florentino (1). Illius porro veritas clare innotescit consideranti quomodo Personae se habeant ad divinam essentiam et jam a Patribus explicite exprimitur.

Ita S. Athanasius, *Epist. I ad Serapionem*, n. 28: « Itaque Trinitas sancta et perfecta est, quae in Patre et Filio et Spiritu Sancto agnoscitur, nihilque alienum vel extrinsecus admixtum habet, neque ex creatore et re creata constat, sed tota creandi et efficiendi vi praedita est; sibi quoque similis et individua in natura, *unaque ejus est efficacia et actio*. Nam Pater per Verbum in Spiritu Sancto omnia facit, eoque modo sanctae Trinitatis unitas servatur ».

S. Gregorius Nyss., *Epist. ad Ablabium* P. G., t. XLV, col. 125: « Omnis operatio divinitus ad creaturam perveniens et secundum varios conceptus nominata, ex Patre oritur et per Filium progreditur et in Spiritu Sancto perficitur. In multitudinem operantium nomen operationis non dividitur ». Eadem doctrina ap. S. Augustinum, *De Trinitate*, L. V, c. 13, n. 14. — Quia operari, sicut esse, habet Filius a Patre, necnon Spiritus a Patre Filioque, ideo Pater ad extra operatur *per* Filium et *in* Spiritu. « Hinc etiam Filius passim brachium vel manus dicitur Patris, Spiritus autem digitus Filii » (2).

Demonstratio.

Si actio creativa formaliter ad ipsam essentiam divinam, non autem ad relationes pertinet, Personae sunt unicum principium creationis et creaturae; atqui actio creativa est talis; ergo.

Antecedens declaratur. Si datur aliqua perfectio cujus formalis ratio ingreditur formalem rationem essentiae divinae, nempe ipsius Esse subsistentis, quum haec unica essentia sit omnino communis tribus Personis, sequitur quod illa perfectio est aequaliter uniuscujusque Personae. Porro si illa perfectio est virtus operativa aut operatio, ea est pariter in tribus Personis; consequenter tres Personae sunt unum principium operans quia, entitative, unica est operatio illarum, aequalis omnino in singulis; tribus proinde Personis eadem numerice causalitas convenit et Personae sunt una numerice causa (3).

Minor declaratur. Actio creativa est actio formaliter immanens et virtualiter transiens; est nempe Dei *volitio* absoluta et libera, qua vult existere extra se res finitas. Jamvero omnis volitio est perfectio absoluta, est enim

(1) *Decr. pro Jacobitis, Enchir.*, n. 704.
(2) HURTER, *Theol. dogm. comp.*, t. II, n. 191.
(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXXII, a. 1; Q. XXXVI, a. 4 ad 7.

perfectio volentis, qua talis. Ergo actio creativa formaliter ad essentiam divinam pertinet; non autem ad relationem, qua talem, quia haec de sua formali ratione dicit tantum esse *ad aliquid* (1).

III. *De actibus notionalibus.*

781. *Actus notionales, qui dicunt actiones quibus notae fiunt nobis personae,*

PROPOSITIO TERTIA. **Personis divinis sunt attribuendi actus notionales, qui actus sunt formaliter ipsae personarum relationes, sed ab his differunt quoad modum significandi** (2).

Praenotandum. Suprà, n. 707, exposuimus cur processio Filii sit proprie dicta generatio; cur autem processio Spiritus non sit generatio, sed emanatio rei amatae in amante, adeoque vocetur spiratio passiva.

Porro hîc inquiritur utrum et cur attribuenda sit Patri generatio activa, seu actio generandi, necnon Patri et Filio spiratio activa seu actio spirandi.

Quum autem hoc necesse sit, quemadmodum statim apparebit, et quidem praecise ut nobis *innotescant* seu *notae* fiant ipsae *origines* Personarum in Deo, ideo illi actus vocantur **notionales.**

Demonstratio 1ae partis.

782. *sunt attribuendi Personis,*

Filius realiter procedit a Patre, eaque processio est proprie dicta generatio, passive accepta. Ut autem *origo* Filii a Patre nobis innotescat et a nobis rite concipiatur et exprimatur, oportet ut generatio, active sumpta, attribuatur Patri, et ut dicatur: Pater *generat* Filium, similiter dicendum est: Pater et Filius *spirant* Spiritum. « Origo enim non innotescit per ipsum suppositum originans nec per proprietatem aut relationem in eo permanentem, sed per actionem ejus productivam, cui respondet fieri hypostasis procedentis. Ergo etsi in divinis, origines re non differant a Personis quae originant et quae procedunt, imo vero nihil omnino ponant praeter proprietates relativas, debuerunt tamen per modum actuum significari, puta per nomina verbalia: *gignere* et *gigni*, *spirare* et *spirari* » (3).

Demonstratio 2ae partis.

783. *sed realiter nihil aliud sunt quam relationes.*

In Deo non nisi duo praedicamenta sunt quorum formales rationes simpliciter distinguuntur, scilicet *substantia,* nempe ipsum Esse subsistens, et *relatio.* Operari, in Deo, idem est ac esse, quapropter intelligere et velle ad essentiam divinam pertinent, adeoque communia sunt tribus Personis (cf. suprà, n. 345, 429, 780). Quum autem generatio, active sumpta, sit solius Patris, oportet ut generatio sit realiter idem ac Pater, nempe subsistens paternitas. Quum spiratio activa sit tantum Patris et Filii, oportet ut spiratio activa realiter sit idem ac Pater et Filius, nempe subsistens relatio spiratoris. Ergo actus notionales sunt realiter idem ac relationes

(1) Quum omnis operatio Dei *ad extra* sit entitative volitio divina, cui praelucet cognitio et cujus efficacia est in potentia, quumque omnis scientia divina, omnisque volitio omnisque potentia ad essentiam divinam pertineant, adeoque sint omnino aequaliter in tribus personis, ideo omnis Dei operatio *ad extra* aequaliter est trium Personarum.

(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XLI, a. 1; *Compendium theologiae*, c. 65.

(3) Card. BILLOT, *o. c.*, thes. XXXVII, p. 621.

Personarum, idem ac propietates personales. Sed differunt quoad modum significandi, quum generatio, active sumpta, significet proprie actionem productivam Filii; paternitas vero constitutivum Personae Patris. Cf. supra, n. 762 s.

784. *Nota.* 1° Ex dictis intelligitur cur divinum intelligere et velle non sint actus *notionales;* cur essentia divina nec *generet,* nec *spiret;* cur generatio et spiratio activa, non sint realiter *actiones* quae *efficiunt* Filium et Spiritum, et cur ille dicatur *genitus, non factus,* hic *non factus,* sed *procedens.* Communicatio enim naturae ad intra in Deo nihil aliud ponit quam ordinem unius relativi subsistentis ad correlativum subsistentem (1).

2° Ex dictis intelligitur *ideo* Personis divinis attribui *actus notionales quia* hoc requiritur ut nobis *innotescat* origo Filii a Patre et origo Spiritus Sancti a Patre ac a Filio. Id quod est *notionale,* reduplicative qua tale, est dependens ab intellectu nostro, est ens rationis, non est ens reale, existens a parte rei independenter ab intellectu cogitante. Inde in ipso Deo non habetur *formaliter* ipsa *actio generandi,* sed ut recte concipiamus generationem Filii a Patre, oportet ut Patri tribuamus actionem generandi: haec porro *materialiter* est in Deo, quatenus in Deo verificatur, sed omnino aliter ac in creaturis, id quod dicitur actio generandi.

Inde « ex hoc quod ponuntur actus notionales in divinis consequens fuit ut poneretur etiam *potentia activa* respectu hujusmodi actuum. Haec autem potentia, tam in Patre quam in Spiratore, significat in recto essentiam absolutam et in obliquo relationem » (2).

3° Ex modo dictis clarius hoc rursus elucet quod processiones in Deo sunt omnino *neccessariae,* tam necessariae quam ipsa Dei essentia, quacum identificantur (cf. suprà, n. 719). Inde etiam patet actus notionales esse necessarios; quapropter dicendum esse: Pater necessario, necessitate naturae, generat Filium; Pater et Filius necessario, necessitate naturae, spirant Spiritum.

Quidam Patres dixerunt: « Pater voluntate genuit Filium » non tamen loquebantur de voluntate libera, libertate electionis, sed de voluntate *naturali,* quae et quatenus opponitur coactioni. Quod eo sensu loquebatur S. Hilarius videsis ap. Rasneur, *Revue d'hist. ecclés.,* t. IV, p. 420 ss.

S. Thomas, *De Potentia,* Q. II, a. 3, explicat quod Filius non procedat a voluntate, tamquam a principio, quum procedat ab intellectu; sed Pater vult generationem Verbi *voluntate concomitante,* quae respicit generationem sicut objectum, non sicut id cujus sit principium. *Ibid.,* ad 12.

IV. *De notionibus et de proprietatibus.*

785. *Notio est id quod est nobis propria ratio cognoscendi Personam.*

PROPOSITIO QUARTA. **Rite recensentur quinque notiones et quatuor proprietates.**

Demonstratio.

1° Suprà exposuimus id quod intelligendum est per *actus notionales;* cum his non confundendae sunt *notiones,* cujus nominis significatio latius patet. **Notio** dicitur id quod est nobis « propria ratio cognoscendi personam » (3).

Ad hoc ut aliquid dicatur notio Personae, oportet in primis ut sit aliquid

(1) Card. BILLOT, *l. c.,* ubi apodictice demonstratur *generationem* in Deo non posse esse formaliter *actionem,* quia actio *influit esse* in terminum et *efficit* illum.
(2) ID., *o. c.,* thes. XXXVIII, p. 624.
(3) S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXXII, a. 3.

non commune tribus, adeoque pertineat ad relationes originis, cum praeter has omnia sint communia in divinis. « Oportet praeterea ut sit pertinens ad dignitatem, idque non solum quoad se, sed etiam secundum nostrum modum intelligendi. Et ratio hujus posterioris conditionis est quia persona est nomen dignitatis... et ideo necesse est ut ideam dignitatis *nobis* ingerat id quod *nobis* est ratio personam cognoscendi » (1).

Sunt quinque notiones.

Secundum haec, inveniuntur in Patre notiones tres: *a*) *innascibilitas,* qua notificatur Patrem esse *absque principio, non ab alio, a nullo.* « Et quamvis haec nota consistat in mera negatione, apprehenditur tamen a nobis per modum alicujus ad magnam dignitatem pertinentis, utpote conjuncta apud nos cum intellectu auctoritatis » (2). *b*) *Paternitas,* qua Pater est principium Filii; *c*) *spiratio activa,* qua est principium Spiritus.

In Filio sunt notiones duae: *a*) *filiatio,* qua est ab alio, *b*) *spiratio activa,* qua est principium Spiritus. Haec spiratio activa est communis Patri et Filio, adeoque Pater et Filius relative opponuntur Spiritui ac distinguuntur ab eo.

In Spiritu una est notio: *processio,* qua ab alio est, nempe a Spiratore, qui est Pater et Filius.

Sunt igitur quinque notiones.

786. Proprietas, sensu stricto, est ratio distinctiva quae uni Personae convenit.

2° **Proprietas,** in materia SS. Trinitatis, sensu stricto, dicitur *ratio distinctiva* quae *uni tantum ex Personis convenit.*

Sunt autem *quatuor* proprietates: *innascibilitas* et *paternitas,* quae soli Patri conveniunt; *filiatio,* quae soli Filio; *processio* seu spiratio passiva, quae soli Spiritui.

Sic numerantur quatuor proprietates.

« Datur autem aliqua differentia inter innascibilitatem et alias proprietates. Paternitas, filiatio, spiratio passiva singulae singulas personas *constituunt* [cf. suprà, n. 762] et ideo vocantur proprietates *personales;* innascibilitas nec in quantum negat processionem, nec in quantum insinuat τὸ esse principium duarum aliarum personarum, personam primam constituit, et ideo vocatur *proprietas personae.*

« Nonnunquam vox proprietas in sensu latiori adhibetur pro omni quod tribus personis commune non est. Et ita etiam spiratio activa est proprietas, non personalis nec personae, sed duarum personarum, Patris scil. et Filii » (3).

787. Compendium doctrinae numeris expressum.

Scholion I. *Compendium doctrinae numeris expressum.*

In Deo sunt *una* natura seu essentia, *duae* processiones, *tres* personae (et tres proprietates personales), *quatuor* relationes, *quinque* notiones (4).

Sunt etiam quatuor *proprietates,* et ex his tres proprietates *personales.*

(1) Card. BILLOT, *o. c.*, thes., XVIII.
(2) ID., *l. c.*
(3) VAN NOORT, *De Deo uno et trino,* n. 219.
(4) Cf. S. BONAVENTURA, *Breviloquium,* P. I, c. 3, *Opera omnia,* t. V, p. 211 s. Hic textus citatur in *Collat. Brug.,* t. IV, p. 410 s.

788. *Mysterium SS. Trinitatis consistit proprie in hoc quod in Deo sunt quatuor reales relationes,*

Scholion II. *In quo proprie consistat mysterium SS. Trinitatis.*

1° Mysterium SS. Trinitatis consistit proprie et, ut sic dicam, essentialiter, in hoc quod in unica essentia divina sunt *realiter quatuor relationes,* quarum duae sunt secundum operationem intelligendi et duae secundum operationem volendi.

Realis relatio Dei cognoscentis se (et in se alia) ad Deum cognitum, necnon *realis relatio Dei cogniti* (et in Deo cognito aliorum cognitorum) ad Deum cognoscentem, sunt ad invicem oppositae, proindeque *realiter* ab invicem *distinctae:* quum realiter identificentur cum essentia divina, sunt *subsistentes;* adeoque in divina essentia sunt duo distincte subsistentes natura intellectuali et consequenter *personae.* Persona, quae constituitur relatione hujus *qui est ab altero* secundum operationem intelligendi est *Verbum,* adeoque est procedens et haec processio est origo unius ab altero; jamvero origo unius personae ab alia persona secundum operationum intelligendi est formaliter *generatio.* Quapropter persona quae ita procedit est proprie *Filius,* et persona (quae constituitur relatione hujus *a quo est alter* secundum operationem intelligendi) a qua procedit Filius est proprie *Pater.*

Realis relatio Dei amantis se (et in se alia) ad Deum amatum necnon *realis relatio Dei amati* (et in Deo amato aliarum rerum amatarum) ad Deum amantem sunt oppositae ad invicem, proindeque *realiter distinctae,* adeoque subsistentes. Persona quae constituitur relatione hujus *qui est ab altero* secundum operationem volendi dicitur *Spiritus,* ejusque processio dicitur spiratio passiva (quae non est generatio).

Sed relatio Dei amantis se (relatio hujus *a quo est alter* secundum operationem volendi) non est opposita duabus relationibus quae sunt secundum operationem intelligendi, consequenter non realiter distinguitur ab eis, sed realiter cum eis identificatur; adeoque Pater et Filius sunt unus spirator a quo procedit Spiritus Sanctus (cf. suprà, n. 746).

Ita sunt in Deo *tres Personae.*

789. *hoc perspecto non perit ratio mysterii,*

2° *Mysterium,* proprie et stricte dictum, est veritas quae naturali lumine rationis nequit detegi et cujus intrinseca ratio, etiam post revelationem veritatis illius, non potest cognosci a nobis. Infrà exponemus mysterium SS. Trinitatis non posse naturaliter inveniri. Hîc notamus non posse a nobis cognosci intrinsecam illius veritatis rationem etiam post illius revelationem. Et re quidem vera, quum revelante Deo credamus tres esse Personas divinas, non possumus scire *cur hoc sit, cur essentia divina subsistat in tribus Personis;* praeterea quum, post explicationem datam perspiciamus praecise ideo esse tres Personas divinas, quia in ipsa essentia divina sunt realiter quatuor relationes originis, tamen nullo modo intelligimus *cur* in ipsa essentia divina sint *realiter* illae relationes, nulla nobis apparet necessaria connexio inter ipsum Esse per se subsistens et identificationem in ipso realium relationum.

3° Ex expositione seu explicatione mysterii, quam secundum scientiam theologicam tradidimus, non perit ratio mysterii, ut diximus. Inde hoc persuasum habeamus quod theologi catholici, quando intendunt mysterium revelatum exponere, vel enucleare, vel explicare, non agunt contra rationem mysterii, sed conantur imprimis acquirere sibi aliisque communicare *distinctam notionem ipsius mysterii,* nempe determinare id in quo praecise consistit mysterium, ut consequenter rite concipiant id quod revelavit Deus et id quod credendum est, etiam ut connexionem unius mysterii cum aliis apprehendant, ut illa stabiliant contra objectiones, ut eruant logice conclusiones, ut tandem *scientiam* theologicam constituant (cf. suprà, n. 3 ss.).

790. sed distincta ejus notitia habetur.

Scholion III. *Circa analogiam sermonis nostri de SS. Trinitate.*

791. Termini quibus utimur in exponendo mysterio sunt analogici.

Non otiosum videtur animadvertere iterum quod *termini,* quos adhibemus loquendo de SS. Trinitate, non nisi ANALOGICE dicuntur de Deo et de creaturis, quod proinde notiones, illis terminis correspondentes in intellectu nostro, sunt analogae, non autem propriae.

Quapropter ea quae, secundum catholicam doctrinam, dicimus esse in Deo, sunt *realiter* in ipso, sed *aliter ac si essent in creaturis:* inde analogia. V. gr. in Deo est *realiter* generatio (cf. suprà, n. 707) et formalis ejus ratio perfecte verificatur: sed *aliter* ac in creaturis. In his enim est origo viventis ab alio vivente per actionem propria dictam, quae, in generante, est accidens, realiter distinctum ab illo, et qua actione generans communicat suam naturam genito. In Deo, generatio nihil aliud est quam relatio subsistens (secundum operationem intellectus) quae ponit correlativam relationem subsistentem.

Inde actio generandi non est formaliter in Deo, sed materialiter tantum; recte autem attribuitur Patri et sic est actus notionalis (cf. suprà, n. 781).

792. Perfectio divinae essentiae melius cognoscitur ex dogmate SS. Trinitatis.

Scholion IV. *De essentia divina acquiritur perfectior cognitio ex dogmate SS. Trinitatis.*

Ex revelato dogmate SS. Trinitatis intimiorem acquirimus cognitionem de infinita perfectione Dei: de ejus *unitate,* qua in unica simplicissima et infinita essentia sunt tamen tres distinctae Personae; de *scientia* et *veritate,* quae terminatur ad reale Verbum; de *sanctitate* et *benignitate,* quae terminatur ad realem Spiritum; de *pulchritudine,* quae elucet in diversorum perfecta ad invicem unione; de *beatitudine,* quae completa habetur ex mutuo amore Personarum amantium se et societate illarum in possessione Summi Boni (1).

Connexio perfectionum divinae essentiae cum Personis est fundamentum *appropriationis,* de qua infrà agetur, ubi de modo loquendi.

(1) Illa fusius exposita vide apud ILLmum AC REVmum WAFFELAERT, in *Collat. Brug.,* t. IV, p. 133 ss., *Méditations théologiques,* t. I, p. 281 ss., *Goddelijke Beschouwingen,* bl. 346 vv: Legatur etiam S. BONAVENTURA, in opusculo *De mysterio SS. Trinitatis,* Q. II ss. (*Opera omnia,* t. V, p. 59 ss.) ubi exponit fuse qua ratione attributa praecipua essentiae divinae, ut unitas, simplicitas, etc. stent simul eum trinitate Personarum.

ARTICULUS III^us. **De divinis Personis comparatis ad invicem.**

I. *De earumdem aequalitate.*

793. Personas divinas esse aequales est fidei dogma;

PROPOSITIO PRIMA. **Divinae Personae sunt omnino aequales in perfectione; nec inter illas est admittenda prioritas aut posterioritas.**

Propositio est *de fide,* quoad utramque partem. Exprimitur in symbolo dicto a S. Athanasio his verbis: « Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales » (1).

794. aequalitatis notio exponitur;

Demonstratio 1^ae partis.

Praenotandum. I. *Aequalitas* proprie dicitur de quantitate proprie dicta, scilicet de *extensione corporali,* quae dicitur quantitas *molis.* Sed sicut quantitas metaphorice dicitur de perfectione essentiae et virtutis operativae, ita etiam aequalitas.

Seposita igitur aequalitate molis, de qua in immaterialibus et maxime in divinis, sermo esse nequit, unice consideramus *aequalitatem perfectionis.* Patet porro aequalitatem supponere *distinctionem* eorum quae dicuntur aequalia.

2. Aequalia autem in perfectione dicuntur ea quae ita perfectionem in se habent ut in nullo eorum perfectio sit major aut minor quam in alio. Nam « aequale dicitur per negationem majoris et minoris », ait S. Thomas (2).

Aequalitas est *absoluta,* quando quidquid perfectionis inest pluribus, aequaliter omnino in singulis invenitur; aequalitas vero est *relativa,* quando haec habetur tantum respectu alicujus perfectionis partialis et specialis: haec verificaretur, v. gr., si duo homines eodem gradu gratiae sanctificantis donarentur. — Quando agitur de divinis Personis, sermo est de aequalitate omnino *absoluta.*

Hisce praesuppositis, ita proponitur

795. aequalitas Personarum demonstratur.

Argumentum: tres divinae Personae habent unam eamdemque naturam divinam, quae est infinite perfecta: ergo sunt absolute aequales in perfectione.

Antecedens constat ex dictis (cf. suprà, n. 760) et bene exprimitur in symbolo nuncupato a S. Athanasio: « Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas » (3). *Consequentia* patet: si enim singulae Personae subsistunt eadem numero natura et si haec est infinita in perfectione, singulae Personae sunt aequaliter et infinite perfectae, sunt nempe infinite sapientes, sanctae, potentes, immensae, etc.; etiam, quoad opera *ad extra,* sunt aeque creantes, conservantes, gubernantes, etc.

---

(1) *Enchir.,* n. 39.
(2) *Sum. theol.,* I, Q. XLII, a. 1.
(3) *Enchir.,* n. 39.

Demonstratio 2ae partis.

Praenotandum. Triplex distinguitur *prioritas* et consequens posterioritas, scilicet *durationis* vel *temporis, naturae* et *rationis* vel secundum intellectum. *796. Prioritatis notio exponitur;*

Prioritas *durationis* habetur, quando unum ens existit tempore aut aevo (cf. suprà, n. 243) *ante* aliud.

Prioritas *naturae* habetur, quando aliquid est, in ordine *ontologico,* faciens ut aliquid aliud sit: haec est prioritas causae relate ad effectum.

Prioritas *rationis* habetur, quando aliquid in ordine *logico* est necessario ratio in qua cognita, cognoscitur aliud. Ita essentia divina est a Deo *ratione prius* cognita quam res creabiles. Cf. suprà, n. 353, 398.

Argumentum, quo probatur nullam esse prioritatem inter Personas divinas, desumitur ex ipsa notione Personarum. *797. non esse prioritatem inter Personas divinas demonstratur.*

Non datur inter illas prioritas *durationis:* nam singulae sunt ipse Deus et proinde aeternae seu *coaeternae.*

Nec datur prioritas *naturae:* nam nulla est *causa* alterius: non enim datur in Deo processio operationis, sed tantum processio secundum operationem et per modum operati; tandem procedens non est effectus, sed solùm subsistens *relatio hujus qui ab altero* est. Cf. suprà, n. 762.

Nec ulla datur prioritas *rationis:* etenim nulla necessario *prae*-intelligitur alii: quum enim nihil aliud sunt quam subsistentes *relationes* originis inter se oppositae, ideo sunt correlativae: relativa autem sunt simul non solum natura sed etiam intellectu (1). « Non enim intelligitur Pater nisi Pater Filii, nec Filius nisi Patris; nec intelligitur Pater et Filius, nisi principium spirans Spiritum sanctum, nec Spiritus sanctus nisi procedens a Patre et Filio: re quidem vera, non est nec intelligitur Pater, nisi communicans Filio omnes perfectiones et rationes formales, sola excepta ratione formali Patris et Filii, adeoque Filius habet a Patre communicatam naturam divinam etiam sub ratione formali spirationis activae, adeoque tam intelliguntur vere Pater et Filius principium spirans Spiritum sanctum quam intelliguntur vere Pater et Filius, nec porro intelligi possunt Pater et Filius ut vis spiratrix nisi simul intelligatur Spiritus procedens (2) ».

« Non est sensus hujus doctrinae quod nihil possimus aut debeamus per prius et posterius intelligere in divinis Personis: ratione scilicet habita limitationis intellectus nostri qui non nisi partialibus et analogicis conceptibus utcumque assurgit ad divina capienda. Sed sensus est nihil esse prius aut posterius, etiam secundum intellectum quantum est *ex merito et conditione objecti* » (3). *797bis.*

Dum asserimus processionem Amoris *praesupponere* processionem Verbi, nihil aliud intelligimus quam *ordinem originis* unius ab alio, quatenus videlicet *principium* processionis Amoris debet esse uterque terminus processionis quae est secundum operationem *intellectus.* Quare *praesuppositio* non est nisi in modo nostro intelligendi: nam aliunde Spirator non est posterior Patre et Filio sed idem

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XLII, a. 3; card. BILLOT, *o. c.,* thes. XL, ibique videsis solutas quasdam objectiones.

(2) ILLS AC REVS WAFFELAERT, *Medit. theol.,* in *Collat. Brug.,* t. III, p. 602.

(3) Card. BILLOT, *o. c.,* thes. XL, ad 1um, p. 637. Cf. PÈGUES, *Comm. franç. littér. de la Somme théol., De la Trinité,* p. 549.

cum utroque, Spiritus Sanctus vero, utpote Spiratori correlativus, omnibus modis est simul cum Spiratore, seu cum Patre et Filio a quibus procedit.

798. Nota circa modum loquendi.

Nota. S. Thomas (1) recte dicit: « [in divinis] esse ordinem secundum originem absque prioritate. Et hic vocatur *ordo naturae*, secundum Augustinum (*Lib. cont. Maxim.*, cap. 4) non quo alter sit prius altero sed quo alter est ab altero ».

Suarez, *De Trinitate*, L. IV, c. 15, n. 6, post Scotum, admittit inter divinas Personas *prioritatem originis;* licet, ut ait, haec sit quaestio de nomine, in qua immorari non est necesse, tamen tenemus nullam afferri solidam rationem cur recedatur a modo loquendi adhibito in symbolo (cf. suprà, n. 792) et ab explicatione tradita a sancto Thoma.

Quidam auctores admittunt quamdam prioritatem *a quo*, nullam prioritatem *in quo*. Per prioritatem *a quo* nihil aliud intelligunt quam hoc quod una Persona, puta Verbum, est *ab altera*, quum haec non sit ab illa. Ad rem Franzelin, *De Deo trino*, thes. XIX, p. 414: « Sed quod *prius* et *posterius* in divinis originibus dicimus, unice est in eo quod relativum B, puta Verbum, necessitate intrinseca aeternaliter est et existit a relativo A, scilicet ab intellectione paterna ex sua necessaria intrinseca natura exprimente Verbum, et non vicissim relativum A est a relativo B, quae prioritas *a quo* appellari solet... Est igitur (si ita loqui fas est) relativorum *simultaneitas in quo* et solius ad alterum *prioritas a quo* ». — Talis modus loquendi non videtur retinendus: nam non est necessarius, nec est omnino accuratus: licet enim Verbum sit *a Patre*, tamen Pater *non* est *prior* Verbo: quum enim Pater et Filius constituantur formaliter solis relationibus, et quum hae relationes sint omnino *simul* et duratione et natura, et etiam intellectu, non est admittenda ulla *prioritas*. Dicamus igitur cum sancto Thoma: in Personis divinis est ordo originis, *absque prioritate*.

799. Ultima ratio aequalitatis Personarum est in hoc quod sunt relationes subsistentes.

Ulterior explicatio.

Licet omnes catholici confiteantur tres Personas divinas esse omnino aequales in perfectione, tamen non omnino conveniunt in assignanda ultima ratione illius aequalitatis.

Tenemus hanc rationem esse in hoc quod *relationes*, secundum propriam et formalem rationem suî, nihil aliud ponunt quam *esse ad alterum*, et consequenter *non sunt perfectiones*, praecise quia ipsae, ex propria et formali ratione, non ponunt aliquid absolutum, nec subjectum, nec aliquid modificans subjectum, nec ex formali ratione τοῦ *esse ad* ponunt id quo sunt reales (cf. suprà, n. 737) (2).

Hoc posito, facile intelligitur cur Personae divinae sint omnino aequales in perfectione: etenim paternitas, filiatio, spiratio passiva, ex sese, nullam dicunt perfectionem et proinde nullam in perfectione differentiam ponunt: ex altera parte, paternitas, filiatio, spiratio passiva subsistunt eadem et unica essentia divina, quae est infinita in perfectione: ergo Pater, Filius, Spiritus Sanctus solà essentià divinà sunt perfecti, illa perfectio est infinita, estque omnino aequaliter in tribus.

E contrario, si paternitas, de propria sui ratione, diceret et poneret aliquam perfectionem, jam impossibile foret ut Pater esset omnino aequalis Filio in perfectione, quum Filius certissime non haberet hanc perfectionem quae formaliter importatur paternitate.

---

(1) L. c.
(2) Cf. FERRARIENSIS, in *Sum. contr. Gent.*, L. IV, c. 11 (p. 631).

800. Dijudicatur quaedam opinio Suarezii

Quapropter rejicienda est sententia quam defendit Suarez, *De Trinitate,* L. III, c. IX, n. 15 (p. 606): « Relatio divina, verbi gratia, Paternitas, ex proprio conceptu dicit realem perfectionem, seu bonitatem transcendentalem » (1). In hac sententia confusio fit inter formalem rationem *relationis* et formalem rationem *rei absolutae* seu perfectionis.

Iterum consideremus divinas relationes eatenus esse reales quatenus identificantur cum ipso Esse subsistente; *ex sese* nec realitates sunt, nec perfectiones. Proinde non est admittenda *perfectio relativa.*

et quaedam opinio Franzelin.

Quidam auctores, ut Franzelin, *De Deo trino,* thes. XV, proximam rationem aequalitatis Personarum inveniunt in *circuminsessione,* quatenus scilicet singulae Personae perfectionem relativam, qua constituuntur habeant *formaliter;* perfectiones vero relativas aliarum Personarum non habeant formaliter, h. e. ut constituentes, sed *per immanentiam* seu correlative ut immanentes et pertinentes ad perfectionem uniuscujusque Personae; hinc unaquaeque Persona, non solum est infinite perfecta ratione divinae essentiae, sed etiam in plenitudine suae perfectionis relativae habet perfectiones relativas aliarum Personarum modo singulis Personis convenienti. — Haec sententia non est admittenda: 1°) quia fundatur in notione *perfectionis relativae;* 2°) quia non plene servat, ut videtur, distinctionem realem relationum oppositarum: licet enim Pater sit in Filio, non tamen paternitas est filiatio, nec paternitas continet in se filiationem. Remanet nobis respondendum difficultati, quam solvemus secundum principia quibus adhaeremus.

801. Objectio praecipua contra aequalitatem Personarum exponitur et solvitur.

Objectio. Paternitas est perfectio; atqui Paternitas (quae inest Patri) deest Filio; ergo Filio deest aliqua perfectio quae inest Patri; ergo Filius non est aequalis in perfectione cum Patre.

R. *Dist. Maj.* Paternitas, sensu *reduplicativo formali,* h. e. sumpta *formaliter et praecisive,* prout est ipse respectus ad Filium, *nego;* Paternitas, sensu *identico,* h. e. sumpta pro eo quo est *realis* seu pro identitate cum essentia divina, *conc.*

Contrad. min. Paternitas sensu *reduplicativo formali,* h. e., sumpta *formaliter et praecisive... conc.;* Paternitas, sensu *identico,* h. e. sumpta pro eo in quo est realis, *nego.*

Sub datis distinctionibus, negatur consequentia et utrumque consequens.

Explicatur. Paternitas, secundum formalem ac propriam rationem sui generis, et sumpta praecisive ab essentia divina, est mera relatio, mere *esse ad;* secundum hoc non est perfectio, nec realitas; secundum hoc etiam est *constitutiva* Patris et non est in Filio. Sed Paternitas, considerata ut identificata cum essentia divina, a qua habet ut sit *realis,* est eadem perfectio ac ipsa divina essentia, est proinde infinita perfectio; porro haec numero eadem perfectio est etiam in Filio; consequenter tota Patris perfectio est omnino eadem ac perfectio Filii. Adeoque eadem est essentia et perfectio in Patre ac in Filio, sed in Patre est sub relatione paternitatis, in Filio sub relatione filiationis.

Unde in proposita objectione mutatur *quid* in *ad aliquid,* uti dicit S. Thomas (2); seu confunditur *relatio* cum *absoluto* et ex negatione

---

(1) SUAREZ, *o. c.,* L. III, c. 10, n. 4 (p. 608 ss.), quum distinguat in Deo perfectiones absolutas et perfectiones relativas, inde etiam distinguit perfectiones *simpliciter simplices* et perfectiones *simplices,* sed non simpliciter simplices. Priores sunt perfectiones absolutae, posteriores vero, relativae. Quum, uti suprà diximus, non sit admittenda perfectio relativa, ruit penitus fundamentum praedictae distinctionis.

(2) *Sum. theol.,* I, Q. XLII, a. 4, ad 2.

relationis infertur negatio absoluti, quatenus ex negatione paternitatis infertur negatio perfectionis.

Per modum conclusionis advertamus iterum atque iterum logicam expositionem dogmatis SS. Trinitatis totam niti in adaequata rationis distinctione inter *essentiam* divinam et *relationes* (cf. suprà, n. 738) et perpendamus assertum sancti Thomae (1): « In divinis Personis nihil est considerandum nisi essentiam in qua communicant; et relationes quibus distinguuntur. Aequalitas autem utrumque importat: scilicet distinctionem Personarum, quia nihil sibi ipsi dicitur aequale; et unitatem essentiae, quia ex hoc Personae sunt sibi invicem aequales, quia sunt unius magnitudinis [h. e. perfectionis] et essentiae » (2).

802. Nota circa modum loquendi quorumdam Patrum: S. Bas.;

Nota. S. Basilius, *Adv. Eunomium*, L. III, c. 1-3, P. G., t. XXIX, col. 654 ss., dicit quod sicut Filius ordine quidem a Patre secundus est et etiam dignitate, non autem natura, ita et Spiritus Sanctus est tum ordine tum dignitate secundus a Filio, non tamen natura. Sanctus Basilius propugnat aequalitatem naturae trium Personarum, quatenus tres sunt ejusdem divinitatis; sed concedere videtur Patrem esse majorem Filio quia hujus est principium, necnon Filium esse majorem Spiritu propter eamdem rationem. Sanctus Basilius igitur trium Personarum aequalitatem naturae, nempe divinitatis, propugnat, nec, ut videtur, asserit in una Persona esse proprie dictam superioritatem moralem respectu alius, sed tantum prioritatem asserit quae in ratione principii continetur respectu principiati. Attamen, uti suprà, n. 797 s., exposuimus, quum, in divinis, principium constituatur formaliter et unice *relatione*, non est agnoscenda prioritas, sed ordo, principii relate ad principiatum.

803. De textu « Pater major me est »,

Quidam Patres textum, qui habetur apud Joannem XIV, 28 « Pater major me est », interpretantur de divinitate Christi et censent Filium, quà Deum, esse minorem Patre (3). Quidam Patres antiquiores, licet Filii divinitatem veram et essentiae divinae unicitatem agnoverint, non tamen notionem omnino distinctam de aequalitate Personarum habuerunt et alicui subordinationismo adhaeserunt (cf. suprà, n. 663). Sed alii affirmantes Patrem esse majorem Filio, ratione divinitatis, nihil aliud intendere videntur quam ordinem originis et naturae qui inter Personas existit, eo sensu quo nos dicimus: Pater est *prima* Persona, Filius *secunda*, Spiritus, *tertia:* sic intelligimus ordinem communicatae naturae divinae tribus.

S. Hilar.

Ita, v. gr., S. Hilarius, *Tract. in Psalmum CXXXVIII*, n. 17 postquam asseruit aequalitatem naturae et virtutis inter Filium et Patrem, sic pergit: « Est enim Pater major Filio, sed ut pater filio; generatione, non genere: filius enim est, et ex eo exivit. Et licet paternae nuncupationis proprietas differat, tamen natura non differt: natus enim a Deo Deus non dissimilis est a gignente substantia. Non potest ergo ad eum ex quo est exaequari. Nam quamvis alter in altero per uniformem ac similem ejusdem naturae gloriam maneat; tamen ex quo genitus est non exaequari in eo videtur posse quod genuit ». Haec est sententia Hilarii: licet Filius sit in Patre et sit ejusdem cum eo naturae et gloriae, tamen non dicitur aequalis Patri, quia *genitus est ab illo*.

---

(1) L. c., a. 1, ad 4.

(2) In creatis, nempe in hominibus, paternitas dicit imprimis ipsam *relationem* patris ad filium: haec est relatio realis quae, secundum sententiam cui adhaeremus, est realiter distincta a fundamento, scilicet ab actione generandi, et etiam a substantia; est proinde relatio physica, *inhaerens* patri, estque accidens *physicum*. Porro, in creatis, pater est vere *causa* filii et hic est *effectus* patris, ab eoque dependet in essendo, etiam illo indiget ut conservetur et ut ad suam perfectionem ducatur. Quum autem pater sit persona, nempe hypostasis *rationalis* naturae, ideo consequenter ad actum generationis, acquirit pater quoddam jus et dominium (etiam officium) in filium, adeoque quamdam *dignitatem* seu excellentiam ordinis *moralis*, ratione cujus debetur ei a filio reverentia et obsequium. Inde pater est vere superior seu major filio. — Sed in divinis, Pater non est *causa* Filii, nec hic est *effectus* Patris, nec ab illo proprie dependet, nec illo indiget ut perficiatur, sed est omnino aequalis Patri in perfectione, quia existit eadem numerice essentia ac Pater. Quapropter paternitas divina non affert Patri dominium in Filium nec ullam moralem superioritatem in Filium.

(3) Cf. PETAVIUS, *De Trinitate*, L. II, c. 2.

II. *De circuminsessione Personarum divinarum.*

PROPOSITIO SECUNDA. **Singulae Personae invicem inexistunt una in aliis.**

804. Circuminsessio est fide tenenda,

Haec propositio est *de fide,* fuitque definita in Concilio Florentino, in decreto pro Jacobitis: « Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto; Filius totus est in Patre, totus in Spiritu Sancto; Spiritus Sanctus totus est in Patre, totus in Filio » (1).

Demonstratio.

805. demonstratur A) ex S. Scriptura,

A. EX S. SCRIPTURA. Supposito quod S. Scriptura doceat esse in unico Deo tres, scilicet Patrem, Filium, Spiritum Sanctum (cf. suprà, n. 641 ss.), constat etiam in illa exprimi hanc specialem unionem, quam vocamus *circuminsessionem,* et quae est perfecta Personarum divinarum in se invicem immanentia seu inexistentia.

Etenim Christus dicit: « Ego in Patre et Pater in me est » *Jo.* X, 38, XIV, 10 (cf. suprà, n. 636). Joannes de Verbo quod est *apud Deum* dicit quod est *in sinu Patris.* Jo. I, 2, 18. Paulus loquens de Spiritu Sancto dicit, *1 Cor.* II, 11: « Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei »; hîc subintelligitur Spiritus Dei qui in Deo est, proinde Spiritus qui est in Patre et in Filio.

806. B) ex Traditione:

B. EX TRADITIONE.

Patres qui mysterium SS. Trinitatis magis excoluerunt, explicite docent inexistentiam Personarum in se invicem.

S. Athan.,

S. Athanasius, *Contra Arianos,* orat. III, 3, P. G., t. XXVI, col. 328, interpretatur verba Christi: *Ego in Patre et Pater in me est:* « Filius enim in Patre est quantum licet intelligere, quia totum, quod est Filius, [h. e. totum τὸ esse Filii] hoc naturae Patris proprium est, eo modo quo ex luce splendor et ex fonte fluvius exoritur, adeo ut, qui Filium videt, id quod proprium est Patris videat, intelligatque Filium idcirco in Patre esse, quia ex Patre habet ut sit; et vicissim Patrem in Filio esse, quia Filius est id quod proprium est ex Patre, sicut sol est in splendore, mens in verbo, et fons in fluvio. Ita enim, qui Filium contemplatur, id quod naturae Patris proprium est simul contemplatur Patremque in Filio esse intelligit. Nam cum forma et divinitas Patris hoc ipsum sit quod est Filius, omnino sequitur ut Filius sit in Patre et Pater in filio. Quocirca cum antea dixisset: *Ego et Pater unum sumus,* hic recte ait: *Ego in Patre et Pater in me est,* ut scilicet eamdem amborum divinitatem unamque naturam esse doceret ». Igitur ex unitate divinae essentiae explicat S. Athanasius inexistentiam Personarum in invicem.

S. Hilar., S. Phoeb., Mar. Vict.,

Eamdem sententiam exponunt S. Hilarius, *De Trinitate,* L. II, n. 20, L. VII, n. 39-41; S. Phoebadius episc. Aginnensis, *Liber contra Arianos,* n. 22, P. L., t. XX, col. 30; Marius Victorinus, *Adversus Arium,* L. II, n. I, L. IV, n. XXXIII, P. L., t. VIII, col. 1088, 1137.

S. Cyril. Alex.,

Etiam ex unicitate divinae essentiae explicat inexistentiam Personarum in invicem S. Cyrillus Alex., *De sancta et consubstantiali Trinitate dialogi,* VII, P. G., t. LXXV, col. 1092: « Suprema natura simplex et non composita est, dilatata quidem per hypostaseon proprietates et personarum ac nominum differentias et iens in sanctam Trinitatem, attamen, per naturae unitatem et perfectam ac omnimodam identitatem, concurrens in unum, quod Deus nominatur et est; ita ut in unoquoque tota natura

(1) *Enchir.,* n. 704.

intelligatur, una cum ejus proprietate, nimirum hypostatica. Manet igitur unumquodque id quod est, illa etiam possidens in propria natura per naturalem cum aliis unitatem. Est enim Pater in Filio et in Spiritu Sancto, similiter et Filius et Spiritus in Patre et uterque in altero ».

S. Fulgent., Citandus est etiam S. Fulgentius († 533), qui, in libro *De fide,* ad *Petrum,* c. 1, n. 4, P. L., t. LXV, col. 673 praeclare scribit: « Quia in illo uno vero Deo Trinitate, non solum quod unus Deus est, sed etiam quod Trinitas est, naturaliter verum est, propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est, et in una natura unus est. Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio et in Spiritu Sancto est, et totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est, totusque Spiritus Sanctus in Patre et Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate ».

S. Jo. Damasc. Tandem S. Joannes Damascenus († circ. 754), *De fide orthodoxa,* L. I, c. 8, P. G., t. XCIV, col. 830, unitatem divinae essentiae simul ac distinctionem trium Personarum, necnon earum ad invicem commeationem accurate exprimit his verbis: « Unum quippe Deum cognoscimus; in solis proprietatibus paternitatis, filiationis et processionis... distinctionem intelligimus. Neque enim distantiam secundum locum, ut apud nos, in deitate, quae circumscriptionem omnem excludit, admittere licet: sunt enim personae aliae in aliis; non ut inter se confundantur, sed ut cohaereant, juxta eam Domini sententiam: *Ego in Patre et Pater in me est;* nec voluntatis aut sententiae aut efficacitatis aut potentiae aut alterius cujusdam rei, quae realem ac omnimodam in nobis distinctionem gignat, discrimen ullum... Indivisa enim in divisis, ut rem breviter enuntiem, divinitas est; ac velut in tribus solibus sibi invicem cohaerentibus et nulla loci intercapedine disjunctis una lucis temperatio atque conjunctio ».

807.

C. EX RATIONE THEOLOGICA.

C) ex ratione theologica: nempe ex communitate ejusdem essentiae divinae.

Personae divinae realiter quidem ab invicem distinguuntur, sed subsistunt singulae unicà essentià, a qua omnem realitatem et perfectionem habent: igitur existunt aliae in aliis, quum existant unico *esse.*

Ad rem S. Thomas: « Secundum essentiam Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia et communicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur quod, cum essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater. Et similiter, cum Filius sit sua essentia, sequitur quod sit in Patre, in quo est ejus essentia... Et eadem ratio est de Spiritu Sancto » (1).

808. Objectio solvitur.

Objectio. Pater constituitur formaliter paternitate et Filius, filiatione; sed paternitas non est in filiatione et filiatio non est in paternitate; ergo Pater non est in Filio, et vice versa.

R. *Conc. Maj.* cf. suprà, n. 762.

Dist. min. Paternitas sumpta *formaliter* et *praecisive* non est in filiatione sumpta *formaliter* et *praecisive, conc.;* paternitas, sumpta prout *realis* est non est in filiatione prout haec *realis* est, *nego.*

Sub data distinctione negatur consequentia et consequens.

Explicatur. Circuminsessionis notio non tollit notionem distinctionis Personarum: ergo bene tenendum est Personas esse realiter distinctas, et hoc quidem propter oppositionem relationum quibus constituuntur.

---

(1) *Sum. theol.,* I, Q. XLII, a. 5.

Jamvero Pater est subsistens paternitas: haec eatenus est *realis* quatenus identificatur cum ipsa essentia divina; paternitas nullatenus est extra illam essentiam, nec est inhaerens ei, sed tota est realiter divina essentia et ideo est subsistens. Porro *per idem subsistere* est realis etiam filiatio. Ergo sicut tota paternitas est realis tota essentia divina et tota filiatio est realis tota eadem essentia, ita totus Pater est in Filio et totus Filius est in Patre. Paternitas autem et Filiatio *formaliter et praecisive* sunt ad invicem oppositae et proinde realiter ab invicem distinctae.

Ulterior explicatio.

809. Circuminsessionis ratio pripria est praecipue communitas essentiae divinae, sed completive est oppositio relativa Personarum,

1° Exposuimus quomodo Personae in se invicem insint et immaneant *secundum communitatem ejusdem essentiae:* haec est ratio fundamentalis et omnino praecipua circuminsessionis.

Sanctus Thomas, l. c., duas alias adjungit rationes, quibus magis completa acquiritur notio circuminsessionis. Nempe una persona est in alia secundum *relationis intellectum.* Nam in relative oppositis, unum oppositorum nequit intelligi non cointellecto correlativo, et vice versa. Ergo secundum intellectum, correlativae personae divinae sibi invicem mutuo immanent. Haec inseparabilitatis ratio indicatur in Concilio Toletano XI: « Tres ergo illas unius et inseparabilis naturae personas, sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus praedicamus. Quandoquidem ita nobis hoc dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere, ut etiam in his nominibus quibus voluit singillatim personas agnosci, unam sine altera non permittat intelligi: nec enim Pater absque Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis personas separari vetat, quas etiam, dum non simul nominat, simul insinuat » (1).

tum origo secundum operationes immanentes.

Tandem tertia ratio est secundum rationem *originis.* « Nam divinae personae originantur secundum actus intellectus et voluntatis. Sed id quod procedit secundum operationes intellectus et voluntatis, non est aliquid extra, sed immanens principio suo (2) ». Ita verbum intelligibile manet in intelligente seu in dicente illud. Hanc rationem circuminsessionis exponunt S. Ambrosius, *De Spiritu Sancto,* L. III, c. 1, P. L., t. XVI, col. 710; S. Cyrillus Alex., *De Sancta et consubstantiali Trinitate dial.* II, P. G., t. LXXV, col. 769.

810. Non admittenda Suarezii opinio tenentis immensitatem esse rationem propriam circuminsessionis.

2° Non admittenda est opinio proposita a Suarez, *De Trinitate,* L. IV, c. 16, n. 11 ss. (p. 651), qua censet secundam et propriam rationem circuminsessionis esse in *praesentia* divinarum Personarum ad invicem. Illa praesentia non est sola identitas in natura, sed consequitur ad *immensitatem,* qua personae sunt intime in se praesentes etiam secundum proprias relationes.

Sed contra est quod divina *immensitas* est ea perfectio vi cujus *a*) nullus sit possibilis locus, nullum possibile spatium, quin illis praesens sit Deus, si existant, et *b*) praesentialitas divina semper excedat omnes assignabiles spatii dimensiones (cf. suprà, n. 222). Igitur immensitas adsignificat necessariam praesentialitatem Dei ad omnia *loca* possibilia, ergo ad res finitas, creabiles, ergo ad res *extra Deum;* nullo modo explicat praesentiam divinarum Personarum ad invicem, quippe quae constituuntur relationibus *in ipsa essentia divina* realibus. Immanentia Personarum ad invicem *in sola natura divina* habetur et est extra omnem rationem praesentiae divinae in rebus creabilibus (3). — Si praeter circuminsessionem, de qua locuti sumus, consideratur praesentia Personarum, qua se mutuo cognoscunt et amant, adeoque in mutua societate vivunt, haec praesentia habetur ex ipsa essentia divina, a qua singulae Personae habent omne cognoscere et omne amare. Cf. suprà, n. 795.

---

(1) *Enchir.*, n. 281.
(2) Card. BILLOT, *o. c.*, thes. XLI, p. 641.
(3) Plura de hoc videsis apud FRANZELIN, *De Deo trino,* thes. XIV, p. 225 ss.

Articulus IV^us^. **De personis divinis comparatis ad missiones earum ad creaturas.**

811. Personas divinas nempe Filium et Spiritum Sanctum mitti, demonstratur ex S. Scriptura.

Propositio. **Fide constat a Patre mitti Filium et Spiritum Sanctum; etiam a Filio mitti Spiritum.**

Demonstratio ex S. Scriptura.

a) Christus sic loquitur: « Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, *qui misit illum* ». Jo., V, 21-23.

« Sicut *misit me* vivens *Pater* et ego vivo propter Patrem » *Jo.* VI, 58. « Jesus autem clamavit et dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui *misit me*. Et qui videt me, videt eum, qui *misit me* », *Jo.* XII, 44 s. Hîc agitur de unitate consubstantiali Filii cum Patre et proinde de missione Filii, subsistentis in natura divina: quemadmodum constat ex *Jo.* XIV, 9-11, ubi Christus de divina sua natura loquens dicit etiam: « qui videt me videt et Patrem [*ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα*] ».

Paulus etiam dicit *Gal.*, IV, 4: « At ubi venit plenitudo temporis, *misit Deus* [h. e. Pater] *Filium suum,* factum ex muliere ».

Hisce manifestum est *a Patre mitti Filium.*

b) Etiam *Spiritus Sanctus mittitur a Patre:* « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, *quem mittet Pater* in nomine meo, ille vos docebit omnia » *Jo.*, XIV, 26.

c) Tandem etiam *a Filio mittitur Spiritus Sanctus:* « Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis... ille testimonium perhibebit de me ». *Jo.*, XV, 26.

812. Notio illius missionis elucidenda:

Explicatio dogmatis.

Quum a Deo revelatum sit mitti Personas divinas ad creaturas, nempe ad homines, inquirendum est quid realiter sit illa missio. Sumentes igitur notionem *missionis,* qualis significatur sensu obvio et communiter accepto illius vocabuli, quaerimus qua in re verificetur illa notio applicata divinis Personis.

813. missio, generice sumpta, importat habitudinem missi ad mittentem, a quo mittitur,

I. Notio **missionis.**

1° Missio, active sumpta, est actio mittendi. Missio, passive sumpta, est processio unius ab alio ad aliquem terminum in quo incipit esse.

« In ratione missionis duo importantur: quorum unum est habitudo missi ad eum *a quo* mittitur; aliud est habitudo missi ad eum *ad quem* mittitur.

« Per hoc autem quod aliquis mittitur ostenditur *processio* quaedam missi *a mittente:* vel secundum imperium, sicut dominus mittit servum; vel

secundum consilium, ut si consiliarius mittere dicatur regem ad bellandum; vel secundum originem, ut si dicatur quod flos emittitur ab arbore (1).

et ad personam ad quam mittitur.

« Ostenditur etiam habitudo *ad terminum ad quem* mittitur, ut aliquo modo *ibi esse incipiat:* vel quia prius ibi *omnino non erat* quo mittitur, vel quia incipit ibi *aliquo modo* esse *quo* prius non erat » (2).

Missio igitur duo importat: primo, processionem missi a mittente, deinde, inceptionem essendi in aliquo loco ad extra, saltem novo aliquo modo quo ibi antea non erat ille qui mittitur. Requiritur praeterea ut hoc secundum sequatur ex primo, quatenus missus habeat ex ipsa processione a mittente, quod alicubi incipiat esse vel novo modo esse.

814. Divina missio importat originem unius Personae ab alia,

2° Cum de missione divinarum Personarum agatur, oportet ut a notione missionis removeatur omnis imperfectio, quippe quae divinae Personae attribui nequit, et ut stabiliatur id in quo complete et simpliciter realis fiat praedicta notio.

a) Quoad habitudinem missi *ad mittentem* nequit una Persona divina mitti ab alia secundum imperium, vel consilium: talis enim missio importaret veram dependentiam et inferioritatem unius erga aliam, quod repugnat perfectae aequalitati Personarum (cf. suprà, n. 790 ss). Restat igitur ut habitudo Personae missae ad mittentem sit *origo* seu *processio* unius ab alia.

et operationem qua incipit novo modo praesens esse in persona creata.

b) Habitudo missi *ad terminum ad quem* importat quod missus ibi incipiat esse vel ibi *novo modo* esse incipiat. Inde missio fit ad terminum jam *praeexistentem;* praeterea quum *persona* mittitur, missio necessario fit *ad aliam personam* et quidem praeexistentem. Quapropter missio divina non potest importare quod Deus incipiat esse in persona in qua simpliciter non erat; sed importat quod Deus incipiat *novo modo* inesse personae, cui jam inexistebat alio modo nempe ut creans, conservans et gubernans.

c) Eatenus autem potest divina persona incipere esse *novo modo* in aliqua persona seu creatura rationali, quatenus in illa *effectum novum* producit: *novum,* dicitur ad significandum effectum qui est *alterius ordinis* ac sunt effectus illi quos Deus ut Creator efficit in creaturis. Et sane, Deus, et proinde unaquaeque Persona divina (cf. suprà, n. 779) operatur *ad extra* in omni ente creato et ratione illius operationis, non aliter, est unicuique rei praesens seu inexistens (cf. suprà, n. 213-214). Quando proinde Deus in personis producit illos effectus, quos ut Creator efficit in omnibus creaturis intellectu praeditis (3), nunquam incipit Deus *novo modo* inesse illis et non

(1) Quoad hoc exemplum, non sufficit cogitare mere egressionem floris ab arbore sed etiam inceptionem essendi floris in loco ubi prius non erat. Etiam notemus cum card. BILLOT, *o. c.*, Q. XLIII, p. 641: « ex hoc quod filius in humanis a patre ortus est, non ideo dici potest a patre missus quocumque vadit, et ubicumque de novo est; quod enim incipiat esse hic vel illic, in causa non est origo. E contra, qui Romae degens a pluribus abhinc annis, nunc primum fieret legatus sui Gubernii apud S. Sedem, vere diceretur Romam missus a Principe, quia hujus novi modi quo prius Romae non erat, causa et ratio esset mandatum Principis atque imperium ».

(2) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XLIII, a. 1.

(3) Deus, qua Creator, omnibus creaturis, etiam personis, inest quatenus facit illas esse, illasque conservat in essendo, illasque toties movet ad operandum quoties illae incipiunt agere. Videsis VANDER MEERSCH, *De divina gratia* n. 262 ss. Operatione autem qua Deus physice praemovet creaturas, etiam personas, ad operandum, non fit *missio* divinae Personae: quia illa

verificatur ratio propria *missionis*. Igitur illa nova Dei praesentia, quae requiritur ad propriam rationem *missionis*, importat divinam operationem per quam creatura novo modo conjungitur ad Deum et specialem ad divinam hypostasim consequitur habitudinem.

Ex dictis *missio* divina definiri potest: *processio unius Personae divinae ab alia, cum operatione qua Persona missa novo modo inexistere incipit personae creatae.*

815. Divina missio distinguitur in visibilem et invisibilem.

3° Divina missio alia est *visibilis*, alia *invisibilis*.

Visibilis est missio, quando divina Persona missa incipit esse novo modo apud homines *visibiliter*, nempe per aliquid externum visu perceptibile. Ita Filius, homo factus, visibiliter missus est ad homines et habitavit inter illos; ita Spiritus Sanctus visibiliter, sub forma externa ignearum linguarum, missus est ad Apostolos.

Invisibilis autem est missio quae fit intus in anima absque signis exterioribus, quoties Persona divina incipit novo modo (h. e. per gratiam, ut infrà explicabitur), inesse animae.

816. Pater non potest mitti, Filius mittitur a Patre; Spiritus Sanctus a Patre et Filio.

II. Circa Divinam missionem varia statuenda sunt asserta.

Assertum 1um. *Pater non potest mitti; Filius mittitur a Patre; Spiritus Sanctus a Patre et Filio.*

Etenim licet *esse novo modo* in nobis vel apud nos convenire possit unicuique Personae divinae, tamen esse novo modo in nobis *ratione processionis ab alia* (quod in ratione missionis clauditur) non potest convenire nisi Personae quae procedit ab alia: ergo missio (sc. *passive* accepta, ut patet ex definitione data) non convenit Patri. Convenit autem Filio et Spiritui Sancto quorum uterque ab originante habet communicatam operationem, vi cujus incipit novo modo inesse personae creatae. Quapropter, quum Filius habeat a Patre omnem suam naturam omnemque operationem *ad extra*, ideo convenit Filio mitti a Patre. Quum Spiritus habeat a Patre et Filio omnem naturam suam omnemque operationem *ad extra*, ideo Spiritui convenit mitti a Patre Filioque. Ex dictis intelligitur cur Spiritus non possit *mittere* aliam Personam.

Bene notemus illam operationem *ad extra* vi cujus creatura mutationem patitur, et, in casu, novo modo conjungitur Deo, esse communem tribus Personis: illa autem operatio est in solo Patre ut a nullo accepta, in Filio autem est ut data per originem a Patre, in Spiritu ut data per originem a Patre Filioque (1).

817. Divina missio est temporalis.

Nota. 1° Missio divina est *temporalis*, non aeterna.

Quum missio in suo conceptu importet *effectum in creatura*, ideo missio est *temporalis*, licet aeterna sit processio unius Personae ab alia. « Mittitur

---

operatione, et effectu qui ab illo immediate producitur in creatura, Persona divina non incipit, proprie loquendo, *novo modo* inesse personae creatae: illa enim operatione habetur inexistentia Dei, quae in ordine praesentiae divinae *communis est omni creaturae et requisita ab omni natura creata:* per illam igitur operationem Deus *non fit alio seu novo modo* praesens personae creatae.

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XLIII, a. 4; *Sum. cont. Gent.*, L. IV, c. 23.

enim aliquid ad hoc ut sit in aliquo et datur ad hoc ut habeatur. Personam autem divinam haberi ab aliqua creatura, vel esse novo modo existendi in ea, est quoddam temporale » (1).

818. Non fit missio Filii ad humanam naturam ab ipso assumptam.

2° *Non fit missio Filii ad humanam naturam ab ipso assumptam:* nam missio non fit nisi ad subsistentem, qui supposito differt ab illo qui mittitur; humana autem natura Christi non est ipsa suppositum vel persona, sed hypostatice seu in unitate hypostaseos unitur Verbo (2). *Nec missio fit Spiritus Sancti ad columbam aut ad igneas linguas,* sub quibus specialiter manifestatus est, quia illae non sunt personae.

Sed Filius factus homo missus est visibiliter ad homines; etiam ad homines visibiliter missus est Spiritus sub forma columbae et linguarum ignearum. Inde Christus, qua homo, *visibiliter;* qua autem Deus, *invisibiliter* mittitur.

Etiam ad Christum i. e. ad Filium Dei prout subsistentem in natura humana, facta est *invisibilis* missio Spiritus Sancti per plenitudinem gratiae sanctificantis, qua ipsa assumpta humanitas fuit ornata consequenter ad sui unionem cum Verbo (3). Igitur « ad Christum... facta fuit *invisibilis* missio *in principio suae conceptionis,* nec autem postea; cum a principio suae conceptionis fuerit plenus omni sapientia et gratia » (4).

819. Missio differt ab apparitione, datione, adventu.

3° *Missio* differt ab *apparitione, datione, adventu.*

Missio enim non solum importat praesentiam *novam* divinae Personae in creata persona, sed etiam processionem Personae missae a mittente. Quod ultimum non important apparitio, datio, adventus: hinc est quod tres Personae possunt *apparere* visibiliter, *venire* invisibiliter in animam, uti dicitur *Jo.,* XIV: « Si quis diligit me... Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ». Non solum Filius et Spiritus, sicut mitti ita et dari possunt a Patre; sed ipse Pater potest *se dare,* seu a seipso dari.

820. Omnis missio divina pertinet ad ordinem supernaturalem.

Assertum 2um. *Omnis missio divinae Personae pertinet ad ordinem supernaturalem.*

Haec est communis theologorum doctrina (5), quae nititur tum modo loquendi S. Scripturae, tum ratione theologica: etenim per operationem divinam qua producuntur *naturales* effectus, Deus quidem inest creaturis (et potest *secundum quid* incipere inesse personae, quando, v. gr., illam praemovet ad primam illius operationem); sed illa divina praesentia est communis et debita omni creaturae qua tali.

Igitur secundum hoc, Persona divina non simpliciter et proprie *incipit*

---

(1) Cf. S. THOMAS, *l. c.,* a. 2. — Simili argumento ostenditur cur *creatio* sit temporalis. Cf. suprà, n. 236, 322.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XVII, p. 20, 96, 173, 240.

(3) Ita card. BILLLOT, *o. c.,* thes. XLII, § 3, p. 648 s.

(4) S.THOMAS, *Sum. Theol.* I, Q. XLIII, a. 6, ad 3.

(5) Cf. SUAREZ, *De Trinitate,* L. XII c. 4, n. 2 ss. (p. 802 s.).

esse novo modo in *persona;* consequenter secundum operationem ordinis naturalis non verificatur ratio propria missionis divinae.

821. Invisibilis missio ad singulas personas fit secundum gratiam sanctificantem et per inhabitationem Dei.

Assertum 3um. *Missio invisibilis Filii et Spiritus Sancti non fit nisi secundum donum gratiae sanctificantis.*

Haec est communis theologorum doctrina (1).

Demonstratio in hoc consistit ut ostendatur missionem divinam non *proprie* et *perfecte* verificari nisi in infusione et in augmento gratiae sanctificantis in anima. Quapropter thesis demonstranda potest sic exprimi: « Ad eos omnes et solos qui de novo vel participant gratiam habitualem, vel quoddam ejus augmentum accipiunt, fit missio invisibilis Filii et Spiritus Sancti » (2). Quod probatur sequenti argumento.

Ad eos omnes et solos fit missio invisibilis, apud quos divinae Personae procedentes incipiunt novo modo esse invisibiliter; atqui ii sunt omnes et soli qui de novo participant gratiam sanctificantem; ergo ad eos omnes et solos fit invisibilis missio Filii et Spiritus Sancti.

Major constat ex antea dictis de notione missionis: sed hoc probe considera quod Persona divina tunc proprie mittitur ad creatam personam, quando illa *ipsa* incipit novo modo praesens esse in creatura intellectuali et quando *ipsa* (non tantum effectus quidam ejus) habetur a creatura intellectuali.

Minor declaratur: non nisi duo sunt assignabiles modi, secundum quos Deus invisibiliter inest personae creatae: unus est ille quo Deus *bona a se distincta* communicat, quatenus ipsam naturam finitam et dona illi convenientia producit, quo scilicet Deus creaturae adest ut causa essendi, permanendi in existentia et operandi (3); alter modus est ille quo Deus communicat *semetipsum,* ut *objectum amicabilis cognitionis et amoris* (4). Divisio illa est adaequata: fit enim per membra immediate opposita: etenim Deus potest *formaliter* bona communicare *ad extra,* quibus, diverso in gradu, divina bonitas ontologica (cf. suprà, n. 268) diffunditur in entibus finitis, in illis vero omnibus inest Deus ut prima causa efficiens et primus motor (cf. suprà, n. 58); sed potest Deus (ut ex Revelatione novimus) *formaliter semetipsum prouti est in semetipso* communicare creaturae intellectuali, qua tali, adeoque fieri objectum cognitionis et amoris, quales sunt inter amicos, qui mutuo sibi communicant *propria bona* et secundum haec sese amant mutuo.

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XLIII, a. 3; SUAREZ, l. c., c. 5, n. 7 ss. (p. 809 ss.); GONET, *Clypeus,* t. II, *De Trinitate,* disp. XIII, a. 2 (p. 296); BILLUART, *De Trinitate,* dissert. VI, a. 4, p. 575; FRANZELIN, *De Deo trino,* thes. XLIII; card. BILLOT, *o. c.,* thes. XLII; ILLmus JANSSENS, *De Deo trino,* p. 822 ss.; VAN NOORT, *De Deo uno et trino,* n. 229; PÈGUES, *Comment. franc. littér.,* t. II, *De la Trinité,* p. 573 ss.

(2) Ita card. BILLOT, *o. c.,* thes. XLII, p. 644 ss.

(3) Haec est naturalis inexistentia Dei, quae dicitur per *essentiam,* per *praesentiam,* per *potentiam:* cf. suprà, n. 213, 218.

(4) In ordine mere naturali etiam fit Deus praesens creaturae intellectuali quatenus haec cognoscit et amat Deum; sed illa praesentia quae consequitur ad cognitionem ex mera analogia creaturarum habitam, remanet in ordine inexistentiae communis quae competit Deo tamquam creatori et gubernatori omnium rerum.

Jamvero secundum primum modum inexistentiae divinae non fit missio, uti suprà diximus; missio ergo fit secundum alterum modum: secundum hunc fit Deus novo et speciali modo praesens in persona creata.

Hic porro novus divinae praesentiae modus obtinetur complete visione intuitiva Dei (de qua cf. suprà, n. 292 ss.), et amore illi correspondente; inchoative vero per gratiam sanctificantem et virtutes theologicas: nam *per gratiam sanctificantem* fit essentia animae radicaliter capax visionis intuitivae (1); per *fidem* cognoscitur Deus secundum quod ipse per revelationem manifestavit nobis semetipsum prouti est in seipso; per *spem* erigitur anima ad desiderandum bonum arduum, assequendum cum auxilio Dei, nempe ipsum Deum intuitive cognoscendum; per *charitatem* habetur ipsa amicitia personae creatae ad Deum (2). Illa est praesentia divina, secundum quam Deus novo modo inest personae creatae et ab illa habetur.

Illa autem praesentia divina obtinetur imprimis quum infunditur gratia sanctificans cum virtutibus theologicis annexis; in eodem autem ordine, toties fit Deus animae praesens seu ad animam venit, quoties augentur gratia sanctificans et illae virtutes connexae.

Notemus proinde donum justificationis non solo dono gratiae creatae et inhaerentis constare, sed et potissimum dono gratiae increatae et inhabitantis, quae est ipse Deus unus et trinus sese fruendum dans creaturae (3).

Et quando in anima augetur gratia creata, scilicet gratia sanctificans (cum habitibus connexis) tunc etiam augetur illa praesentia Dei quae est *inhabitatio* Ejus in anima justi.

Ubi autem non habetur gratia sanctificans et charitas illi connexa, ibi non habetur possessio Dei et *inhabitatio* ejus in persona, adeoque ibi non verificatur propria ratio missionis. Haec est conclusio S. Thomae, quam ita exprimit l. c. « Quia [supernaturaliter] cognoscendo et amando, creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter divina persona ».

Notae.

822. Licet tres Personae inhabitent animam, duae tantum mittuntur.

1° Licet operatio divina, qua infunduntur et augentur gratia sanctificans et virtutes connexae, sit communis tribus Personis, licet etiam tres Personae inhabitent animam sintque objectum supernaturalis cognitionis et amoris creaturae rationalis, tamen nonnisi in Filio et Spiritu Sancto verificatur altera missionis conditio, quae exigit ut divina Persona *ab alia habeat* hoc

(1) Videsis nostrum tractatum *De gratia divina*, n. 121 ss.

(2) Gratia sanctificans et virtutes connexae sunt etiam *dona* Dei: sed essentialiter ordinantur ad hoc ut per illa creatura intellectualis cognoscat et amet Deum *prouti est in semetipso;* consequenter illa dona pertinent ad *ordinem illum, quo Deus communicat semetipsum, prouti est in semetipso.*

(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.*, I, Q. VIII, a. 3 ad 4; VAN DER MEERSCH, *De divina gratia*, n. 142 ss., 207 ss.

ipsum quod est inhabitare in creatura secundum novum modum praesentiae: ideo tantum mittuntur Filius et Spiritus Sanctus. Cf. suprà, n. 812.

823. Cur non detur missio secundum gratias gratis datas, etc.

2° Licet gratiae gratis datae, gratiae actuales, virtutes informes fidei et spei, sint effectus supernaturales Dei in creatura intellectuali, tamen secundum illos non fit proprie missio divina, quia secundum illos non habetur *habitatio* Dei in creatura (1).

824. Ulterius explicatur supernaturalis unio Dei cum justo: a) *praesentia physica,*

3° Gratia sanctificans virtutesque cum illa connexae, entitative spectatae, sunt habitus supernaturales, infusi a Deo in anima: illorum donorum productione et conservatione fit Deus *physice* praesens animae: ubi enim operatur Deus, ibi est (cf. suprà, n. 213). Praeterea consequenter ad infusum donum, quod est accidens absolutum, habetur in creatura relatio realis ad Deum, tamquam ad causam illius doni. Secundum illum supernaturalem effectum Dei in anima et consequentem relationem, habetur *fundamentaliter* inhabitatio Dei.

b) *praesentia intentionalis.*

Haec autem consistit *formaliter* in supernaturali cognitione, amore et fruitione Dei: ad has operationes essentialiter ordinantur habitus infusi, et per has operationes habetur *intentionalis unio,* qua Deus est ut cognitum in cognoscente, ut amatum in amante, ut objectum fruitionis in fruente: hac unione, ipsa Persona divina unitur personae creatae. Inde dicit S. Thomas: « Gratia gratum faciens *disponit* animam *ad habendam divinam personam* » l. c. ad 2. Etiam S. Thomas donum supernaturale infusum et usum ejusdem distinguit ab ipsa Persona divina quae *intentionaliter* habetur et quae, secundum hanc unionem, creaturae intellectuali datur et ab ipsa possidetur: « Per donum gratiae gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc quod libere non solum ipso dono creato utatur, sed ut ipsa divina persona fruatur [quae fruitio praeexigit cognitionem et amorem, estque in eodem ordine cum illis]. Et ideo missio invisibilis fit secundum donum gratiae gratum facientis; et tamen *ipsa persona divina datur* ». L. c., ad 1.

Haec porro unio terminatur ad totam SS. Trinitatem, ad ipsum Deum unum et trinum, qui sese fruendum dat creaturae (2).

Unio *intentionalis, formaliter* considerata, est dignior unione physica, in qua fundatur: illa enim competit soli *intellectuali* naturae, quà tali, et proprie completur ipsa intuitiva cognitione Dei (3); tandem unio intentionalis est intimior unione physica: per illam enim Deum persona creata vitaliter apprehendit adeoque in semetipsa praesentem facit, in eum tendit amore, eoque fruitur, transformatur, illique redditur similis secundum actiones immateriales. Inde dici potest quod anima magis vivit in objecto quod cognoscit et amat quam in corpore quod animat (4).

825. Admitti posse videtur missio Spiritus Sancti ad Ecclesiam, qua-

4° Hucusque locuti sumus de invisibili missione ad unamquamque personam in particulari et vidimus missionem tunc haberi quando Deus animam incipit *inhabitare* vel inhabitationem suam auget; non autem quando alios effectus, etiam supernaturales, producit in anima. Sed Deus, seu, per appropriationem, Spiritus Sanctus, multis modis supernaturaliter operatur in Ecclesia, considerata formaliter ut

---

(1) Cf. S. THOMAS, l. c., ad 4. — « Unde illi textus Scripturae ubi in missione aut acceptatione Spiritus S. memorantur charismata (cf. v. gr. Act. VIII, 17, 18, X, 44-46, XIX, 6) non de sola largitione charismatum intelligi possunt, sed de charismatibus infusionem gratiae sanctificantis manifestantibus. Siquidem si sola charismata data fuissent, reapse non ipse Spiritus Sanctus advenisset, non fuisset veri nominis missio ». VAN NOORT, l. c.

(2) Post Petavium inquirunt theologi utrum existat aliqua *specialis unio* animae ad *Spiritum Sanctum solum,* ita ut justus Spiritui uniatur, modo quo non unitur Filio et Patri: plerique auctores respondent negative, quidam affirmative: priorem sententiam videsis propugnatam a FROGET, *De l'habitation du Saint-Esprit,* p. 193 ss., 447 ss., alteram ab ILLmo AC REVmo WAFFELAERT, *Disquisitio dogmatica de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita aeternum beata* (excerptum ex *Collat. Brug.,* t. XV, an. 1910). Videsis VAN DER MEERSCH, *De divina gratia,* n. 144 ss.

(3) Non omnino repugnat ut Deus physice, nempe hypostatice, uniatur naturae irrationali; repugnat vero ut Deus uniatur intentionaliter naturae carenti intellectu.

(4) Cf. S. JEAN DE LA CROIX, *Le cantique spirituel,* strophe VIII, qui illud principium exponit de vita mystica; S. FRANÇOIS DE SALES, *Traité de l'amour de Dieu,* L. VI, c. 6.

societate (1). Ad hanc etiam fieri missionem invisibilem docet card. Billot, *de Deo,* in 1ª edit., an. 1893, thes. XLII, § 3. « Consideranda est etiam invisibilis missio ad Ecclesiam in quantum Ecclesia est corpus sociale instructum omnibus principiis sanctitatis, semperque vivum ipsa supernaturali vita, non quidem in cunctis membris suis, sed in iis quae sunt de anima ejus. Quare, etsi secundum gratias gratis datas, characteres sacramentales, aliaque ejusmodi charismata, non attendatur missio Spiritus Sancti ad unum particularem hominem, quia in eo omnia haec esse possunt a sanctificante gratia sejuncta: omnino tamen secundum ista attenditur missio ad Ecclesiam, quin possent in ea remanere informia ». *tenus haec est societas.*

Haec sententia videtur sic intelligenda: Ecclesiae anima, proprie loquendo, est complexus donorum creatorum supernaturalium, quae sunt principia proxima quibus supernaturaliter vivunt membra Ecclesiae, qua talia (2). Sed quia Deus est causa continuo efficiens et influens illa dona et simul est objectum cui, per illa dona, uniuntur intentionaliter membra Ecclesiae, quia etiam illa efficientia et correlativa unio appropriatur Spiritui sancto, hinc est quod Spiritus Sanctus dici potest Ecclesiam inhabitare, eidemque uniri physica et intentionali unione (3). Quapropter quando incepit illa inhabitatio, tunc facta est, ut videtur, *missio* Spiritus Sancti ad Ecclesiam, et iterum fit quoties augetur illa inhabitatio. Idem dici posset de Filio, quatenus est Deus, sed tamen hoc non consuevit dici quia, Filius, quà homo, est caput Ecclesiae.

Assertum 4um. *Missio visibilis semper ordinatur ad invisibilem.* *826. Missio visibilis ordinatur ad invisibilem.*

Manifestatio enim invisibilis missionis est ratio cur conveniat fieri visibilis missio, ut dicit sanctus Thomas: « Sicut seipsum Deus et processiones aeternas personarum, per creaturas visibiles secundum aliqua indicia hominibus quodammodo demonstravit; ita conveniens fuit ut etiam invisibiles missiones divinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur » (4).

Caeteroquin « Omnia opera supernaturalia diversis modis ordinantur ad interiorem animae sanctificationem, cujus veluti corona est missio invisibilis. Igitur missio visibilis fuit aut *principium* aut *indicium* missionis invisibilis » (5).

Missio visibilis Filii, quae per assumptam humanam naturam acta est (quae a quibusdam vocatur missio *substantialis*), fuit *principium* sanctificationis internae et invisibilis missionis: etenim Verbum Incarnatum meritum est omnem gratiam sanctificationis et condidit media quibus conferretur sanctificatio. Missiones visibiles Spiritus Sancti fuerunt *indicium* sanctificationis internae. — Illa differenta omnino congruit proprio characteri uniuscujusque Personae: Filius enim procedit ut *principium* Spiritus, qui procedit secundum operationem amoris divini adeoque secundum formalem rationem *sanctitatis* divinae: quapropter Filius procedit ut principium Spiritus totius sanctitatis, adeoque visibililiter mittitur ut *auctor* sanctificationis *827. Visibilis missio Filii est principium, visibilis vero missio Spiritus est indicium invisibilis missionis.*

(1) Multiplicem in Ecclesia operationem Spiritus Sancti descriptam legas in encyclica Leonis XIII « Divinum illud munus », in *Collat. Brug.*, t. II, p. 366 ss.

(2) Cf. DE BROUWER, *De Ecclesia Christi,* n. 218; VAN NOORT, *De Ecclesia Christi,* n. 74; STRAUB, *De Ecclesia Christi,* t. I, n. 345.

(3) S. Augustinus, *Serm.* 267, 4, P. L., t. XXXVIII, col. 1231, dicit: « Quod autem est anima corpori hominis, id est Spiritus corpori Christi, quod est Ecclesia; hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis ». Inde Spiritus Sanctus *metaphorice* dicitur *anima* Ecclesiae. Sed missio, de qua loquimur, est, ut videtur, *missio proprie dicta,* licet non ejusdem rationis sit ac missio ad singula membra Ecclesiae.

(4) *Sum. theol.*, I, Q. XLIII, a. 7.

(5) VAN NOORT, *De Deo uno et trino*, n. 230.

nostrae. Spiritus vero procedit ut ipsa formalis sanctitas, adeoque visibiliter mittitur ut *indicium* sanctificationis nostrae (1).

Neque tamen hoc ita intelligendum est ut missio visibilis necessario eodem tempore fiat quo missio invisibilis. Ita visibilis missio Spiritus Sancti in baptismo Christi non significabat Christum tunc sanctificatum esse, sed significabat sanctificationem Christi antea in conceptione ejus factam (2).

828. In V. T. invisibiles quidem, non autem, ut videtur, visibiles erant missiones.

In Veteri Testamento, *invisibiles* quidem fiebant missiones, ad omnes scilicet qui de novo participabant gratiam sanctificantem (cf. suprà, n. 821).

Non tamen, ut videtur, *visibilis* facta est missio ante Christum (3): non visibilis missio, quae fuit *principium* efficax sanctificationis internae: quia nulla unquam talis exstitit praeter Incarnationem. Nec etiam visibilis missio ut *indicium* sanctificationis collatae « Et ratio est quia licet Patres V. T. fuerint *intus* in anima participes gratiae sicut et nos, *externe* tamen et *legaliter* pertinebant ad statum servitutis, quasi extra adoptionem filiorum existentes (4). Ut enim manifeste appareret Christum, Deum et hominem, esse eum per quem omnes habent potestatem filios Dei fieri, oportuit visibilem ac veluti legalem oeconomiam gratiae non praecedere adventum eius, sed per ipsum primum introduci. — Et sic mirabili prorsus moderamine sapientiae, consuluit Deus tum saluti antiquorum quos voluit esse *intus* redemptionis consortes, tum praeterea manifestationi ordinis suae Providentiae circa Christum, totius gratiae principium in genere humano, dum ipsos veteres in *foro* (ut sic dicam) *externo* constituit sub lege servili » (5).

(1) Cf. S. THOMAS, l. c.; card. BILLOT, *o. c.*, thes. XLIII, § 1, p. 650.
(2) Ita PESCH, *Praelectiones dogmaticae*, t. II, n. 659.
(3) Cf. S. THOMAS, l. c.; card. BILLOT, l. c.; VAN NOORT, *o. c.*, n. 231.
(4) Cf. *Gal.*, III-IV; *Heb.*, IX-X.
(5) Card. BILLOT, l. c. p. 651.

SECTIO TERTIA.

De modo quo se habet SS. Trinitas ad naturalem rationem et de modo loquendi de illo mysterio.

CAPUT I.

DE SS. TRINITATIS INCOGNOSCIBILITATE NATURALI RATIONI (1).

829. Trinitas nequit naturaliter detegi:

PROPOSITIO PRIMA. **SS. Trinitas est mysterium stricte dictum: h. e., veritas, a) quam intellectus humanus (2), naturali virtute cognoscendi utens, nequit detegere et b) cujus intrinsecam rationem nequit positive demonstrare, etiam post divinam revelationem praedictae veritatis.**

hoc probatur:

Demonstratio 1ae partis.

A) ex S. Scriptura,

A. EX S. SCRIPTURA.

In verbis Christi, *Matth.*, XI, 27: « Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare », continetur, ut videtur, assertum nostrum. Nam ibi Christus affirmat aequalitatem cognitionis Filii, qua talis, cum cognitione Patris, qua talis: inde agitur de cognitione, quae est propria solius Dei (cf. suprà, n. 636), et quae ut objectum habet Patrem, ut sic, et Filium, ut sic. Jamvero: « nemo novit Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare »: ergo nemo cognoscit Patrem, ut sic, seu Deum, tamquam Patrem Filii, nisi ope revelationis divinae. Ergo, a pari, nemo cognoscit Filium, ut sic, seu Deum tamquam Filium Patris, nisi ope divinae revelationis. Ergo nequeunt, absque revelatione, cognosci Personae divinae.

830. B) ex ratione theologica,

B. EX RATIONE THEOLOGICA.

Si inter revelatas veritates dantur mysteria proprie dicta, primum locum inter illa occupat SS. Trinitas; atqui dantur mysteria proprie dicta; ergo...

Antecedens declaratur. Etenim inter revelatas veritates, existentia trium Personarum ab invicem distinctarum in unica essentia divina manifestat nobis id quod ad Dei esse maxime pertinet, id in quo radicitus consistit et exercetur vita Dei: si igitur datur aliquid quod proprie et simpliciter nequit detegi ab intellectu humano, illud erit id quod maxime intimum est ipsi Deo.

Hoc confirmatur *a*) ex schemate praeparato in Concilio Vaticano: « Mysteriorum, quae fide illuminati profitemur, omnium supremum ipse

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.* I, Q. XXXII, a. 1; card. BILLOT, *o. c.*, thes. XV, p. 485 ss. ILLmus JANSSENS, *De Deo trino*, p. 354 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Medit. theol.*, in *Collat. Brug.*, t. III, p. 249, 417, 497; VAN NOORT, *De Deo uno et trino*, n. 240 ss.; POHLE, *o. c.*, B. I, p. 343 ss.; TANQUEREY, *Synopsis theologiae dogmaticae specialis*, t. I, n. 669 ss.

(2) Loquimur directe de *humano* intellectu, sed assertio valet de omni *creato vel creabili* intellectu.

Deus est, unus in essentia, trinus in personis » (1); *b*) assertis Patrum, qui saepe altitudinem praedictae veritatis proclamant et explicite docent illam esse supra captum intellectus humani (2).

Unum in exemplum afferamus. S. Fulgentius, *Ad Trasimundum*, L. II, c. 1, praeclare scribit: « Quoties humanae conditionis infirmitas, semetipsam protinus cognitura, fines molitur aliquatenus suae paucitatis excedere, utque coelestis illuminationis praegnata conceptu conditoris sui ac redemptoris inquisitionem coeperit parturire, sola, quantum arbitror, immutabiiis illa sempiternitas Trinitatis reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo, quae sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus ».

Minor constat definitione Concilii Vaticani: « Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, A. S. » (3). In eadem Sess. III, c. 4, Patres Concilii docent dari « mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt » (4).

831.
C) *ex ratione naturali.*

C. Ex ratione naturali.

Homo per rationem naturaliter cognitionem Dei acquirere non potest nisi ex creaturis; atqui creaturae in tantum ducunt in cognitionem Dei in quantum sunt *effectus* ejus; ergo homo per rationem naturaliter cognoscere potest Deum solummodo in quantum est *causa* creaturarum. Sed Deus formaliter est causa creaturarum quatenus est *unus in essentia* et non quatenus est trinus in personis. Ergo homo per rationem non potest naturaliter cognoscere Deum quatenus hic est trinus in personis.

Major et *minor* prioris syllogismi demonstratae sunt suprà, n. 24, 114, 195. Sed notemus quod dupliciter per viam creaturarum aliquid de Deo cognoscitur: primo quidem directe, per demonstrationem a posteriori, qua ab effectibus ascenditur ad causam; deinde vero, quasi indirecte, quatenus ex una ratione in Deo per creaturas praecognita, procedimus ad demonstranda caetera attributa, quae logico nexu cum ea connectuntur. Ita, v. gr., ex hoc quod per creaturas cognoscimus Deum esse intellectu praeditum, infertur Deum esse etiam voluntate praeditum; (cf. suprà, n. 428); cognito quod Deus sit ipsum Esse per se subsistens, infertur Deum esse infinitum in omni genere perfectionis simplicis (cf. suprà, n. 204). Sed ipsa connexio quam inter diversa Dei attributa cognoscimus, nititur connexioni quam detegimus inter varias perfectiones creaturarum.

Minor secundi syllogismi declaratur. *Relatio* formaliter non est activa, quia omne activum (scilicet omne id *quod* agit, qua tale, vel omne id *quo* agit ens) est aliquod *absolutum:* nam principium quo operatur ens et ipsa actio sunt aliquid *perficiens* agens *in se*. Ergo nullum ens est formaliter operans per relationem. Ergo nec Deus formaliter operatur *ad extra* per

(1) Cit. ap. ILLmum L. Janssens, *o. c.*, p. 357.
(2) Videsis textus *ibid.*
(3) *Enchir.*, n. 1816.
(4) *Enchir.*, n. 1795.

relationem, sed per aliquod absolutum, nempe per essentiam divinam, quae est idem ac operatio divina (cf. suprà, n. 177, 345). Quum autem Personae divinae sint ipsae *relationes subsistentes* incommunicabiles (cf. suprà, n. 761), sequitur Deum non esse formaliter operantem *ad extra* per illas relationes vel secundum illas, nec esse formaliter operantem *ad extra*, quatenus est trinus in Personis (1), sed operari *ad extra* quatenus est *unus in essentia*. Quapropter res creatae sunt effectus Dei quatenus hic est unus in essentia, secundum hoc sunt limitatae imitationes causae, ejusque perfectiones magis vel minus continent et in ejusdem cognitionem ducunt; non autem sunt imitationes Dei, quatenus hic est trinus in Personis, seu relationum divinarum ad intra adeoque nec habent id quo ducant in cognitionem Trinitatis.

Quod plenius intelliges si consideraveris actionem, qua Deus efficit res, esse *volitionem* ejus, cui praelucet scientia: illa actio, formaliter immanens et virtualiter transiens, est res absoluta, identificata cum essentia divina, quae aequaliter est in tribus Personis (cf. suprà, n. 795), adeoque « virtus creativa Dei est communis toti Trinitati » (2). Tandem quum ex creatis rebus cognoscere non valemus nisi perfectiones essentiae divinae, quatenus haec est res absoluta, infinite perfecta, ideo nulla nobis innotescit ratio qua suspicari possimus in ipsa divina essentia existere reales relationes originis et personas. Igitur ne indirecte quidem potest nobis innotescere Trinitas. Infrà, n. 838 ss., ostendemus insufficientiam quorumdam argumentorum, quae allata fuerunt ad demonstrandam Trinitatem.

Demonstratio 2ae partis.

832. Nequit cognosci intrinseca ratio cur sit Trinitas.

Posita revelatione SS. Trinitatis et necessitate existentiae trium Personarum in Deo, nulla tamen apparet nobis ratio ontologica cur hoc sit vel debeat esse: nullum proinde suppeditat argumentum ratio humana quo positive demonstretur possibilitas SS. Trinitatis (3). Carentia, *quoad nos*, omnis cognitionis de necessaria connexione inter essentiam divinam et existentiam SS. Trinitatis, est secunda nota quae requiritur ad mysterium proprie dictum.

833. Supposita Revelatione, ratio potest Trinitatem proponere credendam,

PROPOSITIO SECUNDA. **Supposita revelatione mysterii SS. Trinitatis, humanus intellectus potest illud credendum proponere, ulterius explicare, vindicare ab objectionibus, illustrare analogiis.**

Haec assertio constat ex antea expositis. Et sane:

1° Praedictum mysterium fuisse revelatum a Deo (et proinde esse credendum) probavimus ex fontibus Revelationis, simulque ostendimus sensum vere nobis intelligibilem contineri in assertis doctrinae revelatae (cf. suprà, n. 634 ss.).

---

(1) « Non autem creatura procedit a tribus personis *ut sunt personae distinctae*, sed ut sunt *unum in essentia* ». S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXXVI, a. 4, ad 7.

(2) S. THOMAS, *o. c.*, Q. XXXII, a. 1.

(3) Nuperrime R. P. PEILLAUBE, in « *Les cahiers du cercle thomiste féminin*, 1927, p. 610 ss. rite exposuit cur R. P. Sanson inepte locutus fuerit de cognoscibilitate SS. Trinitatis et de hujus mysterii ratione.

ulterius explicare,

2° Deinde illius doctrinae ulteriorem explicationem tradidimus (cf. suprà, n. 689). Nempe ex analysi assertionum revelatarum et ex cognitione principiorum metaphysicae, deducuntur plures distinctae propositiones, quarum aliae formaliter implicite, aliae virtualiter tantum, continentur in revelatis; hae propositiones ordine logico connectuntur et ponuntur sub principiis a quibus derivant: sic constituitur scientia theologica de mysterio SS. Trinitatis (cf. suprà, n. 3, 9).

vindicare ab objectionibus,

3° Tandem objectiones solvuntur quae proferuntur vel contra ipsum factum revelationis mysterii, vel contra possibilitatem illius quod in mysterio asseritur: quoad hoc ultimum, ostenditur objectiones allatas non rite concludere vel non constare de repugnantia in ipso mysterio.

illustrare analogiis.

4° *a*) Suprà, n. 284 ss., expositum est cur et qua ratione omnis nostra de Deo cognitio sit *analogica:* hoc valet de omnibus notionibus, propositionibus et judiciis, sive naturali rationis lumine formatis, sive ex revelatione divina acceptis: nam *quoad modum apprehendendi rem* non differunt ab invicem naturalis cognitio et supernaturalis fides.

Hîc notandum est quod scribit Ill^mus ac Rev^mus Waffelaert, *Medit. theol.*, in *Collat. Brug.*, t. III, p. 420 s.: « Conceptus [nostri] analogici [sunt] in duplici differentia, quos alios immediatos, alios mediatos non immerito dixeris. Revera immediate ex creaturis apprehendimus analogice quaecumque ad unitatem essentiae divinae attributaque absoluta spectant; quando vero de Deo agitur formaliter ut est... personarum trinitas, cum sic non sit nec esse possit causa operum ad extra, ex hisce operibus non possumus eum immediate sive quid sit sive an sit cognoscere, creatas perfectiones transferendo ad Deum... Igitur ad attingendum mysterium SS. Trinitatis, notiones analogicae ex creatis non immediate deserviunt, sed potius mediate, quatenus, posita revelatione processionum ad intra, relationumque originis ac personarum divinarum, et ipsa revelatione analogice ex creatis notiones proponente, mediante hac revelatione et ex attributis Dei absolutis, adeoque mediate ex creaturis nobis Deum secundum essentiae unitatem manifestantibus, jam cum analogia ad creata nobis nota quadamtenus processiones divinas Trinitatemque concipimus ».

Quoad autem dicitur *mysterium illustrari analogiis,* hoc proprie significat veritatem in qua ipsum mysterium continetur, explicari *per comparationem ex aliqua re creata,* ut ideo ipse sensus dogmatis melius perspiciatur et appareat quomodo non implicet intrinsecam repugnantiam. V. gr., mysterium SS. Trinitatis, quod in unico Deo, seu unica divina natura, sunt tres divinae Personae, realiter ab invicem distinctae, quandoque exponitur hac comparatione: in unica anima sunt tres facultates: intellectus, voluntas, memoria. Haec comparatio juvat ad cognitionem mysterii, quatenus in illa re creata, anima (quae est substantia, incompleta quidem, sed est forma subsistens, habens in se esse) (1), inveniuntur tres res quae aliquo modo ut realiter distinctae habentur (2); ita inculcatur: in una substantia posse esse tres res distinctas, etiam: non esse repugnantiam in hoc quod dicitur una

(1) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 398.

(2) Intellectus et voluntas sunt facultates operativae realiter ab invicem distinctae; memoria autem non est facultas distincta ab intellectu. Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 415, 444.

natura et tres *personae,* sicut non habetur repugnantia in hoc quod dicitur una *anima* et tres *facultates.*

b) Inter comparationes adhibitas in exponendo mysterio SS. Trinitatis, pleraeque sunt merae *metaphorae:* v. gr. comparatio adhibita a Tertulliano (1), qua tres divinae Personae exhibentur tamquam fons, flumen et rivus, tamquam sol, radius et apex; metaphorica est etiam comparatio, suprà indicata, de anima ejusque facultatibus si agitur de formali notione SS. Trinitatis (2).

Alia comparatio non est mera metaphora, sed continet aliquam analogiam *proportionalitatis propriae* (cf. suprà, n. 291): sicut enim in anima humana cognoscente semetipsam habetur proprie et formaliter *processio verbi,* quod est imago intentionalis animae, ita in Deo cognoscente semetipsum habetur proprie et formaliter processio Verbi, quod est imago Dei. Ratio formalis illius processionis verificatur proprie tum in anima, tum in Deo, sed aliter in utroque: inde analogia proportionalitatis propriae. Pariter sicut in anima *amante* se habetur processio animae amatae in esse amato (3), ita in Deo amante se habetur processio Dei amati in esse amato.

Illa est igitur praecipua comparatio quae in re creata institui potest circa Deum, quatenus est trinus in Personis. Bene notemus comparationem in hoc consistere propriissime quod anima humana cognoscendo *semetipsam* efficit *in se* verbum *suimetipsius* et quod amando *semetipsam* habet *in se* amatoriam inclinationem in semetipsam (4).

834. In creaturis inveniri possunt Trinitatis vestigia.

Corollarium. *In creaturis inveniri possunt vestigia et imago SS. Trinitatis.* Uti diximus, n. 829, creaturae non sunt effectus Dei, quatenus est trinus in Personis, adeoque nequeunt ipsae ducere in cognitionem SS. Trinitatis. Hac autem cognita per divinam revelationem, possumus in creaturis detegere quasdam similitudines cum Deo uno et trino, licet illae nobis non patefaciant rationem intrinsecam cur sint debeantque esse in Deo tres Personae.

1° Dantur quaedam similitudines quae sunt *vestigia* Dei.

Vestigium, sensu primario, est repraesentatio pedis relicta in terra ab homine ambulante; inde vestigium significat omne quod repraesentat aliquo modo et indicat causalitatem causae, quin manifestet qualis sit causa, cujusnam sit naturae. Inde, ut docet sanctus Thomas (5), in creaturas omnibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum vestigii, in quantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua quae necesse est reducere in divinas

---

(1) *Adversus Praxeam,* c. 8, cf. suprà, n. 657.

(2) Plures similitudines particulares, quas Patres data occasione protulerunt, invenies apud HURTER, *Opuscula SS. Patrum,* sect. I, t. VI, p. 141; cfr. BITTREMIEUX, *De leer der H. Drievuldigheid* (Geloofsonderricht, Brugge) bl. 29 vv.

(3) Haec tamen processio alterius rationis est ac processio Verbi, cf. suprà, n. 700 s., 721.

(4) Illam comparationem probavit et exposuit praesertim S. AUGUSTINUS, *De Trinitate,* L. IX; post illum, S. ANSELMUS, *Monologium,* c. 33; S. THOMAS, *Sum. theol.,* I, Q. XXXIV, XXXVII; *Sum. cont. Gent.,* L. IV, c. 11, 19, aliique theologi.

(5) *Sum. theol.,* I, Q. XLV, a. 7.

Personas, sicut in causam. Primum autem exemplum hujus allatum a sancto Thoma est in hoc quod omnis creatura *subsistit suo esse,* habet suam *formam* et etiam *relationem* ad aliud: secundum quod est *substantia,* repraesentat Patrem, qui est principium non de principio; secundum quod habet *formam,* qua determinatur ad suam speciem, repraesentat Verbum, quia forma artificiati est ex conceptione artificis; secundum quod habet *relationem* ad aliud, repraesentat Spiritum Sanctum, quia relatio effectus ad aliquid aliud est ex voluntate creantis, secundum quam volitionem procedit Spiritus. — Creaturae *irrationales* non aliam similitudinem Trinitatis habent quam ad modum vestigii.

Sanctus Thomas, l. c., alia etiam indicat exempla in quibus invenitur ratio praedicta vestigii, sed non loquitur nisi de illis quae necessario competunt creaturae qua tali: haec necessitas requiri videtur ut verificetur vera notio vestigii, quod est aliquid objective connexum cum causalitate divina, aliquid quod *necesse est reducere in divinas Personas tamquam in causam.*

Quapropter non recte, ut videtur, assignatur tamquam vestigium Trinitatis omne *trinum* accedens alicui substantiae, puta trinam dimensionem corporis, vel tria temporis spatia, praeteritum, praesens, futurum, etc. Haec tamen adhiberi possunt ut metaphorice aliquo modo conferentes ad ingerendam notionem de SS. Trinitate.

835. et imago in creatura rationali.

2° *Imago* est similitudo multo perfectior quam vestigium. Ad rationem imaginis tria requiruntur: *a*) ut procedat ab eo cujus est imago, *b*) ut sit illi similis secundum speciem vel secundum aliquid proprium speciei, *c*) ut hanc similitudinem habeat formaliter vi processionis.

Jamvero creaturae *rationales* sunt *imago* Dei, secundum analogiam proportionalitatis propriae (1).

Etenim anima humana (et etiam angelus) *a*) procedit a Deo per creationem, *b*) est immaterialis seu spiritualis, adeoque praedita intellectu et voluntate, et proinde analogice est similis Deo secundum speciem, *c*) hanc similitudinem habet formaliter ex processione: nempe ex creatione, cujus effectus determinatur omnino per *ideam* existentem in mente divina. Ex dictis patet animam humanam esse *imaginem Dei, quatenus est unus in essentia* (2).

Deinde quia et quatenus anima humana cognoscit et amat se, repraesentando in se processionem et distinctionem Personarum, eatenus est etiam imago SS. Trinitatis « Cum increata Trinitas distinguatur secundum processionem Verbi a dicente et Amoris ab utroque... in creatura rationali, in qua invenitur processio verbi secundum intellectum et processio amoris secundum voluntatem, potest dici imago Trinitatis increatae secundum similitudinem speciei » (3).

---

(1) Imago omnino perfecta Dei est ipsum Verbum, quod est prorsus aequale Patri. Inde imago est etiam nomen *proprium* Filii et imago dicitur *personaliter* in divinis. Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.* I, Q. XXXV; *Collat. Brug.*, t. XXVII, 1927, p. 137 s., ubi etiam scite notatur differentia significationis formalis inter nomen *exemplar* et nomen *imago:* si Verbum Dei comparatur ad res alias intellectas a Deo, tunc est sicut *exemplar;* si vero Verbum Dei comparatur ad ipsum Deum, cujus est Verbum, tunc Verbum est sicut *imago.*

(2) Ita docet S. THOMAS, *o. c.*, Q. XCIII, a. 1. Quia autem homo est imago *imperfecta,* ideo dicitur potius *ad imaginem* Dei quam imago Dei. *Ibid.* ad 2.

(3) S. THOMAS, Q. c., a. 6. — Circa *similitudinem speciei* adnotant quidam editores operum S. Thomae: « Non proprie et sensu stricto, sed latiori significatione [sumitur hîc species]: prout species id importat quod ad constitutionem alicujus rei specialius et proprius pertinet, quasi eam

Ulterior explicatio.

836. *Imago illa consistit primario in actuali cognitione et amore,*

1° Ex dictis constat rationem imaginis SS. Trinitatis in anima haberi *primario per actus* intelligendi et amandi, *secundario per habitus* et potentias.

Ad rem sanctus Thomas (1): « Ad rationem imaginis pertinet aliqualis repraesentatio speciei. Si ergo imago Trinitatis divinae debet accipi in anima, oportet quod secundum illud principaliter attendatur, quod maxime accedit (prout possibile est) ad repraesentandum speciem divinarum personarum. Divinae autem personae distinguuntur secundum processionem verbi a dicente, et amoris connectentis utrumque. Verbum autem in anima nostra sine actuali cogitatione esse non potest... Et ideo primo et principaliter attenditur imago Trinitatis in mente secundum actus, prout scilicet ex notitia quam habemus, cogitando, interius verbum formamus, et ex hoc in amorem prorumpimus. Sed quia principia actuum sunt habitus et potentiae, unumquodque autem virtualiter est in suo principio; secundario et quasi ex consequenti imago Trinitatis potest attendi in anima secundum potentias et praecipue secundum habitus, prout in eis scilicet actus virtualiter existunt ».

837. *tum ipsius animae,*

2° Quatenus formaliter Trinitas consideratur, ut duabus processionibus constituta, eatenus imago Trinitatis propriissime consistit in anima actu cognoscente *se* et actu amante *se*.

tum Dei.

Si vero considerantur divinum cognoscere et amare secundum quae habentur processiones, tunc imago Dei in anima consistit praecipue in anima actu cognoscente et actu amante *Deum*. Illa porro cognitio et ille amor haberi possunt naturaliter; perfectiores autem obtinentur supernaturaliter: in primo gradu, per fidem, in ultimo, per visionem beatificam. Secundum hoc dicit sanctus Joannes: « Similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est » *1 Jo.*, III, 2.

838. *Quo sensu admittenda argumenta probabilia.*

Nota. *De argumentis probabilibus circa existentiam SS. Trinitatis.*

Suprà, n. 831 s., explicuimus cur existentia trium Personarum in Deo non possit naturali rationis lumine detegi aut demonstrari, etiam cur, supposita divina de hoc mysterio revelatione, nequeat a nobis, hac in terra, cognosci ratio intrinseca necessariae existentiae trium Personarum in unica divina essentia (2).

Attamen sanctus Thomas (3), aliique theologi docent dari quaedam argumenta quae, supposita divina revelatione, credenti reddunt *probabile* illud mysterium; hoc significat illas rationes patefacere nobis quod Trinitas Personarum convenit seu congruit infinitae perfectioni, illamque nobis ulterius manifestat, harmonice cum iis quae de Deo et de creaturis cognoscimus.

839. *Illa argumenta desumuntur:*

Breviter indicabimus praecipua illa argumenta, ostendendo in quo deficiant a demonstratione proprie dicta, et in quo consistat eorum probabilitas.

1) *ex ratione bonitatis infinitae,*

1. Bonitas divina est infinita, ergo communicanda est alicui infinito; ego alicui infinito procedenti a Deo, ergo alicui divinae Personae.

a) Hoc argumentum non valet ad demonstrandam processionem in divinis: nam non necesse est ut bonum infinitum sese communicet, quum sit in semetipso ipsa bonitas subsistens, subsistens plenitudo totius boni. Praeterea « bonitas infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturae: quia infinitae virtutis est *ex nihilo* producere (4) ». Quapropter non requiritur, si Deus infinita bonitate sese com-

---

distinguens ab altera et specificans. Ita specificatur Pater, id est specialiter distinguitur per eam rationem qua *dicens* vel Pater est, Filius quoque per eam rationem qua Verbum vel Filius est, etc. Et hoc vocatur in anima *repraesentatio speciei* ».

(1) L. c., a. 7.

(2) Cf. etiam S. BONAVENTURA, in *I Sent.*, dist. III, P. I, a. 1, q. 4, *Opera*, t. I, p. 75 s.

(3) *Sum. theol.*, I, Q. XXXII, a. 1, ad 2; *In Boëtium de Trinitate*, Q. I, a. 4. Cf. S. BONAVENTURA, *In I Sent.*, dist. II, a. 1, q. 3, *Opera*, t. I, p. 55 s.; dist. III, P. II, a. 1 s., p. 80 ss.

(4) S. THOMAS, *Sum. theol.*, l. c.

municat, quod aliquid infinitum a Deo procedat, sed sufficit quod res secundum modum suum recipiat bonitatem divinam.

b) Attamen, cognita per revelationem SS. Trinitate, intelligimus communicationem divinae bonitatis tribus Personis convenire illi et plenissime verificare illam bonitatis proprietatem, quae est in suî diffusione (cf. suprà, n. 273).

840. 2) *ex ratione infinitae beatitudinis.*

2. In Deo est perfectissima beatitudo. Jamvero nullius boni potest esse jucunda et perfecta possessio sine consortio; ergo in Deo requiritur consortium; ergo plures qui fruantur possessione boni divini.

a) Hoc argumentum non valet: quia infinita est Dei bonitas, infinitus ejus amor et infinita bonitatis fruitio: inde infinita esset divina beatitudo etiamsi solus esset Deus, si unico esset in Deo persona. — Apud personas finitas, e contrario, « in una persona non invenitur perfecta bonitas; unde indiget ad plenam jucunditatis bonitatem bono alicujus alterius consociati sibi » (1).

b) Attamen, cognita per revelationem SS. Trinitate, intelligimus consortium in fruitione bonitatis infinitae, licet non necessarium, tamen ingredi rationem perfectae fruitionis, adeoque ita nobis manifestatur complete vera fruitio infinite perfecta.

841. 3) *ex processione verbi et amoris apud nos,*

3. Sicut in anima nostra cognoscente et amante se habetur processio verbi et amoris, ita esse debet in Deo.

a) Hoc argumentum non valet ad suspicandum in Deo esse personam Verbi distinctam a perona dicentis nempe a Patre, et personam Amoris distinctam a Patre et a Verbo. Nam intellectio nostra non est univoca cum intellectione divina; praeterea, apud nos, intelligere est actio realiter distincta ab intelligente et verbum est accidens, necnon processio verbi est accidentalis: haec omnia in Deo esse nequeunt; sed naturali rationis lumine demonstratur in Deo intelligere et similitudinem intellectam in esse intellecto esse realiter idem ac ipsum esse seu essentiam Dei (cf. suprà, n. 396): proinde nulla datur possibilitas cognoscendi distinctionem realem inter dicentem (Patrem) et Verbum. — Idem, proportione servata, dicendum est de existentia Spiritus Sancti. — Inde hîc iterum animadvertamus rationem propriam mysterii SS. Trinitatis consistere in hoc quod *reales* sint in Deo relationes originis.

b) Ex cognita per revelationem SS. Trinitate, plenius cognoscimus id quod importat infinita actio intelligendi et amandi et invenimus in Deo perfectissime verbum h. e. similitudinem objecti cogniti in cognoscente, seu Verbum, et rem amatam in esse amato seu Amorem, sensu explicato.

842. 4) *ex notione foecunditatis.*

4. Si foecunditas est perfectio simplex, haec debet esse in Deo; sed foecunditas est perfectio simplex; ergo foecunditas esse debet in Deo; ergo saltem generatio Filii.

a) Illud argumentum non valet, quia ex naturali rationis lumine non constat foecunditatem esse perfectionem simplicem. Foecunditas enim, de quà hic sermo fit, est actualis et activa generatio, qua ex uno vivente habet originem aliud vivens, realiter distinctum a generante. Jamvero foecunditas, quatenus nobis naturaliter innotescit, non est perfectio simplex, quia importat *compositionem:* importat enim quod pars substantiae generantis transeat in substantiam geniti, quod consequenter substantia generantis sit composita, imo quantitate extensa. Adeoque non alia naturaliter cognoscitur a nobis foecunditas quam entium corporeorum; indeque negamus foecunditatem angelis, quia sunt immateriales seu spirituales: illa negatio consequitur ad rectam notionem de illorum perfectione: quia sunt spirituales et simplices, ideo nequit unus angelus generare alium, sed oportet ut singuli creentur a Deo (2): hoc ad perfectionem entis pertinet. Ergo non potest inferri esse in Deo foecunditatem.

Praeterea foecunditas, qualis naturaliter nobis innotescit, importat quod natura existens in genito sit realiter, nempe numerice, alia a natura generantis, quod proinde, generatione peracta, sint duo et natura et supposito. Si ex notione foecun-

(1) S. THOMAS, *ibid.*

(2) Idem tenendum de anima humana, quia haec etiam est essentialiter immaterialis Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 400.

ditatis naturaliter nobis cognitae inferretur foecunditas in Deo, ponendum foret esse duos Deos.

Tandem licet in omni ente, qua tali, admittenda sit activitas, eaque eo perfectior quo perfectius est ens, et consequenter infinita in Deo, tamen activitas divina est realiter idem ac essentia: proinde quaelibet actio immanens, quam in Deo naturaliter noscimus, in ipsa essentia est divina, nec ullo modo suspicari nobis licet esse terminos realiter distinctos unius actionis immanentis.

b) Supposita autem revelatione, nova nobis manifestatur notio, et quidem altissima: quatenus in ipsa unica Dei essentia, verificatur, absque ulla materialitate et compositione, foecunditas perfecta: vi cujus est Pater generans Filium, Patri consubstantialem, estque Spirator, nempe Pater et Filius, originem dans Spiritui; qui consubstantialis est Spiratori, scilicet Patri et Filio.

Ex suppositione dogmatis SS Trinitatis loquitur sanctus Bonaventura quando docet Patri attribuendam esse foecunditatem: "Est ibi [in Deo] summa *primitas;* sed quanto aliquid prius, tanto foecundius est et aliorum principium: ergo sicut essentia divina, quia prima, est principium aliarum essentiarum, sic persona Patris, cum sit prima, quia a nullo, est principium respectu personarum; sed foecunditas in Deo respectu Dei non potest esse nisi actui conjuncta: ergo necesse est esse plures personas » (1).

Deinde sanctus Bonaventura ostendit hanc rationem ex sese non valere, qua demonstretur foecunditas in Patre, et tandem declarat rationem *convenientiae* quae illi inest: « sicut in essentiis una est essentia prima, a qua sunt aliae et ad quam, sic et in personis est una persona, a qua sunt aliae et ad quam; et in alia est status originis, quia illa a nullo, et haec est persona Patris » (2).

843. Nota.

Nota. Ostendimus illa quatuor argumenta non valere ad *demonstrandam* existentiam SS. Trinitatis, et suprà, n. 831 ss., exposuimus intrinsecam rationem cur illud dogma nequeat a nobis naturali cognitione detegi. Quapropter ex ipso genere cognitionis, quae naturae humanae propria est, sequitur non innotescere nobis necessariam connexionem inter infinitam Dei perfectionem et SS. Trinitatem. Eadem incapacitas detegendi illam connexionem remanet post revelationem illius dogmatis, quia circa mysterium revelatum non aliter possumus inquirere quam per analogiam ex rebus creatis, quae intellectui non patefaciunt Trinitatem, quia non sunt effectus Dei formaliter quatenus est trinus in Personis. Caeteroquin assertio nostra constat ex crisi omnium argumentorum quae afferuntur ad demonstrandam Trinitatem, etiam post revelationem ejus.

Ideo illa argumenta, quae indicavimus, et quae, supposita revelatione SS. Trinitatis, traduntur ut *probabilia,* nihil aliud efficiunt quam exhibere *convenientiam* inter infinitam Dei perfectionem et existentiam trium Parsonarum divinarum.

844. Dijudicantur sententiae secundum quas ratio mysterii proprie dicti non convenit SS. Trinitati;

Scholion. *De sententiis secundum quas SS. Trinitati non convenit ratio mysterii proprie dicti.*

Statim examini subjecimus plura argumenta, eaque ostendimus insufficientia quibus demonstretur existentia SS. Trinitatis, etiam post ejusdem revelationem, adeoque confirmavimus thesim probatam suprà, n. 829.

Restat ut pauca dicamus de opinionibus contradictoriis veritati statutae.

845. quorumdam scholasticorum asserta,

1° *Quidam scholastici* (3) citantur qui videntur tenuisse demonstrabilitatem proprie dictam existentiae SS. Trinitatis: attamen non certo constat de eorum sententia, licet forsitan aliquid nimii tribuerint rationi. Inde

(1) *In I Sent.*, dist. II, a. 1, Q. II, *Opera,* t. I, p. 53.
(2) *Ibid.*, ad 4, p. 54.
(3) Nominatim afferuntur S. Anselmus, Richardus et Hugo a Sancto Victore, Scotus, Henricus Gandavensis: de quibus videsis ILLmum L. JANSSENS, *De Deo trino,* p. 412 ss:; de S. Anselmo videsis etiam BAINVEL, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Anselme,* col. 1346.

« doctores illi intelligi possunt... secundum sententiam catholicam de probatione non necessaria sed suasiva per analogias et argumenta congruentiae (1).

846. sententia Abaelardi,

2° *Abaelardus* († 1142) negavit Trinitatem esse mysterium proprie dictum et deinde etiam negavit veram distinctionem ac aequalitatem Personarum (2).

R. Lulli,

Raymundus Lullus (1235-1315?) contendit mysteria positive demonstrari posse, et nominatim SS. Trinitatem.

Quoad hoc mysterium, adhibet argumentum (quod suprà, n. 842, indicavimus): infinita Dei bonitas est necessario intrinsece foecunda: ergo Deus naturaliter producit in se bonum infinitum et per consequens aequale et idem sibi; cum non possint esse duo vel plura infinita per essentiam differentia, cumque inter producens et productum sit realis distinctio, oportet ut sit in Deo realis distinctio suppositorum seu personarum. — Uti diximus antecedens illius argumenti nequit cognosci ex naturali ratione.

847.

3° Saeculo XIX quidam auctores perverse concipientes Trinitatem, hanc ex naturalis rationis principiis demonstrari conati sunt.

Günther,

Günther praestituendo conscientiam suî esse rationem formalem personalitatis, asseruit essentiam divinam processu immanenti, quo suî fit conscia, necessario triplicari (3).

Rosmini,

Rosmini docuit quod revelato mysterio SS. Trinitatis, ipsius existentia demonstrari potest ita ut illa veritas revocetur ad philosophicas disciplinas.

En duas Rosmini propositiones damnatas decreto S. Officii, 14 Dec. 1887 (4):

« Revelato mysterio SS. Trinitatis, potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut caeterae: si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica *purae rationis* non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens annihilaretur ».

« Tres supremae formae *esse*, nempe subjectivitas, objectivitas, sanctitas, seu realitas, idealitas, moralitas, si transferantur ad esse absolutum, non possunt aliter concipi nisi ut personae subsistentes et viventes. — Verbum, quatenus objectum amatum, et non quatenus Verbum, id est objectum in se subsistens per se cognitum, est persona Spiritus Sancti ».

Schell.

Schell, etsi tenuit Trinitatem per solam rationem sibi relictam non probari, putavit tamen tantam esse connexionem inter divinam *aseitatem* (quam falso concipiebat tamquam *causalitatem suî*) et processus quibus Personae constituuntur, ut illa sine his vix aut ne vix quidem sustineatur (5).

848. Rationalistarum systema de evolutione dogmatum:

4° Rationalistae contendunt dogma catholicum SS. Trinitatis ortum esse naturali evolutione ex antiquioribus sententiis philosophicis aut religiosis persuasionibus. « Dicunt igitur illud dogma miro quodam syncretismo

---

(1) VAN NOORT, *De Deo uno et trino*, n. 241.

(2) Abaelardi plures propositiones damnatae fuerunt: cf. *Enchir.*, n. 368 ss.; videsis PORTALIÉ, ap. VACANT-MANGENOT, *o. c.*, art. *Abélard*, col. 45 s.

(3) Illam doctrinam ejusdemque refutationem videsis ap. KLEUTGEN, *Theologie der Vorzeit*, Münster, 1867, t. I, p. 399 ss.; FRANZELIN, *De Deo trino*, thes. XVIII; ILLmum L. JANSSENS, *o. c.*, p. 385 ss.; PESCH, *Theologische Zeitfragen*, L. I, p. 153 .

(4) *Enchir.*, n. 1915, 1916.

(5) De illa opinione cf. ILLmus L. JANSSENS, *o. c.*, p. 417 s.; PESCH, *Ende der Schell-Frage*, in *Stimmen aus Maria-Laach*, 1907, t. 73, p. 550 ss.

conflatum esse aut ex philosophia graecorum aut ex superstitione gentilium, monotheismo judaeorum admixtis ». (1).

Ut hoc assertum probabile appareat, afferunt quasdam *similitudines,* in quibus quasi fundamentalem notionem esse affirmant e qua per evolutionem ortum est dogma SS. Trinitatis. Praecipuas illas similitudines indicabimus.

Sed imprimis notemus quomodo adversariorum argumenta saepissime sophismate inficiantur et adstruantur contra regulas sanae logicae (2).

a) Etenim si daretur proprie dicta similitudo doctrinalis inter duas diversas religiones, nondum necessario sequeretur unam dependere ab alia in hoc puncto, nam illa similitudo posset produci ex hoc in diversis religionibus, absque earum connexione ad invicem, quod sit vestigium vel depositum primitivae revelationis; praeterea si ageretur de veritatibus, quae naturali rationis lumine detegi possunt, naturale est invenire illas in diversis religionibus absque connexione ad invicem; idem dicendum est de similitudine in legibus moralibus, in caeremoniis cultus, in formulis precum. Quapropter *sola similitudo* doctrinalis in pluribus systematibus philosophicis vel pluribus religionibus non sufficit ut inter illa admittatur *dependentia:* haec ipsa est positive demonstranda.

b) Inde si daretur proprie dicta similitudo doctrinalis quoad dogma SS. Trinitatis in aliqua religione diversa a christianismo et antiquiori, non inferre posset SS. Trinitatem non fuisse a Christo, cum auctoritate divina, edoctam, adeoque a Deo revelatam et proinde credendam: hoc est factum quod probavimus suprà, n. 635 ss.

c) Praeterea ea quae primo aspectu videntur similia, saepissime talia non sunt realiter: quandoque sunt formulae quae primo aspectu aliquid simile exprimunt, v. gr. aliquid trinum de Deo; sed si seriò conferuntur notiones ac sententiae, quae subsunt illis formulis in alia et alia religione, manifesta fit omnimoda et essentialis diversitas doctrinae inter plures religiones. Quaedam nunc breviter adnotabimus circa SS. Trinitatem.

A. *De religione Gentilium.*

849.
A) ac si dog ma SS. Tri nitatis ortur fuisset ex religione Gentilium: sive Indoru

a) Apud *Indos* invenitur quaedam religiosa conceptio, quae designatur nomine *Trimurti* (= triplex forma, triformis), aliqua trias, quae constat ex *Brahma* (qui consideratur ut deus creator), ex *Vishnu* (qui cogitatur ut deus-conservator), et ex *Civa,* (qui habetur ut deus-destructor) (3).

Illa trias est realiter prorsus diversa a dogmate SS. Trinitatis: nam *α*) illi tres dii non sunt aequales, nec secundus procedit a primo, nec tertius a secundo aut primo. Praeterea supra illos tres, habetur supremus quidam deus, *Turiya,* a quo alii plus vel minus suam divinitatem participant. Tandem proprium munus, quod singulis tribuitur, rerum creatio, conservatio, destructio vel absorptio, non correspondet characteri proprio Personarum divinarum. In illa igitur *Trimurti* nihil habetur quod possit considerari ut fundamentum dogmatis christiani (4).

---

(1) VAN NOORT, *o. c.*, p. 194.

(2) Multùm abusi sunt illis similitudinibus quidam auctores, qui incumbunt studio historiae religionum: qua de re videsis *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 34 ss.; CONDAMIN, ap. HUBY, *Christus,* p. 534 ss.; ID., ap. D'ALÈS, *Dict. apolog. de la foi catholique,* art. *Babylone et la Bible,* col. 385 ss.; MALLON, *ibid.*, art. *Egypte,* col. 1338 ss.; DE LA VALLÉE POUSSIN, *ibid.*, art. *Inde,* col. 676 ss.; LAGRANGE, *ibid.*, art. IRAN, col. 1128 s.

(3) Cf., DE LA VALLÉE POUSSIN, *o. c.*, col. 671.

(4) In aliquo libro qui, qualis nunc existit, compositus est probabiliter saeculo XIII post Chr., narratur alicui solitario invocanti Bhagavat (h. e. Vishnu incarnatum) apparuisse tres deos. Quum hac de re stupefactus maneret, apparentes dii dixerunt: « Hoc unicum ens, quod meditando consideras, est ipsi nos tres qui adstamus coram te ». Fieri potest ut auctor illius libri cognoverit

β) Quoad tempus quo orta est illa Indorum conceptio, « haec videtur orta saec. V ex commixtione Brahmanismi cum duabus praecipuis religionibus popularibus Hinduismi, quarum altera (in valle Gangis) Vishnu, altera (in valle Inde) Civa ut summum deum colebant » (1).

Quae quum ita sint, nulla est originis dependentia dogmatis SS. Trinitatis a Trimûrti Indorum.

850. sive aliarum Gentium

b) Quoad alias antiquas religiones pariter nullum datur argumentum quo statuatur aliqua dependentia nostri dogmatis a paganorum notitia: quaedam trium deorum conjugationes inveniuntur, sed hoc nihil commune habet cum veritate de unico Deo in tribus divinis Personis (2), nec etiam est id quod praecipuum est in illis religionibus vel quasi distinctiva nota illarum.

Ita in antiqua *Persarum* religione, quoad notionem divinitatis, hoc est praecipium et proprium quod admiserunt *dualismum* (3), doctrinam scilicet quae asserit unum esse deum, qui sit principium omnis boni, et alterum, qui sit principium omnis mali (cf. suprà, n. 260). Licet Deus boni (h. e. Ahura-Mazda = Ormazd) sit aliquo sensu primus et supremus, tamen infinitus non est in potentia et limitatur a Deo mali (h. e. Anro-Mayi = Ahriman), qui independenter ab illo existit et operatur.

Isaïas, XLV, 5-7, in vaticinio de Cyro, Persarum rege, pulcherrime describit *unicitatem* Dei veri, qui omnium omnino est prima origo et a quo dependent non solum bona sed etiam mala. In h. l. notat Knabenbauer: « Deum agnoscendum esse unum rerum omnium moderatorem, a quo et bona cuncta proveniunt et mala quoque permittuntur, vates praeprimis urget contra varia gentilium opinamenta, et quam apte id moneatur contra opinionem Persarum duo esse suprema rerum principia, bonum unum alterum malum, per se intelligitur; unde quantum differat Jahve ab Ahura-mazda et aliis gentilium figmentis declaratur ulterius v. 7 *formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum, ego Dominus faciens omnia haec;* — omnia igitur et prospera et adversa ab uno ejus nutu pendere asseritur ».

Apud *Sinenses,* primitiva religio fuit proprie dictus *monotheismus;* postea saeculo VI a. Chr. Lão-tse novam invexit doctrinam, nempe *pantheismum* (4).

Antiquissima *Aegyptiorum* religio est theoretice monotheismus, tenens unicum supremum deum, qui omnia produxit, non tamen ex nihilo, sed ex tenebroso oceano. Ille autem deus habet ex semetipso octo liberos, quatuor mares et quatuor feminas; illi posteri conjunguntur bini. Deinde excogitati sunt et alii dii. Adeoque Aegyptiorum religio fuit practice polytheismus; praeterea, deos, quos colebant, vix

---

dogma christianum vel theophaniam, quae narratur *Gen.* XVIII-XIX. Attamen non necessario admittenda est hîc expresio dogmatis SS. Trinitatis, quum nihil dicatur de processionibus secundum quas unus Deus est Pater, Filius, Spiritus Sanctus. « On ne saurait donc nullement identifier la Trinité chrétienne avec la trinité ou plus exactement la triade hindoue, telle qu'elle est exposée dans ces écrits dont la rédaction est postérieure à l'ère chrétienne, et, pour quelques-uns du moins, de date relativement récente. — Les trois personnes de la Trimûrti peuvent être identifiées à Brahme considéré sous trois aspects différents, dans son triple rôle de créateur, de conservateur et de destructeur. Il en résulte qu'elles n'ont pas de raison d'être subjectives, si je puis ainsi parler; elles n'existent qu'objectivement, c'est-à-dire par rapport aux créatures, lorsqu'il s'agit de leur donner, conserver ou ôter l'existence. — Dans le Vishnu-Parâna... la glose donne de Dieu une définition, vraiment remarquable; Brahme est Existence, Intelligence, Félicité. Voilà certes une belle conception de la divinité, mais de là au mystère de la Sainte Trinité, il y a un abîme. Il importe donc de ne point se laisser duper par les mots. A part le chiffre trois, qui ne décide ici de rien, la Trimurti de l'Inde, encore une fois, n'a rien à voir avec la Trinité chrétienne » DE LA VALLÉE POUSSIN, *o. c.*, col. 671.

(1) VAN NOORT, *o .c.*, n. 236.

(2) Cf. VAN NOORT, *o. c.*, n. 235 ss.; SCHANZ, *Apologie*, T. II, § 2 ss.

(3) Cf. CARNOY, ap. HUBY, *Christus*, p. 198, 201; LAGRANGE, *o. c.*, col. 1117 s.

(4) Cf. WIEGER, ap. HUBY, *Christus*, p. 96, 104; ID., ap. D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi cath.*, art. *Chine*, col. 509, 513.

distinguebant a rebus materialibus quibuscum uniri vel in quibus residere censebantur et ideo idololatriae addicti erant. — Posteriori tempore saeculo VII a. Ch., in zoolatriam delapsi sunt, quatenus animalia bruta, quae antiquitus plus minusve in cultu mixta fuerant, ipsa propter se divino honore culta sunt diique non nisi secundario (1).

B. *De philosophia platonica.*

851. B) *vel ex philosophia Graecorum sive Platonis*

a) *Plato* (428-347) docet existentiam unius Dei personalis, qui ordinavit universum, docet praeter hoc existere etiam supremam Ideam Boni subsistentem (2). Non conveniunt interpretes in solvenda quaestione utrum, secundum mentem Platonis, ipsa Idea Boni sit realiter idem ac ipse Deus personalis (3). Sed in his ne umbra quidem Trinitatis invenitur. Si Idea Boni est re idem ac Deus, non sunt duae personae; si distinguitur a Deo, ipsa non est persona.

852. *sive Philonis*

b) *Philo* (30 a Chr. — 50 p. Chr.) conatus est fidem mosaïcam componere cum philosophia Platonis et per hanc melius explicare doctrinam revelatam; sed abusus est allegoriis. Secundum Philonem (4), Deus res produxit (non ex nihilo, sed ex praejacente materia) per seriem entium intermediorum, quae vocat virtutes (δυνάμεις): non clare docet an et qua ratione distinguantur realiter a Deo. Inter illa entia datur supremum, quod est Verbum (Λόγος), sapientia divina, imago Dei, filius Dei primogenitus, et perhibetur esse sedes idearum. Non liquet utrum Λογος Philonis fuerit persona an personificatio divini conceptus de mundo: ast non remanet in ordine mere intentionali seu ideali, sed physice determinat naturas rerum et operatur in illis.

Haec pauca sufficiunt ut appareat notionem, quam de Verbo tradidit Philo, non esse eamdem cum notione de Filio Dei, quam proposuit nobis Christus et sanctus Paulus (cf. suprà, n. 636, 639) (5); praeterea a Philone nihil exponi quod referat existentiam Spiritus Sancti, adeoque a doctrina Philonis non dependere dogma christianum SS. Trinitatis. Praeterea, uti suprà, n. 704 s., diximus, sanctus Joannes non mutuatus est a Philone ea quae docet de Verbo, licet diffusio philosophiae de Verbo potuerit esse occasio cur et ipse Joannes adhibuerit vocabulum *Verbum*.

853. *sive Plotini*

c) *Plotinus* (204? — 270?), natus in Aegypto, docuit Romae estque praecipuus philosophus scholae *neo-platonicae*.

---

(1) Cf. MALLON, ap. HUBY, *o. c.*, p. 469 ss., 495 ss.; ID., ap. D'ALÈS, *o. c.*, art. *Egypte*, col. 1321 s., 1336.

(2) Plato ejusque sequaces dicunt existere, super fluxum et motum rerum individuarum, *formas* quasdam *physice subsistentes per seipsas, separatas a quovis subjecto*, quae sunt *ideae* rerum. Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 118. Inter illas ideas, suprema est Idea Boni absoluti.

(3) G. SORTAIS, *Histoire de la philosophie ancienne*, p. 35 ss.; DE WULF, *Histoire de la philosophie médiévale*⁴, p. 16 ss. Hic auctor tenet ut probabilius quod in doctrina Platonis admittendus est quidam *dualismus*, quatenus Idea Boni et Deus subsistunt independenter in suo ordine.

(4) Cf. DE WULF, *o. c.*, p. 73; LEBRETON, *Les origines du dogme de la Trinité*, p. 159 ss.

(5) Si Verbum intelligitur a Philone ut persona, saltem non est persona summo Deo consubstantialis, quum praedicetur inferior Deo, mediumque locum tenens inter Deum et nos. Unde ex hac parte, doctrina Philonis de Verbo magis affinis est subordinatianismo quam veritati catholicae.

In ejus systemate (1) invenitur aliqua apparens similitudo cum dogmate SS. Trinitatis, quatenus admittit tria divina principia (seu tres divinas hypostases): *primum* et supremum est *Unum, τὸ ἓν*; *secundum* est *Intelligentia νοῦς*; tertium est *Anima, ψυχη*. Primum est proprie Deus, estque omnino infinitum in perfectione et absolute Unum. Hoc ens a semetipso et ex ipsa natura necnon ab aeterno, producit Intelligentiam; haec Intelligentia continet ideas omnium rerum, sed est Uno inferior, quia ab illo generatur. Intelligentia ipsa, ex natura sua et ab aeterno, producit Animam: haec etiam est minus perfecta principio a quo procedit (2).

Illa tria subsistunt, realiter distinguuntur ab invicem, suntque aeterna.

Consideranti patet radicalem esse differentiam inter Plotini doctrinam et dogma SS. Trinitatis: etenim, secundum Plotinum, sunt revera tres dii, iique inaequales, non autem tres Personae aequales in unica natura divina, in unico Deo.

Praeterea tempore quo Neoplatonismus prodibat, dogma SS. Trinitatis jam diu ab Ecclesia credebatur et praedicabatur (cf. suprà, n. 654-659), nec proinde originem habuit ab illa doctrina philosophica. E contrario, veritates christianae potuerint aliquatenus influere in systema neo-platonicum, eo vel magis quod illius scholae fundator, qui fuit magister Plotini, Ammonius Saccas († circ. 242) educatus fuerat in Christianismo.

« Hinc Neoplatonismus viam sternere potuit non in dogma catholicum, sed in polytheismum (uti imprimis patet in Jamblicho † 333), in pantheismum (propter tertium Deum : animam mundi), aut christianismo admixtus in gnosticismum (propter emanationes unius principii ex alio, quas plures admiserunt) atque in subordinatianismum (propter minoritatem principii secundi et tertii » (3).

854. Conclusio.

Conclusio ex modo dictis rite exponitur a Van Noort (4) his verbis: « Igitur nec apud philosophos, nec in religionibus aut mysteriis gentilium vera trinitas invenitur: nusquam intellectus humanus invenit aut phantasia sibi finxit unam naturam in tribus personis distinctis subsistentem.

« Remanet factum satis mirum, quod pleraeque religiones antiquae ens absolutum, diversa licet ratione, ut triplex aut trinum conceperint, sive quod tres deos praecipuos rerum universitati proposuerint, sive quod summum deum sub triplici praesertim respectu consideraverint aut triplici munere principalis decoraverint. Non defuerunt apologetae qui hac in re tenue quoddam vestigium primitivae revelationis suspicaverint. Minus recte tamen, ut putamus; nam primo revelatio primitiva mysterii ss. Trinitatis non probatur; deinde, si facta supponatur, difficulter explicatur, quomodo ejus umbra magis apud gentes quam apud Israëlitas perseveraverit.

« Res forte explicatur ex eo, quod consideratione creaturarum plures in iis inveniuntur fundamentales triades, ut v. g. principium, medium et finis,

(1) Cf. SORTAIS, *o. c.*, p. 76 ss.; DE WULF, *o. c.*, p. 75 ss.
(2) Haec est anima mundi, quae, ideas contemplando in Intelligentia, producit res corporales.
(3) VAN NOORT, *o. c.*, n. 234. Circa dependentiam Arianismi a doctrina Philonis, cf. LE BACHELET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Arianisme*, col. 1789 ss.; *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 667.
(4) *O. c.*, n. 239.

quae in omnibus distinguuntur; triplex respectus unitatis, veritatis, bonitatis; trina dimensio corporum; praeterea triplex habitudo cunctarum rerum ad Deum ut causam efficientem, exemplarem et finalem, dehinc tria attributa praecipua Deitatis: potentia, sapientia, bonitas, etc.

« Ex his enim et similibus factum est, ut numerus ternarius haberetur numerus perfectionis, et ita veluti naturaliter consideraretur ut symbolum ac signatura Deitatis, secundum illud Aristotelis: « Propter quod, a natura accipientes tamquam leges illius, et ad sanctificationes deorum hoc utimur numero » (1). Quem textum ita interpretatur s. Thomas: « Utimur enim numero hoc, scilicet ternario, ad sanctificationes deorum [quos scil. gentes colebant], v. g. in sacrificiis et laudibus ipsorum, ac si acceperimus a natura leges et regulas ipsius: ut scil. sicut natura perficit omnia ternario numero, ita illi qui instituerunt cultum divinum, volentes Deo attribuere omne quod perfectum est attribuunt ei ternarium numerum » (2).

Adnotatio.

855. Mysterium SS. Trinitatis veluti per seipsum est probabile argumentum divinae suae originis.

Si cum religiosis Paganorum circa Deum enuntiatis, et cum philosophicis scholae platonicae assertis confertur veritas christiana, haec quasi in infinitum transcendit illa. Etenim doctrina a Christo revelata et ab Ecclesia deinde custodita, propugnata et explicata, hoc nitide et firmiter dicit quod in unico vero Deo sunt tres Personae divinae, ab invicem realiter distinctae, quae singulae sunt proprie ipse Deus, aequales in divinitate, scilicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus: ita ut Filius realiter procedat a Patre et Spiritus ab utroque.

Jamvero haec doctrina tam alta ac sublimis est ut videatur nunquam posse ab homine ullo excogitari, praeterea tam firmiter fuit servata per saecula ut videatur non potuisse a solis humanis viribus ita immutabiliter teneri: quapropter ipsum dogma SS. Trinitatis, veluti per seipsum, est probabile argumentum divinae suae originis et conservationis.

Nec objicias *subordinatianismum* quorumdam Patrum antenicenorum (cf. suprà n. 663), ac si non nisi post damnatam haeresim Arii constitutum fuerit ipsum dogma SS. Trinitatis. Nam illi Patres deficiebant quidem in explicatione mysterii quatenus non perspiciebant perfectam aequalitatem Filii (et Spiritus Sancti) ad Patrem; sed ipsum tamen dogma vere tenebant, quatenus credebant et profitebantur in unico vero Deo esse tres realiter distinctos, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, qui sunt vere Deus. Haeresis autem ariana occasio fuit qua Ecclesiae Magisterium nitide definivit perfectam aequalitatem Filii (et Spiritus Sancti) cum Patre.

Ad rem Tixeront: « Un système, dont nous suivons la trace depuis saint Justin et les apologistes jusqu'à Origène et Lactance, enseignait, parallèlement à sa divinité, une subordination du Fils, comme Dieu, au Père. Le Fils est Dieu, réellement Dieu, mais il est inférieur au Père. Entre ces deux propositions, si on les prend à la rigueur, il y a contradiction. Si le Fils est vraiment et essentiellement Dieu, il est l'être suprême, et n'est par conséquent inférieur à rien ni à personne; s'il est vraiment inférieur au Père, il n'est plus l'être suprême, il n'est plus Dieu. L'école subordinatienne croyait pourtant qu'il fallait maintenir ensemble ces deux

(1) *De coelo et mundo*, l. c. 1, text. 2 .
(2) In h. l., lect. 2, n. 5.

affirmations, si l'on ne voulait pas compromettre la monarchie divine et introduire dans le monde plusieurs principes premiers. Mais l'arianisme allait forcer les théologiens [plutôt le Magistère ecclésiastique] à regarder les choses de plus près et à se prononcer entre la divinité pleine et absolue ou consubstantialité du Fils et sa subordination essentielle ou sa création » (1).

CAPUT II.

DE MODO LOQUENDI DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

ARTICULUS Ius. De appropriatione.

856. Appropriatio definitur,

Notio **appropriationis.**

1° *Appropriatio,* in praesenti materia, *est modus loquendi, quo divina attributa essentialia aut operationes ad extra communes tribuuntur uni Personae divinae prae aliis.*

Dicitur *modus loquendi:* quia per solam operationem mentis attribuitur uni personae id quod revera tribus est commune. Appropriare enim nihil aliud est quam *commune trahere ad proprium* (2).

Illud autem, quod est commune toti Trinitati, non potest trahi ad proprium alicujus Personae, quasi in rei veritate magis conveniret uni quam alteri (sic enim negaretur perfecta Personarum aequalitas); sed solum quatenus personalis proprietas praebet *menti* fundamentum considerandi unum attributum non secus ac si uni Personae, prae caeteris, conveniret.

Igitur appropriatio non est arbitraria, sed exigit fundamentum in ipsa re, estque modus loquendi *habens fundamentum in ipsa re.*

ejus scopus et ratio bene exprimitur a S. Leone M.

Scopus et notio appropriationis egregie indicantur a sancto Leone I M., *Serm. 76* (al. 74), *de Pentecoste* II (al. I) P. L., t. LIV, col. 404: « Cum igitur ad intelligendam dignitatem Spiritus sancti oculos mentis intendimus, nihil diversum ab excellentia Patris et Filii cogitemus: quia in nullo ab unitate sua discrepat divinae Trinitatis essentia... Hujus enim beatae Trinitatis incommutabilis Deitas una est in substantia, indivisa in opere, concors in voluntate, par in potentia, aequalis in gloria. De qua cum sancta Scriptura sic loquitur, ut aut in factis, aut in verbis aliquid assignet, quod singulis videatur convenire personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur: ut per proprietatem [i. e. per appropriationem] aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, et non dividat intellectus, quod distinguit auditus. Ob hoc enim quaedam sive sub Patris, sive sub Filii, sive sub Spiritus sancti appellatione promuntur, ut confessio fidelium in Trinitate non erret: quae cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur. Bene ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit et per infirmitatem nostram coelestis doctrina nos adjuvat: ut quia in deitate Patris et Filii et Spiritus sancti nec singularitas est nec diversitas cogitanda, vera unitas et vera Trinitas possit quidem mente simul aliquatenus sentiri, sed non possit simul ore proferri ».

857. Duplex modus appropriationis indicatur.

2° *Duplex modus* appropriationis assignatur a sancto Thoma: « Appropriatio potest fieri dupliciter. Uno modo, considerando rationes nominum secundum quod de creaturis dicuntur, et ita appropriatio semper debet fieri per contrarium, ut modus creaturae a Creatore excludatur. Alio modo, considerando rationes nominum,

(1) *Histoire des dogmes,* t. II, p. 20.
(2) S. THOMAS, *De veritate,* Q. VII, a. 3.

secundum quod in divinis inveniuntur, et ita debet appropriatio fieri per similitudinem ad proprium » (1).

Prioris modi exemplum sequens proponit ibidem sanctus Doctor: quia apud nos invenitur infirmitas in patribus propter senectutem, ideo Patri coelesti potentia attribuitur; quia apud nos invenitur imperitia in filiis propter juventutis motus et inexperientiam, ideo Filio Dei sapientia tribuitur; quia nomen spiritus apud nos pertinere solet ad quamdam rigiditatem et inflationem, ideo Spiritui sancto tribuitur bonitas. Hic tamen modus appropriationis parum usu venit et videtur longe quaesitus (2): quapropter in sequentibus loquemur tantùm de secundo modo appropriationis, quae scilicet fit propter similitudinem attributi communis cum proprietate personae unius.

PROPOSITIO. **Conveniens est appropriatio.**

858. Convenientem esse appropriationem demonstratur.

Demonstratio.

1° Appropriatio adhibetur in S. Scriptura (3) et apud Patres, ut statim apparebit in exemplis proponendis.

2° Etiam ratio theologica adest. Etenim appropriatio, de qua loquimur, consistit in hoc quod perfectio vel operatio, pertinens ad ipsam essentiam divinam, attribuitur uni Personae, *propter similitudinem specialem* quam illud habet cum proprietate *personali* (cf. suprà, n. 785) seu proprio charactere personae cui illud attribuitur. Quum autem attributa essentialia melius a nobis cognoscantur quam Personae, hinc est quod melius intelligitur a nobis *distinctio Personarum* per appropriationem.

Ex alia parte, illi non subest falsum: quia appropriatio fit sensu *positivo,* non autem sensu *exclusivo,* nempe omnipotentia, v. gr., tribuitur Patri, sed non soli Patri ac si excluderetur ab aliis Personis.

Ad rem s. Thomas: « Ad manifestationem fidei conveniens fuit essentialia attributa personis appropriari. Licet enim Trinitas personarum demonstratione probari non possit [cf. suprà, n. 829 ss.], convenit tamen ut per aliqua magis manifesta declaretur. Essentialia vero attributa sunt nobis magis manifesta secundum rationem quam propria personarum; quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem devenire in cognitionem essentialium attributorum; non autem in cognitionem personalium proprietatum... Sicut igitur similitudine vestigii vel imaginis in creatura inventa utimur ad manifestationem divinarum personarum; ita et essentialibus attributis » (4).

Praecipuae appropriationes, usu ecclesiastico comprobatae, exponuntur.

859. Quadruplex consideratio, secundum quam appropriatur:

Sanctus Thomas (5) praemittit quadruplicem considerationem, secundum quam distinguit quatuor appropriationes: « Intellectus noster, qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, oportet quod Deum consideret secundum modum quem ex creaturis assumit. In consideratione autem alicujus creaturae, quatuor per ordinem nobis occurrunt. Nam *primo,* consideratur res absolute, inquantum est ens quoddam. *Secunda* autem consideratio rei est, inquantum est una. *Tertia* consideratio rei est, secundum

(1) In I Sent., Dist. XXXIV, Q. II, a. unic.
(2) Cf. ILLmus L. JANSSENS, *o. c.*, p. 685.
(3) Pluries attribuuntur Spiritui Sancto opera *ad extra* quae pertinent ad sanctificandos homines: v. gr. *1 Cor.*, XII, 4-11; *Act.* XIII, 2, XX, 28. Cf. suprà, n. 640.
(4) *Sum. theol.*, I, Q. XXXIX, a. 7.
(5) *Ibid.*, a. 8.

quod inest ei virtus ad operandum et ad causandum. *Quarta* autem consideratio rei est secundum habitudinem quam habet ad causata. Unde haec etiam quadruplex consideratio circa Deum nobis occurrit ».

Inde quatuor habentur praecipuae appropriationes.

860. 1°) *Patri aeternitas, Filio pulchritudo, Spiritui fruitio;*

Prima, secundum quod consideratur absolute Deus secundum esse suum, desumitur a sancto Hilario (1) dicente quod « *infinitas* est in *aeterno* (= *Patre*), *species* in *imagine* (= *Filio*), *usus* in *munere* (= *Spiritu*) ». Igitur infinitas in aeterno, h. e. *aeternitas* appropriatur Patri: quia, quum proprietas Patris sit esse principium non de principio, cum hac proprietate similitudinem habet aeternitas, quatenus importat non-principiatum, existentem absque initio. — *Species* h. e. *pulchritudo,* appropriatur Filio: quia, quum proprietas Filii sit esse imago expressa Patris, cum hac proprietate similitudo habet pulchritudo, tum quatenus importat integritatem: Filius enim in se habet integre naturam Patris, tum quatenus importat perfectam proportionem: Filius enim est perfecte imago expressa Patris, perfecta repraesentatio Patris, tum quatenus importat splendorem: quia Filius, quum sit Verbum, est lux et splendor intellectus. — *Usus* hîc significat actum voluntatis quo aliquis cum gaudio utitur aliquo bono, seu de illo fruitur. Usus appropriatur Spiritui Sancto: quia, quum proprietas Spiritus sit procedere secundum Dei amorem suimetipsius, cum hac proprietate similitudinem habet *fruitio,* qui est actus voluntatis possidentis cum gaudio rem amatam.

861. 2°) *Patri unitas, Filio aequalitas, Spiritui connexio;*

Secunda appropriatio, secundum quod consideratur Deus ut unus, consistit in hoc quod Patri attribuatur *unitas,* Filio *aequalitas,* Spiritui *concordia* seu *connexio* (2). *Unitas* dicitur absolute, non praesupponens aliquid aliud, et ideo appropriatur Patri, qui non praesupponit aliam personam, cum sit principium non de principio. — *Aequalitas* autem importat unitatem in respectu ad alterum: ideo appropriatur Filio, qui est principium de principio. — *Connexio* importat unitatem aliquorum duorum; ideo appropriatur Spiritui qui a duobus procedit.

862. 3°) *Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui bonitas.*

Tertia appropriatio, secundum quod consideratur Deus ut principium causandi ad extra, attribuit Patri *potentiam,* quia, quum potentia habeat rationem principii ex quo procedunt res factae, habet specialem similitudinem cum Patre, qui et quatenus est principium totius divinitatis; — Filio attribuit *sapientiam,* quippe quae, quum sit scientia, secundum quam res causantur (cf. suprà, n. 384 ss.), habet specialem similitudinem cum Verbo, quod nihil aliud est quam conceptus sapientiae; Spiritui attribuit *bonitatem,* quippe quae, quum sit ratio et objectum amoris, ex quo existunt res (cf. suprà, n. 437, 477), habet specialem similitudinem cum Spiritu, qui procedit ut Amor. — Illa appropriatio maxime adhibetur.

---

(1) *De Trinitate,* L. II, n. 1, P. L., t. X, col. 50.
(2) S. AUGUSTINUS, *De doctrina christiana,* L. I, c. V, n. 5, P. L., t. XXXIV. col. 21.

863. 4°) Pater dicitur EX QUO, *Filius* PER QUEM, *Spiritus* IN QUEM *sunt omnia.*

Quarta appropriatio (1), secundum quod consideratur Dei habitudo ad causata, consistit in hoc quod tres Personae respective designantur in hoc textu Apostoli, *Rom.*, XI, 36: « Ex ipso et per ipsum et in ipso [h. e. in ipsum] sunt omnia ». Particula *ex* designat hîc habitudinem effectus ad causam efficientem, cujus ratio competit Deo ob potentiam activam, quae appropriatur Patri: ideo *ex* quo significat ex *Patre*. — Particula *per* designat hîc habitudinem formae per quam agens operatur: haec autem est sapientia et ars, quae appropriantur Filio: ideo *per* quem significat per *Filium*. — Particula *in* designat hîc habitudinem ad causam finalem, quae est bonum propter quod agens operatur, bonum autem appropriatur Spiritui: ideo *in* quem significat in *Spiritum Sanctum*.

864. Patri tribuitur creatio, Filio pulchritudo rerum, Spiritui sanctificatio.

Adnotatio. 1° Quas modò exposuimus, illae sunt praecipuae appropriationes (2), sed aliae etiam dari possunt (3). Hucusque locuti sumus de *essentiae divinae perfectionibus* quae specialiter tribuuntur uni personae, sed etiam *opera* divina appropriationis sunt materia. Ita, v. gr., Patri specialiter tribuitur rerum *creatio,* quum sit effectus praesertim ad omnipotentiam pertinens; Filio specialiter attribuitur rerum *ordo* et *pulchritudo* quum sit effectus praesertim ad sapientiam et artem pertinens; Spiritui specialiter tribuitur *sanctitas supernaturalis* angelorum et hominum et omnia quae in ordine sanctificationis includuntur, quia illi sunt effectus praesertim ad benignitatem et amorem pertinentes. Inde Spiritui tribuuntur donum prophetiae, inspiratio Scripturae Sacrae, incarnatio *active* spectata, renascentia spiritualis seu infusio gratiae, etc.

Inde dicitur de Spiritu Sancto: « Qui locutus est per prophetas » (4). « Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed, Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines ». *2 Petr.*, I, 20. — « Scripturas diligenter inspicite: quae vera sunt Spiritus Sancti oracula » (5). — « Qui [Christus] conceptus est de Spiritu Sancto », hîc incarnatio, *active* sumpta, quae totius Trinitatis est operatio, per appropriationem tribuitur Spiritui. — Licet homo baptizetur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, renascitur tamen ex aqua et Spiritu Sancto. « Spiritus unicuique capacium, quasi soli adstans, sufficientem omnibus gratiam atque integram infundit » (6).

865. Redemptio non appropriandа Filio.

2° Quidam auctores censent per appropriationem tribui Patri creationem, Filio *redemptionem,* Spiritui Sancto sanctificationem.

Hoc nequit admitti, ut videtur, quoad redemptionem. Si enim redemptio consideratur in Deo, ut est benignissima volitio divina eripiendi humanum genus a perditione, tunc Spiritui Sancto est attribuenda, quippe quae est insigne opus amoris Dei. Si vero consideratur redemptio ut opus Filii, nempe incarnatio, *passive* accepta,

(1) Cf. S. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, t. VI, c. X, n. 12, P. L., t. XLII, col. 932.

(2) Sensu aliquantisper diverso proponuntur ab aliis auctoribus: de sententia Richardi a Sancto Victore, cf. ILLmus L. JANSSENS, *o. c.*, p. 690 ss. Suam mentem exponit S. BONAVENTURA, *In I Sent.*, dist. XXXI, a. 1, q. 3 et a. 2, dist. XXXIV, q. 3; *Breviloquium*, P. I, a. 6, *Opera omnia*, t. I, p. 548, 592, t. V, p. 214. Hic ultimus locus citatur ab ILLmo AC REVmo WAFFELAERT, *Medit. theol.*, in *Collat. Brug.*, t. IV, p. 435 ss.; *Méditations théologiques*, t. I, p. 317 ss.; *Goddelijke beschouwingen*, bl. 382 vv.

(3) Cf. S. THOMAS, *l. c.*

(4) *Symb. Epiphanii, Enchir.*, n. 13; etiam in symbolo quod recitatur in Missa.

(5) S. CLEMENS ROM., *ad Cor.*, XLV, 2. — Alios textus videsis ap. PESCH, *De inspiratione Sacrae Scripturae*, n. 37 ss.

(6) S. BASILIUS, *De Spiritu Sancto*, c. IX, n. 22, P. G., t. XXXII, col. 109

terminata ad solum Filium, et operatio Verbi incarnati ejusque voluntaria passio et mors, quibus pro nobis satisfecit et nobis meritus est omnem gratiam, tunc redemptio soli Filio *propria* est et ut talis de ipso est praedicanda, non autem per appropriationem.

866. De nomine Verbum,

3° Nomen *Verbum* significat *proprie* conceptum intellectus, ergo aliquid ab alio procedens: quapropter nomen Verbum, secundum quod *proprie* accipitur in divinis, non sumitur essentialiter, sed *personaliter* seu notionaliter tantum (v. suprà, n. 700, 708, 731bis, 834), et est nomen proprium Filii (1), proinde non potest appropriari alii personae.

amor.

Nomen *amor* in divinis sumi potest vel essentialiter et tunc potest appropriari Spiritui, vel personaliter et tunc est nomen proprium solius Spiritus (cf. suprà, n. 726) (2).

ARTICULUS IIus. **De usu et de suppositione nominum.**

I. *De usu nominum.*

867. Rei momentum.

Neminem latet quanti sit momenti accurata selectio vocabulorum ac locutionum ut veritas ipsa rite exprimatur, doceatur, propugnetur. Praeterea « etsi forsan aliquando contingat, veritatem catholicam etiam aliis terminis recte atque concinne exprimi posse, semper verum est, modum loquendi inusitatum favere confusioni, et longe facilius quam terminos consuetos viam sternere ad errorem aut gliscentem errorem contegere. Plures siquidem termini diuturna consuetudine acceperunt sensum ita restrictum ac determinatum, ut ab omnibus catholicis eodem prorsus modo intelligantur, unde erroris tum periculum tum suspicionem efficacius excludunt. Hinc Magisterium Ecclesiae saepius animadvertit in eos qui sanam loquendi formam violabant aut incaute relinquebant » (3).

868. Regulae servandae in sermone de SS. Trinitate.

Quaedam nobis stabiliendae sunt *regulae*, quibus determinetur modus quo utamur nominibus, ut sermo noster accurate exprimat mysterium SS. Trinitatis et conclusiones quas logice inferimus ex illo dogmate. Illae regulae fundantur tum ipsi veritati exprimendae, tum rationi significandi, quam habent vocabula ex modo *nostro* intelligendi, tum principiis logicae.

869.

A. CIRCA PRAEDICATIONEM ESSENTIALIUM DE PERSONIS ET PERSONALIUM DE ESSENTIA (4).

innituntur distinctioni inter nomina abstracta et concreta.

Praenotandum. Nomina substantiva sunt vel *abstracta vel concreta* (5). *Abstracta* significant formam (aut quasi-formam) ut per se stantem et praecisam a subjecto cui inhaereat: ut si dicas *humanitatem, divinitatem, sapientiam*. Terminus igitur abstractus solam ac nudam importat *formam*, illam scilicet quae quolibet nomine significatur. *Concreta* exhibent subjectum certa quadam forma vel quasi-forma indutum, ex gr., *homo, Deus,*

---

(1) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXXIV, a. 1.
(2) ID. *o. c.*, Q. XXXVII, a. 1; legatur etiam S. BONAVENTURA, in *I Sent.*, Dist. X, a. 2, q. 1. concl., ubi exponit quomodo in divinis dilectio accipiatur *essentialiter, notionaliter* et *personaliter*.
(3) VAN NOORT, *o. c.*, n. 248.
(4) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXXIX, a. 3; card. BILLOT, *o. c.*, thes. XXXI: VAN NOORT, *o. c.*, n. 249.
(5) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 15.

sapiens. Terminus igitur concretus duo importat, *subjectum* scilicet et *formam,* quae et quatenus concrescunt in unum. — Termini *abstracti* omnes sunt logice *substantivi:* licet enim forma significata forte non sit subsistens reipsa, ea tamen *ad modum per se stantis concipitur et absolute,* i. e. praecise a subjecto.

Termini *concreti* alii sunt *substantivi,* qui designant res vere per se subsistentes; alii vero sunt *adjectivi,* qui formam vel quasi-formam significant per modum novae determinationis adjacentis vel superadvenientis subjecto jam constituto.

Illa distinctio inter nomina abstracta et concreta, substantiva et adjectiva est necessaria sequela nostri modi cognoscendi: omnis enim nostra naturalis et intellectualis cognitio est a rebus materialibus et per sensus, adeoque fundatur tota in cognitione entium revera compositorum (1), in quibus realiter aliud est subjectum et aliud est forma, aliud substantia et aliud accidens. Quapropter iisdem nominibus est nobis utendum, quando loquimur de Deo, licet nulla in eo sit compositio substantiae et accidentis, nec essentia divina sit subjectum qualitatum (cf. suprà, n. 143, 176) (2). Quum igitur necesse sit nobis concipere divina notionibus desumptis a rebus materialibus, necnon conceptionem nostram exprimere nominibus correspondentibus notionibus illis, oportet etiam ut regulas logicae sequamur in usu vocabulorum.

870. Nomina substantiva, essentiam divinam significantia, praedicantur de tribus Personis in singulari;

1° *Nomina, quae* SUBSTANTIVE ESSENTIAM *divinam significant, praedicantur de tribus Personis* IN SINGULARI; *quae* ADJECTIVE *autem* IN PLURALI.

Etenim *a*) nomina *substantiva* significantia essentiam divinam *in concreto,* significant essentiam divinam ut formam secundum quam existit subjectum, importantque et subjectum et formam; quapropter eatenus *in plurali* adhiberi possunt, quatenus revera multiplicantur et *subjecta* et *formae:* jamvero essentia divina non est multiplicata aut multiplicabilis: igitur illa nomina non nisi *in singulari* adhiberi possunt. Ideo dicendum est: Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt Deus, Creator, Dominus (cf. suprà, n. 780). Etiam si vocabula omnipotens, immensus, etc. sumuntur *substantive,* debent in singulari adhiberi. Ideo dicendum est: in Deo tres sunt unus Omnipotens, unus Immensus, etc.

Substantiva abstracta etiam nequeunt in plurali adhiberi nisi quando formae per illa significatae revera multiplicantur: quod in Deo non obtinet. Ideo dicendum est: Pater, Filius, Spiritus S. sunt Deitas, una sapientia, una potentia.

adjectiva vero in plurali.

b) *Adjectiva* vero, quia significant formam (vel quasi-formam) per modum qualitatis adjacentis subjecto, habentisque esse in subjecto, ideoque unitatem vel multitudinem secundum unitatem vel multitudinem subjectorum, hinc est quod nomina adjectiva praedicantur in plurali, quando exhibent formam pluribus subjectis convenientem; idem valet de participio. Inde

(1) Quapropter objectum proprium ac specificativum intellectus humani secundum praesentem statum unionis ad corpus est quidditas sive natura in materia corporali existens. Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 416.

(2) Cf. S. THOMAS, *Compendium theologiae,* c. XXIV.

dicendum est: Pater, Filius, Spiritus sunt sapientes, omnipotentes, aeterni; creantes, gubernantes, etc.

Confirmatur tota assertio ex modo loquendi adhibito in symbolo dicto Athanasiano (1): « Quia, sicut singillatim unamquamque Personam, Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita *tres Deos* aut *Dominos dicere* catholica religione *prohibemur*... Totae tres personae *coaeternae* sibi sunt et *coaequales* ».

Vocabula autem: increatus, immensus, aeternus, omnipotens, sumuntur *substantive*, quando dicitur: increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus; immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus; aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus: et tamen non tres aeterni, sed *unus aeternus;* sicut nec tres increati, nec tres immensi, sed *unus increatus* et *unus immensus:* similiter... *unus omnipotens,* etc.

871. Objectio solvitur.

Objectio. Sicut *homo* significat subjectum habens humanitatem, ita *Deus*, servata analogia, significat subjectum habens divinitatem; atqui sunt tria subjecta habentia divinitatem; ergo sunt tres Dii.

R. *Dist. Maj.* Sicut *homo*... ita *Deus*... hoc tamen sensu quod *homo* significat subjectum habens humanitatem *realiter multiplicabilem* secundum subjecta, *Deus* autem divinitatem *unicam* et prorsus *immultiplicabilem, conc.;* secus, *nego.*

Contradist. min. Sunt tria subjecta habentia divinitatem *unicam* et prorsus *immultiplicabilem, conc.;* secus, *nego.*

Inde negatur consequentia et consequens.

Et sane, quemadmodum supra diximus, ut substantivum concretum possit dici *in plurali,* oportet ut *subjectum* et etiam *forma* revera multiplicentur. « Haec igitur est ratio quare Socratem et Platonem, et Ciceronem dicimus tres homines; Patrem autem et Filium, et Spiritum Sanctum, non dicimus tres Deos, sed unum Deum; quia in tribus suppositis humanae naturae, sunt tres humanitates, in tribus autem Personis est una divina essentia » (2).

872. Substantiva quae Personas significant possunt praedicari in singulari de substantivis quae essentiam significant;

2° *Nomina, quae* SUBSTANTIVE PERSONAS *divinas significant, possunt praedicari* IN SINGULARI *de substantivis quae essentiam significant; possunt etiam praedicari* IN PLURALI *de substantivis quae plures Personas exhibent* (3).

Etenim *a*) divina Persona et omne quod ad eam pertinet, est realiter idem ac essentia divina. Inde dici potest: Deus est Pater, Pater est Deus, etc. — Divinitas est Paternitas, Divinitas est Pater, Divinitas est Filius...; — Paternitas est Deus; Deus est Trinitas; Divinitas, vel Deus est Trinitas, Trinitas est Deus; — Sancta Trinitas (est) unus Deus; — Divinitas est Genitor.

---

(1) *Enchir.*, n. 39.
(2) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXXIX, a. 3.
(3) Nomina quae ipsam essentiam divinam aut attributa essentialia, abstractione facta a Personis, exhibent, dicuntur saepe *essentialia;* quae vero Personas aut proprietates Personarum vel personales (cf. suprà, n. 786), *personalia* vel *notionalia.*

et in plurali de substantivis quae plures Personas designant.

b) Quum réaliter plures, scilicet tres, sint Personae, ideo dicendum est: Pater, Filius, Spiritus sunt tria supposita, tres hypostases, tres personae. — Pater et Filius sunt duo spirantes (ad modum participii activi), sed unus Spirator (cf. suprà, n. 727).

873. De differentia inter vocabulum ENS *et vocabulum* RES.

Nota. Licet vocabula *ens* et *res* designare possint essentiam divinam et sint utrumque de transcendentibus, differentia tamen notanda est inter illa *quoad modum significandi. Res* enim sumitur a quidditate, *ens* vero ab esse existentiae. Quia igitur *esse* non multiplicatur in Deo, non sunt ibi plura entia (substantive); sed forma, sive *quidditas relativa,* h. e. ipsa relatio, multiplicatur, et ideo hoc nomen *res* dici potest *pluraliter* secundum quod pertinet ad *relationes, singulariter* vero secundum quod pertinet ad *substantiam* (1). Inde dici potest: in Deo sunt tres res, h. e. tres personae; etiam dici potest: « Una quaedam summa res est [h. e. substantia divina] incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus » (2).

874. Dicendum est: Deus est TRINUS, *non:* TRIPLEX;

B. CIRCA QUASDAM LOCUTIONES SPECIALITER APPROBATAS AUT IMPROBATAS. Dicendum est:

a) Deus est *trinus:* quia unicà naturà seu assentià divinà sunt tres Personae. — Non vero: Deus est triplex, quia vox triplex naturae divisionem aut multiplicationem insinuare videtur.

Inde Concilium Toletanum XI (3): « Haec est Sanctae Trinitatis relata narratio: quae non triplex, sed trina et dici et credi debet. Nec recte dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas ». Nempe nequit dici in uno Deo est Trinitas ac si in Deo esset aliquid praeter Trinitatem: sed Trinitas est ipse Deus.

875. Deus est in tribus DISTINCTIS, *non:* DISTINCTUS *in tribus;*

b) Deus unus est in tribus *distinctis,* scilicet Personis. — Non vero Deus est in tribus distinctus vel divisus: ne ulla cogitetur divisio in ipsa natura divina.

Inde Pius VI, an. 1794, improbat assertum synodi Pistoriensis, quatenus: « Dum posteaquam rite praemiserit, Deum in suo Esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens, ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus: cujus formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam » (4).

876. Pater est ALIUS *a Filio, non:* ALIUD;

c) Pater est *alius* a Filio, alia persona a Filio. — Non vero: Pater est *aliud* a Filio, ne cogitetur aliam esse naturam seu essentiam Patris et aliam naturam aut essentiam Filii. Cf. textum suprà, n. 167.

877. tres Personae sunt UNUM, *non:* UNITAE.

Symbolum dictum Athanasianum dicit: « Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes; alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas » (5). Inde recte dicitur: Pater est distinctus a Filio — non vero: Pater est divisus, separatus, dispar a Filio.

d) Pater, Filius, Spiritus (vel tres Personae divinae) sunt *unum, unum*

---

(1) Ita docet S. THOMAS, *In I Sent.*, dist. XXV, Q. I, a. 4.
(2) Ita loquitur *Concilium Lateranense IV, Enchir.*, n. 432. Cf. suprà, n. 167.
(3) *Enchir.*, n. 278.
(4) *Enchir.*, n. 1596.
(5) *Enchir.*, n. 39.

ens, una natura, una divinitas, unus Deus: cf. suprà, n. 872. Non vero recte dicitur: tres Personae sunt *unitae:* quia unita dicuntur illa quae, quum sint ab invicem distincta realiter secundum *aliquid absoluti,* conjunguntur ad invicem; hoc autem non obtinet in Deo, in quo solae *relationes* sunt ab invicem distinctae, quae singulae sunt *idem ens absolutum,* nempe esse divinum, cf. suprà, n. 742, 745 (1).

II. *De suppositione terminorum.*

878. Suppositio termini definitur,

Ad rectitudinem sermonis servandam in materia de SS. Trinitate, attendendum est ad id quod vocatur *suppositio* terminorum.

Suppositio (2) est acceptio *termini substantivi* (nam adjectiva non supponunt sed copulant) *pro aliqua* ex rebus quas nomen natum est designare.

differt a significatione vocabuli.

Differt igitur *significatio* a suppositione: significatio enim antecedit suppositionem et latius patet: quum enim vocabulum possit designare plures res in quibus ratio per nomen significata inveniri potest, suppositio facit ut hîc et nunc vocabulum designet tantum aliquam rem (vel aliquas determinatas res) ex rebus quas natum est designare.

Inde apparet quod nomina non supponunt nisi in propositione, cujus sunt termini: nam ibi tantum, ex iis quae sibi copulantur, determinantur ad standum pro uno potius quam pro alio eorum quae inveniunt in latitudine sui significati.

Tandem animadvertes denominationem « suppositio » ex eo ortam esse quod voces rebus quasi substituuntur et pro rebus ipsis audienti supponuntur.

879. Nomina substantiva essentialia concreta supponere possunt et pro essentia divina et pro Personis: quod constat: ex documentis fidei,

1° *Nomina* SUBSTANTIVA ESSENTIALIA (h. e. significantia essentiam divinam vel attributa ejus absoluta) CONCRETA *supponere possunt et pro* IPSA ESSENTIA *divina, et pro* PERSONIS, *sive pro una tantum, sive pro duabus, sive pro tribus simul.*

Etenim A) talis suppositio de facto invenitur in documentis fidei, in precibus liturgicis et in sermone theologico.

a) Vocabulum *Deus* supponit pro *essentia divina* in definitione Concilii Vaticani: « Sancta... Ecclesia credit et confitetur unum esse *Deum* verum et vivum, creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem... qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis *substantia* spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus... » (3).

Vocabulum *Deus* supponit pro *Personis tribus simul sumptis* in formula

(1) Videisis SUAREZ, *De Trinitate,* L. IV, c. XIII, n. 5, *Opera omnia,* t. I, p. 644 s. Recte dicitur: In Christo humana natura est *unita* Verbo, vel τῷ esse divino sub incommunicabili relatione filiationis: quia illa humana natura est ens *absolutum,* quod est et remanet realiter distinctum a termino cui conjungitur. Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* III, Q. II, a. 3 et 4, Q. III, a. 4, Q. XVII, a. 2.

(2) Cf. card. BILLOT, *o. c.,* thes. XXXII.

(3) *Enchir.,* n. 1782.

quae dicitur « Libellus in modum Symboli »: « Credimus in unum *Deum* verum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, visibilium et invisibilium factorem... [credimus] unum Deum et unam esse divinae substantiae Trinitatem » (1).

Vocabulum *Deus* supponit pro *una* Persona, quando dicitur in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano: « Credimus... in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei..., *Deum* verum [h. e. Filium] de *Deo* vero [h. e. Patre] » (2). — Etiam quoties dicitur Mariam esse *Dei* [h. e. solius Filii] genitricem (3).

880. ex precibus liturgicis,

b) In orationibus *liturgicis* vocabula *Deus, Dominus,* quandoque pro Patre, quandoque pro Filio, supponunt: suppositio praecipue est cognoscibilis ex conclusione, qua finitur oratio.

V. gr., vocabulum *Dominus* supponit pro *Patre:* « Excita, Domine, corda nostra ad praeparandas Unigeniti tui vias... Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus... » *Or. Dom. II Adventus.*

Vocabulum *Deus* supponit pro *Patre:*

« Concede quaesumus omnipotens *Deus:* ut nos Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet... Per eumdem Dominum nostrum... » *Or. in festo Nativitatis.* — « *Deus,* qui hodierna die corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti... Per Dominum nostrum... » *Or. in festo Pentecostes.*

Vocabulum *Dominus* supponit pro *Filio:* « Excita, quaesumus *Domine,* potentiam tuam et veni... Qui vivis et regnas cum Patre in unitate Spiritus Sancti Deus... » *Or. Dom. I Adventus.* — « Aurem tuam, quaesumus *Domine,* precibus nostris accommoda... Qui vivis et regnas... » *Or. Dom. III Adventus.*

Vocabulum *Deus* supponit pro *Filio:* « *Deus,* qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti... Qui vivis et regnas... » *Or. in festo Corporis Christi.* — « Peccat caro, mundat caro, regnat *Deus* Dei caro ». *Hymn.* « Aeterne Rex » *in festo Corporis Christi* — « Quando natus es ineffabiliter ex Virgine... te laudamus *Deus* noster ». 2ª *antiph. ad Laudes in Circumcisione Domini.*

Vocabulum *Creator* supponit pro *Filio:* « *Creator* alme siderum, Aeterna lux credentium, Jesu, Redemptor omnium... *Hymn. ad Vesp. temp. Adventus* — « O admirabile commercium, *Creator* generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est... » *1ª antiph. ad Laudes in Circumcisione Domini.*

881. ex sermone theologico;

c) Apud theologos, vocabulum *Deus* quandoque « supponit pro essentiâ, ut cum dicitur *Deus creat;* quandoque vero supponit pro Persona, vel una sola, ut cum dicitur *Deus generat;* vel duabus, ut cum dicitur: *Soli Deo honor et gloria* » (4). Etiam recte dicitur: *Deus* est *Trinitas:* tunc vocabulum *Deus* supponit pro tribus Personis simul sumptis (5).

882. idem demonstratur

B. *Ex ratione theologica demonstratur assertio* (6).

Ex professo loquimur de vocabulo *Deus,* sed idem dici potest de aliis

(1) *Enchir.*, n. 19.
(2) *Enchir.*, n. 86.
(3) Cf. *Enchir.*, n. 113, *Collat. Brug.*, t. IV, p. 633 ss.
(4) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXXIX, a. 4. — In propositione « Deus creat » vocabulum *Deus* posset intelligi supponere pro tribus Personis simul sumptis, et in propositione: « Soli Deo honor » vocabulum *Deo* posset, ut videtur, intelligi supponere pro essentia divina. Videsis SUAREZ, *o. c.*, c. XIV, p. 644 ss., et L. VI, c. VII, p. 686 ss.
(5) Ex dictis animadvertes veram etiam esse hanc propositionem: *Pater est idem Deus qui est Filius:* falsas autem esse has: Pater est idem qui Filius, Deus Pater est Deus Filius. Cf. SUAREZ, *o. c.*, c. XIII, n. 3, p. 643.
(6) Cf. card. BILLOT, *o. c.*, thes. XXXII.

ratione theologica.

substantivis essentialibus *concretis,* qualia sunt: Omnipotens, et, supposita rerum existentia, Creator, Dominus.

Quum suppositio dependeat a significatione vocabuli, imprimis haec est determinanda.

Jamvero si considerantur notiones, quae exprimuntur vocabulis *Deus, Divinitas,* patet illas differe non quidem sicut rationes duorum diversorum generum, puta substantiae et relationis (cf. suprà, n. 738), sed sicut rationem concreti et abstracti in uno eodemque genere substantiae.

Porro significatio vocabulorum, quibus oportet utamur, analogice applicanda est iis quae de Deo dicimus.

Substantivum autem *concretum, quoad* ipsum *modum significandi* designat formam (vel quasi-formam) ut in habente eam: ratio est quia, apud nos, nullum subsistens est sua natura, sed est solum habens suam naturam: ita v. gr. *homo,* quoad modum significandi, designat humanitatem ut in habente eam, ut realem in subjecto quodam. Substantivum vero concretum, *quoad* ipsam *substantiam significationis,* designat rem alicujus naturae ut subsistentem seu subsistens subjectum alicujus naturae: ita, v. gr. *homo,* quoad substantiam significationis, designat individuum humanum, subsistens subjectum humanae naturae.

« Nunc igitur, si in hoc nomine *Deus,* consideres significationem quoad substantiam, sic nihil aliud dicit nisi esse absolutum, id est, *substantiam divinam,* quam norunt etiam Philosophi, et quae per seipsam, praecisione facta a Personis, subsistens est (1). Sed si modus significationis consideretur, sub nomine *Deus* cadit *habens deitatem.* Dictum est autem supra, quod, non obstante subsistentia divinae naturae, ipsa potest significari, etiam ut forma quae habetur a Personis (2); ac per hoc significatio nominis *Deus,* quasi secundario extenditur ad *Relativum,* sub ratione suppositi deitatem habentis » (3). Unde terminus *Deus* supponere potest et pro ipsa *essentia divina* et pro *Personis.*

883. Vocabulum DEUS *eamdem significationem habere potest apud philosophum non christianum ac apud christianum;*

Nota. Sicuti modò dictum est, vocabulum *Deus* designare potest ipsam *essentiam divinam:* tunc autem eamdem habet significationem quam idem vocabulum habet apud philosophos non christianos, nempe nescientes dogma SS. Trinitatis. Etenim nostra naturalis cognitio, quam ope ratiocinii circa Deum acquirimus ex rebus creatis, est omnino vera, et immutabiliter vera remanet etiam quando a nobis cognoscitur et creditur SS. Trinitas: ratio est quia intellectus noster considerare potest ipsam essentiam divinam, nempe ipsum Esse, infinitum in perfectione etc., *abstractione facta* a rela-

---

(1) Etenim Esse per se subistens est illud supremum ens, quod dicitur Deus (cf. suprà, n. 24) et illud Esse est ipsa esentia divina, quae proinde est id *quod* est, *quod* existit, *quod* operatur. Cf. suprà, n. 149, 160, 336.

(2) Etenim divina Persona nihil est aliud quam *relatio incommunicabilis subsistens,* subsistens scilicet per realem identitatem cum Esse per se subsistente, quod est natura divina. Cf. suprà, n. 742, 761. Porro, quoad modum significandi, vocabulum *Deus* significare potest divinitatem ut in relatione incommunicabili seu ut in hypostasi divinitatis, et proinde ut forma quae habetur a Personis divinis.

(3) Card. BILLOT, *l. c.*

tionibus quae, secundum id quod revelavit Deus, realiter identificantur cum ipsa essentia divina. Quapropter christianus philosophus et fidelis potest vocabulum *Deus* adhibere *eodem sensu* quo illud adhibet infidelis vel incredulus (1).

884. quod ulterius demonstratur ex consectarii opinionis adversae.

Si res non ita se haberet, gravissimum consequeretur incommodum, imo et error (2). Etenim *a*) si vocabulum *Deus* non significaret ipsam essentiam divinam, abstractione facta a Personis, negandus foret valor objectivus totius theodiceae seu theologiae naturalis. Etenim haec prorsus nescit relationes intra Deum existentes et solum pertingit ad cognitionem essentiae absolutae, de qua demonstrat quod sit purum Esse subsistens, derivando inde caetera omnia divinitatis attributa (cf. suprà, n. 158 ss). Sed haec demonstratio falsa evaderet vel certe foret contradictio revelationem inter et rationem, si secundum revelationem, non haberet natura divina in sua formali ratione quod subsistat; tunc enim vera ratio subsistentiae non posset amplius attingi, non cognitis personalibus proprietatibus, tribuentibus, ut supponitur, ipsum subsistere (3). — *b*) Si vocabulum *Deus* non significaret ipsam essentiam divinam, abstractione facta a Personis, non esset idem quod ut Deum philosophus per ea quae facta sunt, cognoscit atque considerat, et quod ut Deum nos, secundum Trinitatis fidem, credimus et confitemur; imo vero, nulla esse posset *vera* notio Dei, in omni eo qui nondum de hoc altissimo mysterio fuit eruditus, quod absit. Certo enim tenendum est eamdem omnino esse *significationem* hujus nominis *Deus*, sive apud philosophum sive apud theologum: eo quod de formali ratione Dei non est, neque Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus (4); sed est solum realis identitas hujus summi Dei, seu infinitae essentiae in se subsistentis, cum tribus personalibus relationibus, quibus distincta supposita constituuntur. Quapropter revelatio aliquid *addit* supra id ad quod naturalis ratio pertingit, sed *nihil immutat* in omnibus notionibus, quas ex puro rationis fonte haustas accepimus et firmiter retinemus.

885. Nomina substantiva essentialia abstracta non possunt supponere pro Persona;

2° *Nomina* SUBSTANTIVA ESSENTIALIA ABSTRACTA *nullatenus possunt supponere pro Persona;* ADJECTIVA *porro significantia* PROCESSIONEM *nequeunt de illis substantivis praedicari.*

Primi asserti ratio est quia substantiva abstracta significant formam ut in se subsistentem, nec important subjectum quod formam habet, consequenter nequeunt supponere pro distincta hypostasi vel persona. Ita vocabula divinitas, omnipotentia, sapientia, etc., nequeunt supponere pro una Persona divina vel pro tribus (5).

nec adjectiva processionem significantia

Secundi asserti ratio est quia adjectiva significant formam per modum qualificationis quae affigitur ei pro quo substantivum supponit. De quo-

---

(1) Inde non admittimus sententiam quam tenent ILLmus JANSSENS, *De Deo Trino*, p. 670; PÈGUES, *Comment. franç. litt. de la Somme théoligique*, t. III, p. 479, 496, dicentes aliquid necessario diversum esse inter sensum vocis *Deus* pro philosopho christiano et non-christiano.

(2) Quae sequuntur desumimus a card. BILLOT, *o. c.*, p. 587 s.

(3) Hoc argumento confirmatur id quod, suprà, n. 769, diximus de significatione nominis *subsistentia*.

(4) Hic in memoriam revocemus quod suprà, n. 733-739, exposuimus de ratione *relationis:* etenim formaliter et simpliciter seu adaequate diversa est ratio et notio *relationis* a ratione et notione *substantiae*. Quapropter de formali ratione Dei, considerati ut Esse subsistentis, non sunt relationes quibus constituuntur Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

(5) Suprà, n. 872, admisimus recte dici: Divinitas est Pater. In hac propositione affirmatur identitas objectiva inter id quod significatur nomine *Divinitas* et id quod significatur nomine *Pater*, sed vocabulum *Divinitas* non supponit pro Patre: ut vocabulum divinitas posset supponere pro Patre requireretur etiam *idem modus significandi*, qui hic non habetur. Ad rem S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. XXXIX, a. 5 ad 3: « Essentia divina praedicatur de Patre per modum identitatis, propter divinam simplicitatem. Nec tamen sequitur quod possit supponere pro Patre, propter diversum modum significandi ».

possunt praedicari de illis substantivis abstractis.

cumque ergo nomine supponente pro sola essentia divina, non possunt praedicari adjectiva vel participia significantia *processionem,* quia essentiae divinae, qua tali, non convenit processio. Adeoque dici nequit: essentia divina est generans, vel genita, aut spirans, etc. (1).

886.

Nota. Suprà, n. 869, indicavimus modum significandi qui proprius est vocabulo *res.* Secundum hoc potest supponere pro Persona divina, necnon dici potest: essentia divina est *res generans.* Potest etiam dici; essentia divina est res non generans, si res tenetur pro essentia (2).

887. Conclusio totius explicationis dogmatis.

Conclusio.

Quae diximus circa significationem et suppositionem vocabuli *Deus,* logice nos reducit ad id quod est cardo totius scientificae explicationis de dogmate SS. Trinitatis, scilicet ad rectam notionem *relationis.* Quapropter expositioni nostrae finem facimus, ponendo prae oculis tria asserta quibus exprimuntur notae distinctivae illius doctrinae quam propugnavimus:

1. Relatio remanet relatio et non vertitur in absolutum.

2. Propria Personarum nihil aliud sunt quam relationes.

3. Ex distinctionibus rationis praecipuae solutiones deducuntur (3).

888. Compendium explicationis.

Compendium.

Utile ducimus hîc adjungere synopsim in qua indicantur summa capita quibus continetur expositio scientifica dogmatis SS. Trinitatis.

A revelato dogmate acquirimus distinctam cognitionem

I. Ex sola Revelatione divina cognoscimus esse in unico Deo tres subsistentes realiter ab invicem distinctos, nempe Patrem, Filium et Spiritum Sanctum; Filium procedere a Patre et Spiritum a Patre Filioque procedere (n. 634, 829).

889. de divinis processionibus,

II. Ad hoc dogma exponendum:

1° inquisivimus de **processionibus.** Processio autem est origo unius ab alio. Quae in Deo non importat aliquam operationem realiter distinctam a divina substantia, nec aliquem effectum in Deo productum: consequenter processio, in Deo, est *secundum operationem* et *per modum operati* (n. 690-697).

Prima processio in Deo, nempe processio Filii, est secundum operationem *intellectus,* et procedens se habet ut Deum intellectum in Deo intelligente se: inde huic procedenti proprie competit nomen *Verbum* (n. 699-702). — Jamvero procedens ut intellectum (h. e. ut res intellecta in esse intellecto) necessario et formaliter vi originis procedit *in similitudinem* sui principii et quum, in Deo, illud sit necessario idem realiter ac ipsa natura divina, ideo

---

(1) Inde in Concilio Lateranensi IV definitum est: « Quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat et Filius qui gignitur et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, et unitas in natura ». *Enchir.,* n. 432. Concilium hoc loco non praecise modum loquendi definit, sed ipsam veritatem, nempe quod essentia divina, quippe quae communis est et indistincta tribus Personis, non generat, nec gignitur. Cf. S. THOMAS, *Opusc. contra errores Graecorum,* c. IV.

(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.,* I. Q. XXXIX, a. 5, ad 4.

(3) Cf. card. BILLOT, *o. c., Epilogus,* § II.

habetur vivens procedens in similitudinem *naturae:* consequenter hîc procedens est vere *genitus* et sua processio est proprie *generatio* (n. 707).

Secunda processio in Deo non potest esse nisi secundum operationem *voluntatis* et procedens se habet ut Deum amatum in Deo amante se: inde huic procedenti competit (sensu bene explicando) nomen *Amor* (n. 721-724). — Sed procedens in voluntate non procedit, formali ratione originis, in similitudinem principii, sed ut inclinatio in rem amatam: consequenter processio secundum operationem voluntatis non est generatio; dicitur autem *spiratio* (n. 725-726). — Quum autem processio secundum operationem voluntatis non sit nisi ex praesupposita processione secundum operationem intellectus, ideo Spiritus procedit a Patre et Filio seu a Patre per Filium (n. 711-720).

890. inde de relationibus,

2° Quum procedens significet formaliter: qui est *ab alio,* inde ratio processionis importat **relationem** originis seu relationem principiati ad principium. Sed in ratione relationis principiati ad principium cointelligitur relatio correlativa principii ad principiatum.

Porro in ipso Deo dantur procedentes vi ipsissimae naturae divinae; consequenter *relationes,* mutuae et correlativae, quas important illae processiones, sunt *reales* in Deo. Ergo in Deo sunt bis duae relationes oppositae, scilicet duae secundum operationem intellectus, nempe paternitas et filiatio et duae secundum operationem voluntatis, scilicet spiratio activa et spiratio passiva: igitur *quatuor* sunt in Deo *reales relationes* (740-741).

Sed in Deo nequeunt esse accidentia, nec proinde inhaerentes relationes; eatenus igitur sunt in Deo reales relationes quatenus identificantur cum essentia divina seu quatenus sunt *subsistentes* (n. 742-744).

Attamen ratio formalis *relationis* est et remanet *adaequate distincta* a ratione formali *substantiae,* adeoque relationes quae ad invicem sunt *oppositae,* sunt etiam realiter ab invicem distinctae, licet realiter identificentur cum unica essentia divina (n. 738, 749): quapropter in Deo sunt *tres relationes realiter ab invicem distinctae,* scilicet paternitas, filiatio, spiratio passiva (n. 745-746).

891. et de Personi

3° Hae tres relationes sunt subsistentes et incommunicabiles, adeoque in Deo ter verificatur ratio *subsistentis distincte in natura intellectuali:* ergo sunt in Deo tres **Personae** (n. 760-766): singulae constituuntur relatione incommunicabili subsistente, nempe paternitate subsistente, filiatione subsistente, spiratione passiva subsistente, adeoque Personae sunt Pater, Filius, Spiritus Sanctus (n. 762).

892. quae sunt aequales et mutuo circumsedentes.

4° Tandem quum ratio formalis relationis non importet perfectionem, quum relationes in Deo sint subsistentes per identificationem cum ipso Esse subsistente, sequitur Personas divinas (quum nihil aliud sint quam incommunicabilis relatio subsistens) esse perfecte **aequales** in perfectione (n. 793-801) et singulas invicem **inesse in aliis duabus** (n. 804-808).

Scholion practicum.

893. Mysterium SS. Trinitatis est prae aliis excellentissima materia circa quam exercentur virtutes theologicae,

I. Ad singularum animarum sanctificationem supernaturalem operandam, maximam partem obtinet mysterium SS. Trinitatis a Deo revelatum.

1° Est enim objectum circa quod perfectissime *fides* exercetur: nam est altissimum omnium cognoscibilium, quum exhibeat id quod maxime intimum est in vita Dei et id quod propria ratione illustrat omnes divinas operationes tum *ad intra,* tum *ad extra:* ergo nihil hòc sublimius attingere, et nihil hòc amplius considerare potest homo quamdiu hac in terra degit. Praeterea quum nulla veritas sit magis supra captum creatae intelligentiae, hinc est quod credendo SS. Trinitatem homo plenissime suum intellectum subjicit Deo, indeque Deo gratissimum obsequium affert.

Quia fide SS. Trinitatis nobis elucet nova luce tum omnipotentia ac benignitas divina, tum infinita Dei perfectio, ideo ex praedicto mysterio validissime roboratur *spes* et inflammatur *charitas.*

894. virtus religionis,

2° Non solum virtutum theologicarum, sed etiam *religionis* exercendae aptissimam materiam praebet mysterium de quo agitur: nam ex illo cognito excitatur *reverentia* et *admiratio* erga Deum, inde adoratio et laus, etiam *gratiarum actio* propter bona quae nobis contingunt ex illius mysterii revelatione; praeterea *fidelis deprecatio* bonorum quibus indigemus, necnon, cum tristitia de *peccatis,* quibus Deo offensam intulimus, *satisfactionis* seu expiationis desiderium; tandem ordinatio totius vitae nostrae in hunc Deum glorificandum, tamquam in ultimum finem.

Quapropter Ecclesia hortatur fideles ut cunctam orationem et operationem incipiant et finiant invocatione et adoratione SS. Trinitatis, praesertim pio usu signi crucis, etiam in publica oratione singulos psalmos, hymnos et orationes concludit invocatione SS. Trinitatis; deinde animae mox decessurae misericordiam divinam implorando Ecclesia tamquam rationem congruam exauditionis exhibet illius animae fidem in SS. Trinitatem et cultum correlativum: « Licet enim peccaverit, tamen Patrem et Filium, et Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit » (1); praeterea defuncto fideli postulat « ut mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctae Trinitatis » (2). — Tandem SS. Trinitas est objectum cui primarium et supremum totius cultus christiani et summum locum occupat in sacra liturgia (3).

895. oratio mentalis.

3° *Orationis mentalis* (4), amplissimam materiam praebet SS. Trini-

(1) *Rituale Romanum,* tit. V, c. 7, *Ordo commend. animae.*
(2) *Ibid.,* tit. VI, c. 3, *oratio:* « *Non intres in judicium...* »
(3) Cf. CALLEWAERT, *De sacra liturgia universim,* n. 13 s.
(4) Licet inter auctores existant diversae controversiae circa ea quae pertinent ad orationem mentalem stricto sensu *mysticam,* plerique tamen tenent, et omnino tenendum est *essentialem* ac *specificam* dari differentiam inter orationem mentalem *communem,* etiam in supremo ejus gradu consideratam (quae saepe dicitur contemplatio *acquisita*) et orationem stricto sensu *mysticam* quae est contemplatio *infusa.* Cf. POULAIN, *Les grâces d'oraison*[s], 1e P., ch. II, p. 8 ss.; THÉODORE DE SAINT JOSEPH, *Essai sur l'oraison selon l'école carmélitaine,* 2e P., ch. III et ch. IV; ILLmus AC REV. WAFFELAERT, *Collat. Brug.,* t. XXVI, p. 441 ss.; GARRIGOU-LAGRANGE, *Perfection chrétienne et contemplation,* t. I, ch. IV, art. II et ss.

tas (1), praesertim si consideretur in connexione cum perfectionibus et operationibus divinae naturae. Illa etiam materia aptissima est qua interni actus virtutum theologicarum et plurium inter morales eliciantur et, opitulante Dei gratia, intensiores fiant in dies; qua nominatim accendatur desiderium diffundendi et augendi in aliis veram cognitionem de Deo trino, et zelus quo removeantur obstacula fidei, ignorantia scilicet et vitia.

896. Illud mysterium est praedicandum.

II. Ex dicitis inferamus non solum utile, sed et necessarium esse, ut sacerdotes praedicatione populum doceant mysterium SS. Trinitatis (2), ut fides rite exerceatur, conservetur et augeatur, utque haec fides per charitatem operetur et populus sit sectator bonorum operum.

897. De utilitate scientiae circa illud mysterium.

III. Ut rite exponatur illud mysterium et, occasione data, apte propugnetur, requiritur *scientia theologica*. Quae etiam ipsius fidei exercitio, orationi mentali et devotioni, nedum noceat, multum prodest: tribuit enim veritatis revelatae de SS. Trinitate cognitionem *ordinatam* et, quantum fieri potest, *distinctam* et altam: praeterea dissipat dubia ac confusas vel erroneas notiones et sententias, quae impediunt serenam mysterii cogitationem vel contemplationem. Quae quum ita sint, illa scientia indirecte confert ad intimiorem Deo adhaesionem in fide et charitate.

Ad rem S. Franciscus Salesius (3): « Il faut néanmoins advouer que la volonté attiree par la delectation qu'elle sent en son object, est bien plus fortement portee a s'unir a luy quand l'entendement de son costé luy en propose excellemment la bonté, car elle y est alhors tiree et poussee tout ensemble; poussee par la connaissance, tiree par la delectation: si que la science n'est point de soy mesme contraire, ains est fort utile a la devotion, et si elles sont jointes ensemble elles s'entr' aydent admirablement, quoy qu'il arrive fort souvent que, par nostre misere, la science empesche la naissance de la devotion, d'autant que la *science enfle* [*I Cor.*, VIII, 1] et enorgueillit, et l'orgueil qui est contraire a toute vertu, est la ruine totale de la devotion » (4).

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto!

---

(1) Quoad orationem mentalem instituendam de SS. Trinitate, cf. S. FRANÇOIS DE SALES, *Traité de l'amour de Dieu*, L. III, c. 9-15; NIEREMBERG, *La beauté de Dieu, Exercice d'affectueux amour envers Dieu...* § XXIV ss.; BOSSUET, *Elévations sur les mystères*, IIe Semaine; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicae*, P. I, c. II, sect. III, n. 112 ss., in *Collat. Brug.*, t. III, p. 249. *Méditationes théologiques*, t. I, p. 200, *Goddelijke beschouwingen*, bl. 253; BAUDENOM, *Les sources de la piété*, Paris, 1908, pp. 73-134.

Animae quae oratione *mystica*, sensu stricto, donatae sunt, specialem de SS. Trinitate cognitionem vel contemplationem habuerunt: qua de re, cf. POULAIN, *o. c.*, p. 279 ss. 300 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Eening der minnende ziel met God*, bl. 58; in versione gallica, p. 16; MAHIEU, *Probatio charitatis*[3], p. 21 ss. — Legatur opus S. Theresiae: *Vie de sainte Thérèse écrite par elle même*, t. I, ch. XXVII, p. 341, t. II, ch. XXXIX, p. 139; *Relations spirituelles*, Relation XIV, p. 235.

(2) Quoad argumenta concionum cf. HURTER, *Theol. dogm. compendium*, t. II, n. 230 ss.; LAMBRECHT, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus*, bl. 101 v., 188, 201, 902; DE WEERDT, *Onderwijzingen over de christelijke leering*, B. I, 12e en 29e onderwijzing; POTTERS, *Verklaring van den Katechismus der Nederlandsche bisdommen*, 's Hertogenbosch, 1913, B. I, 5de les, bl. 159 vv.; legatur LEONIS XIII *encyclica de Spiritu Sancto* « Divinum illud munus » in *Collat. Brug.*, t. II, p. 361.

(3) *Traité de l'amour de Dieu*, L. VI, c. 4.

(4) Cf. Ste THÉRÈSE, *Vie*, ch. XII, p. 160.

Index rerum alphabeticus.

INDICANTUR NUMERI MARGINALES.

A.

Abaelardus negat perfectam libertatem indifferentiae in Deo, 473; Trinitatem esse mysterium stricte dictum, 846.

Actus et potentia: 75, 148, 206.

Actus notionales sunt attribuendi divinis personis, 781 s.; sunt realiter idem ac relationes, 783 s.

Adjectiva nomina: quomodo praedicantur de Personis divinis, 870.

Aegyptii. Qualis fuerit antiqua illorum religio, 850.

Aequalitas. Notio, 794. Aequalitas divinarum personarum demonstratur, 795; omnis prioritas inter illas excluditur, 696 ss., 802. Ultima ratio aequalitatis divinarum personarum est in hoc quod sunt relationes subsistentes, 799. Illius aequalitatis propria ratio non est in *circuminsessione,* 800. Aequalitati non contradicit realis distinctio et formalis differentia divinarum relationum, 801; appropriatur Filio, 861.

Aeternitas. Notio, 243 ss. Competit Deo, 246-249. Deus solus est aeternus, 250. Res coexistunt aeternitati, 251 s. — Aeternitas non est ratio formalis sub qua Deus cognoscit omnia futura contingentia, 407. — Aeternitas appropriatur Patri, 860.

Aevum. Notio, 243.

Agnosticismus exponitur et refutatur, 27 ss.; specialiter quatenus contradicit demonstrabilitati existentiae Dei, 94 ss. Connexio ejus cum atheismo, 102. Damnatio ab Ecclesia, 102. — Agnosticismo non favet S. Thomas, dicendo « de Deo scire non possumus quid sit », 116-120.

Albigenses damnantur in conc. Lateranensi IV, 167.

Amor est formaliter in Deo, 431. Amor benevolentiae est in Deo erga creaturas collective sumptas; recte autem dicitur Deus amore concupiscentiae amare irrationalia, quatenus illa concupiscit rationalibus, non sibi, 481 s. Amor Dei est causa rerum, 477, 480. — Qua ratione nomen *Amor* sit proprium Spiritus Sancti, 726, 866.

Analogia. De analogia nostrae cognitionis circa Deum, 284-291; 319. — Nomen *persona,* divinis applicatum, est dupliciter analogum, 764. — Analogia terminorum quibus utimur in exponendo mysterio SS. Trinitatis, 791, 833.

Animismus non fuit religio populi Israël, 262.

Anselmus (S.). Ejus argumentum de existentia Dei, 25. Ejus definitio de aeternitate, 245.

Antenicaeni patres docent SS. Trinitatem, 654 ss.

Anthropomorphismus, qui in S. Scriptura invenitur, non contradicit incorporeitati divinae, 169.

Apologetica est aliud a theologia, 6, 6^{bis}.

Appetitus distinguitur in innatum et elicitum, 300. In homine non datur mere naturaliter appetitus ad intuitivam Dei visionem, 301 ss.

Appropriatio. Notio, 856 s. Convenientia appropriationis demonstratur, 858. Praecipuae appropriationes exponuntur, 859-866.

Argumenta probabilia circa SS. Trinitatem, 838 ss.

Ariani. Diversae factiones Arianorum, 666.

Arianismus est haeresis contra SS. Trinitatem, 674, 676.

Arius negat divinitatem Filii, 664.

Ars in Deo ratione distinguitur a providentia, 527.

Aseitas non est metaphysica essentia Dei, 163; non contradicit divinis *ad intra* processionibus, 732.

Atheismus. Notio, 98 s. Connexio cum pantheismo, 100, cum agnosticismo, 101, cum immanentismo, 104. Quo sensu athei dicuntur, 109, 111. Causa atheismi sceptici, 110, mala quae ex illo sequuntur, 112.

Attributa Dei. Notio et divisio, 122 s. Quid et quaenam sunt attributa stricte dicta, 123-126.

Exponuntur et dijudicantur diversae sententiae circa distinctionem attributorum ab essentia Dei, 134-140. Vera sententia statuitur, 141-145.

Audacia non est formaliter in Deo, 433.

Augustinus (S.). Ejus doctrina de nomine *Qui est*, 157, de nomine *substantia*, 165; de Dei simplicitate et immutabilitate, 173, infinitate, 203, ubiquitate, 212, immensitate, 226, pulchritudine 276; de hominis visione intuitiva Dei, 295; de morali perfectione quae sequitur ex cognitione quam de Deo habere possumus hac in terra, 328; de cognitione divina circa futuribilia, 368; de libertate Dei, 473; de providentia, 517, 547; de salvifica voluntate Dei, 534; de praedestinatione, 551, 567; de reprobatione, 605; de processione Verbi in Deo, 704; de processione Spiritus a Patre et Filio, 715, 723; de relationibus in Deo, 740.

B.

Banneziani docent Deum cognoscere in suis decretis praedeterminantibus actus liberos absolute futuros et actus liberos hypothetice futuros, 414; haec sententia refutatur, 415 ss. — Docent electionem salvandorum esse independentem ab omni praecognitione meritorum etiam ut futuribilium et tenent reprobationem antecedentem negativam in eodem signo rationis quo est electio salvandorum, 570, 596. Haec sententia refutatur, *ib.*, 604.

Baptismus est argumentum demonstrans doctrinam SS. Trinitatis, 651.

Bautain. Propositiones subscribendae ab illo, 33.

Beatitudo. Ex desiderio beatitudinis quod inest homini non fit argumentum apodicticum ad demonstrandam existentiam Dei, 82-83. Beatitudo aeterna hominis, subjective spectata, consistit in visione Dei intuitiva, 292, habet diversos gradus, 305. — De beatudine, qualis haberi potest in hac terra, 544.

Infinita beatitudo inest formaliter Deo, 623-625.

In divina beatitudine includitur eminenter omne desiderabile secundum quod homines vere vel falso sunt felices, 627.

Ex ratione infinitae beatitudinis nequit deduci existentia SS. Trinitatis, 840.

Bellarminus docet Deum cognoscere actus liberos hypothetice futuros in supercomprehensione voluntatis creatae, 421; quae sententia refutatur, 422.

Benedictus XII definit intuitivam Dei visionem concedi justis, 293.

Beneficentia divina ratione distinguitur a providentia, 527.

Blondel. Ejus sententia de origine cognitionis humanae circa existentiam Dei, 40.

Boëtius. Ejus definitio de aeternitate, 244, de persona, 756.

Bonald (de). Ejus traditionalismus, 31.

Bonaventura (S.). docet Deum esse *ipsum esse*, 162, Explicatio de immanentia Dei, 221; de dualismo, 260; de asserto quod bonum est diffusivum sui, 273; de vita Dei, 338; de foecunditate in Deo, 842.

Bonitas. Notio, 268. Distinguitur a sanctitate et a benignitate, *ib.* Deus est ipsa bonitas ontologica, 269 s. Ex ratione bonitatis infinitae nequit deduci existentia SS. Trinitatis, 839. — Bonitas divina appropriatur Spiritui Sancto, 862.

Bonnetty. Ejus traditionalismus, 31, 33.

Bonum est diffusivum suî, 273.

C.

Calvinus. Ejus haeresis circa praedestinationem, 554.

Cartesius. Ejus argumentum ex idea *Infiniti*, 26.

Catharini. Singularis ejus opinio de praedestinatione indicatur, 574.

Causalitas. Principium causalitatis est fundamentum demonstrationis existentiae Dei, 78, 198; causalitas divina est ratio sub qua Deus cognoscit alia a se, 401, v. 477; quomodo se habeat circa malum, 450.

Charitas. In charitate erga Deum consistit essentialiter sanctitas, 498.

Circuminsessio divinarum personarum explicatur et demonstratur, 804-808.

Propria ratio circuminsessionis est praecipue communitas essentiae divinae tribus personis, 809, non autem immensitas divina, 810. Circuminsessioni non contradicit realis distinctio et formalis differentia relationum divinarum, 808.

Clementia quo sensu sit in Deo, 503.

Clericus. Quo animo debeat studere theologiae, 20 s.

Cognitio. Nostra cognitio de Deo vel naturalis vel supernaturalis, 45 ss., 92 ss., 280 ss.; est in hac terra abstractiva, mediata, analogica, 282 ss., 291, obtinetur per viam affirmationis, negationis et eminentiae, 288.

Cognitio *intuitiva* Dei, quae conceditur justis post hanc vitam, est immediata et propria, 292 ss.; est simpliciter supernaturalis, 297 ss. V. *Visio intuitiva.*

Cognitio divinarum perfectionum ducit ad perfectionem moralem, 327 s.

In Deo est cognitio infinite perfecta, 340-343, quae est scientia et sapientia, 344, est ipsa substantia Dei, 345, omnino independens a rebus, 346, simultanea, immutabilis, aeterna, intuitiva, comprehensiva, 347-348, 406. — Divinae cognitionis objectum materiale primarium et objectum formale est ipsa essentia divina, 350 ss., objectum materiale secundarium sunt omnes res finitae cognoscibiles, 353, nominatim omnia existentia prout sunt singularia, 354-356; omnes actus liberi creaturae intellectualis, 357 ss. Deus cognoscit omnia possibilia, 364; omnia futuribilia, 365-370; cognoscit mala, 371, infinita, 372, 373[bis]; enuntiabilia, 373.

Omnia cognoscit Deus in sua essentia, non in ipsis rebus, sed cognoscit res prouti sunt in ipsis, 398 ss. Causalitas divina est ratio sub qua essentia divina est medium objectivum in quo cognoscit Deus res a se distinctas, 401.

Omnia quandocumque *existentia*, formaliter ut existentia, cognoscit Deus in essentia sua, quatenus est voluntatis decretum quo decernit illa existere, 404 ss. Futuribilia cognoscit Deus in sua essentia tamquam in exemplaritate eorum, 408. V. *Scientia.*

Cognoscibilitas Dei asseritur in S. Scriptura, 45 ss.; in doctrina Patrum, 48 ss.; in declarationibus Magisterii Ecclesiae, 51 ss.; vindicatur ab objectionibus hodiernis, 91 ss.

Comprehensor. Quo sensu sancti in coelo dicantur comprehensores, 313.

Compendium dogmatis SS. Trinitatis, 787; totius explicationis theologicae illius dogmatis, 888-892.

Conclusio theologica differt a dogmate, 16.

Connexio in Deo appropriatur Spiritui Sancto, 861.

Conscientia psychologia. Notio, 86. Non habetur conscientia psychologica proprie dicta de obligatione morali; haec cognoscitur per ratiocinium, 84, 87.

Constantinopolitanum I concilium definit divinitatem Spiritus Sancti, 667.

Contemplatio duplex distinguitur, 283, 895; juvatur scientia theologica, 628, 897.

Contingentia. Notio, 71. Ex contingentia rerum materialium demonstratur existentia Dei, ib. s. Contingentia rerum non impedit quominus Verbum in Deo procedat secundum cognitionem omnium creaturarum et quominus Spiritus procedat secundum amorem omnium creaturarum, 776 s.

Creatio non est ab aeterno, 236, 322; est operatio communis tribus personis SS. Trinitatis, 780. — Appropriatur Patri, 864.

Creatura est similis Deo, 194. — In omni supposito creato essentia realiter distinguitur ab existentia, 206. — Omnis creatura appetit Deum, 271 ; estque bona bonitate divina tamquam causa bonitatis propriae, 272.

Culpa: notio ejus, 443. V. *Peccatum.*

D.

Deontologicum argumentum est invalidum ad demonstrandam existentiam Dei, 87[bis].

Demonstrabilitas existentiae Dei vindicatur, 25 ss.; asseritur in Concilio Vaticano, 51 ss.; explicite declaratur a Pio X, 53; continetur formaliter implicite in Revelatione, 54;

quomodo impugnetur nostris praesertim diebus, 96.

Desiderium non est formaliter in Deo, 431.

Deus. Notio confusa, 24, 55. Existentiae Dei demonstrabilitas vindicatur ab objectionibus et falsis sententiis, 25 ss.; exponitur secundum doctrinam catholicam, 45 ss.

Deus existit, 58 ss.; essentia ejus ratione distinguitur ab attributis, 141 ss.; est ipsum Esse, 149 ss.; in subsistentia ipsius actus existendi est reponenda metaphysica essentia Dei, 160 ss. Deus est omnino simplex, 167 ss.; absolute perfectus et omniperfectus, 186 ss.; infinitus in perfectione, 202 ss.; ubique 211 ss.; immensus, 224 ss.; immutabilis, 232 ss.; aeternus, 243 ss.; unicus, 254 ss.; est ipsa veritas ontologica et principium omnis veri ontologici, 265; est ipsa veritas logica et causa omnis veritatis logicae, 266; est ipsa veracitas, 267; est ipsa bonitas ontologica et causa efficiens prima, exemplaris, finalis cujuslibet entis boni, 270; est ipsa pulchritudo et causa efficiens ac exemplaris omnis entis pulchri, 276.

Deus cognoscitur naturaliter et supernaturaliter, 45 ss., 92 ss., 280 ss.; in statu viae cognoscitur *analogice*, 284 ss., in visione intuitiva cognoscitur *proprie*, 292 ss. Deus est incomprehensibilis, 309 ss.; ineffabilis, 325 ss.

Deus est proprie vivens, 331, et ipsa vita, 336; infinite perfectus in cognitione, 340-349, omniaque cognoscit, 350-373; in semetipso, 398 ss. Deus est infinite perfectus in volitione, 427 ss., in libertate, 471 ss., in sanctitate, 490 ss. — Deus est causa rerum scientiâ, 382 ss., adjuncta volitione, 477 ss. — Deus est providens circa omnia, 513 ss., 539 ss; voluntate beneplaciti antecedente et conditionata vult omnes homines fieri salvos, 529-538; Deus alios homines praedestinat, 550 ss., alios reprobat, 593 ss. — Deus est omnipotens, 607 ss.; est infinite beatus, 623 ss.

Deus est trinus in personis, 634 ss.

Vocabulum *Deus* idem *significare* potest apud philosophum non-christianum, ac apud christianum, 882 s.; *supponere* potest vel pro essentia divina, vel pro una sola persona, vel pro tribus personis simul, 879-882. Dici nequit: Deus est *triplex*, 874, Deus est in tribus *distinctus*, 875.

Distinctio. Quid intelligatur per distinctionem rationis apud recentiores, 129, apud antiquos, 130. Quid sit distinctio *virtualis*, 132. Quomodo distinguuntur attributa Dei ab ejus essentia, 141-145. De illius distinctionis causa, 146.

Doctrina sacra est complexus omnium veritatum a Deo revelatarum, 1.

Dogma. Notio, 16, 16bis, 687. Dogmata sunt principia theologiae, 16. — Non accurata est expressio: evolutio dogmatis, 16bis. Quo modo detur progressus in cognitione dogmatum, 660, 688.

Dolor. Notio, 540.

Dualismus. Notio, 260; falsitas, *ib.* Qualis fuerit apud antiquos Persas, 850.

E.

Efficientia: ex efficientibus causis demonstratur Dei existentia, 64 ss.

Ens. Significatio propria hujus vocabuli, 108, 873, 882 ss.

Enuntiabilia cognoscit Deus, 373.

Essentia. Notio, 121. Essentia Dei ratione distinguitur ab ejus attributis, 141 ss.

Essentia Dei metaphysica reponenda est in subsistentia actus essendi, 160 ss.; aliae sententiae indicantur et refutantur, 163-164.

In omni supposito finito essentia realiter distinguitur ab existentia, 206-208.

Essentia divina est medium objectivum in quo Deus omnia cognoscit, 398, melius cognoscitur ex dogmate SS. Trinitatis, 792.

Exemplar: quo sensu Verbum sit exemplar, 835, nota 1.

Exemplaritas divinae essentiae est ratio formalis sub qua Deus, in sua essentia, cognoscit futuribilia, 401, 408. V. *Ideae*.

Existentia Dei demonstrabilis est, 45 ss.; demonstrari debet, 56. Demonstratur ex motibus seu mutationibus rerum, 58; ex rebus quà factis, 64;

ex contingentia rerum, 71; ex diversitate graduum entium, 74; ex ordine mundi, 76. — Demonstratur directe existentia spiritus infinite perfecti, qualis est Deus personalis, 97. — Non demonstratur ex testimonio generis humani, 79; ex hominis desiderio beatitudinis, 82; ex conscientia, uti dicitur, de existentia legis moralis, 84; ex necessitate ac aeternitate possibilium, 88; ex ordine historico, 89; ex miraculo, 90.

Eunomius docebat nullam esse admittendam distinctionem inter essentiam Dei et ejus attributa, 134; refutatur, 135.

Evolutionismus. Qua ratione haec theoria contradicat, vel non, demonstrationi existentiae Dei, 66, 77.

F.

Fatum non datur independens a Deo, 521.

Felicitas. Notio, 544. V. BEATITUDO.

Fetichismus non fuit religio populo Israel, 262.

Fidelitas formaliter inest Deo, 508.

Fides praesupponit usum rationis, eamque destruit Traditionalismus, 35. — Fides imperatur voluntate, praesupposito judicio credibilitatis, 39.

Filioque. Quando et quo jure fuerit hoc vocabulum additum in symbolo, 717-719.

Filius. Ejus in Deo existentia revelatur, 636, 639, 641-643; procedit a Patre secundum operationem intellectus, 700-702, per proprie dictam generationem, 707 ss., 731bis; est cum Patre principium Spiritus Sancti, 711-716, 720, 727. — Filio appropriatur divina pulchritudo, 860, aequalitas, 861, sapientia 863, rerum pulchritudo, 864.

Florentinum concilium damnat Manichaeos et asserit bonitatem Dei, 260, 269; definit intuitivam Dei visionem concedi justis, 293, et inaequalem esse in diversis subjectis, 305; Spiritum S. esse ex Patre et Filio, 711; in Deo omnia esse unum ubi non obviat relationis oppositio, 740, 745, 762; Patrem, Filium, Spiritum S. esse unum principium creaturae, 780; singulas divinas personas esse in invicem (*circuminsessionem*) 804.

Foecunditas. Quo sensu foecunda dicatur natura divina, 731. — Cur non possit fieri argumentum ad demonstrandam SS. Trinitatem ex hoc quod foecunditas *ad intra* tribuatur Deo, 842.

Fortitudo dicitur metaphorice de Deo, 510.

Fortuitum coram Deo non datur, 521.

Franciscus Sal. (S.). Ejus sententia de praedestinatione, 573bis; de utilitate scientiae theologicae, 897.

Fruitio in Deo appropriatur Spiritui Sancto, 860.

Futura contingentia cognoscit Deus, 354, 363, in essentia sua quatenus haec est decretum voluntatis quo decernit Deus illa existere, 405, 411, 902.

Futuribilia cognoscit Deus, 365, in sua essentia tamquam in exemplaritate eorum, 408, 413-424.

G.

Gaudium est formaliter in Deo, 431.

Generatio. Notio, 707. In divinis habetur proprie dicta generatio, 636, 668, 707 s. Processio Spiritus Sancti non est generatio, 725.

Gradus perfectionis entium: quomodo ex illis demonstretur existentia Dei, 74 ss.

Gualter docebat *realem* esse distinctionem inter essentiam Dei et ejus attributa, 136, refutatur, 137.

Gubernatio Dei ratione distinguitur a providentia, 525 s.

Günther. Error ejus circa libertatem Dei, 473, circa SS. Trinitatem, 683, 847.

H.

Habitatio Dei in justo explicatur, 824.

Hermes. Error ejus circa libertatem Dei, 473.

Honestas moralis: notio ejus, 498.

Hypostasis. Adnotatio circa usum illius vocabuli in exponendo dogmate SS. Trinitatis, 765. V. PERSONA.

I.

Ideae omnium rerum, quae existunt praeter Deum, sunt in Deo, 391; distinguuntur a mere possibilibus, 392, a scientia divina, 393; sunt causae exemplares, 394, ratione distinctae ab essentia divina, 395.

Imago. Verbum est perfecta imago

Patris, 835. In creatura rationali datur imago SS. Trinitatis, 835 ss.
Immanentia divina. Notio, 221. Quo sensu dicatur Deus homini magis intime praesens quam homo sibi, *ib.*
Immanentismus. Notio, 104. Connexio cum pantheismo, 104. Condemnatio ab Ecclesia, 105. V. MODERNISMUS.
Immensitas. Notio, 222 s., competit Deo, 224-227; non dicendus est Deus praesens in spatiis imaginariis, 228; antequam crearet mundum nullibi erat, 229.
Immutabilitas. Notio, 231; competit Deo, 232-234; componitur cum creatione, 235 s., cum diversitate rerum volitarum a Deo, 237, cum precibus, 239, cum miraculis, 240, cum libertate divina, 241 s. Solus Deus est immutabilis, 242.
Imperfectio moralis est distinguenda a peccato veniali, 87[bis].
Incomprehensibilitas. Notio, 309; competit Deo, 312-314.
Incorporeitas divina, 168 ss.
Indi. In eorum religio non est origo dogmatis SS. Trinitatis, 849.
Ineffabilitas. Notio, 325; competit Deo, 326.
Infantes vult Deus salvos fieri, 531.
Infinitas. Infinita series entium causatorum non contradicit demonstrationi existentiae Dei, 68, sed non videtur possibilis, 69.
Infinita perfectio est necessario incausata, 74-75.
Nec radicalis nec formalis infinitas est metaphysica essentia Dei, 163.
Infinitas divinae perfectionis explicatur et demonstratur, 198-204. Quo sensu omnes perfectiones contineantur in Deo, 205. Ex Dei infinitate deducitur ejus unicitas, 257.
Infinitum: quo modo gignatur in nobis notio *infiniti*, 200; de impossibilitate multitudinis actu infinitae, 68, 70, 373[bis].
Inhabitatio divinarum personarum in anima justi declaratur, 824. V. MISSIO.
Intellectualitas non est metaphysica essentia Dei, 163.
Intellectus. Valor objectivus humani intellectus vindicatur, 83 s. Intellectualis nostra cognitio oritur a sensibus, sed res, etiam immateriales, vere cognoscuntur, licet, quandoque, *analogice* tantum, 92-93.
Ira non est formaliter in Deo, 433.

J.

Jacobi. Ejus sententia de modo quo homo cognoscit Deum, 27.
Jahve. Significatio hujus nominis explicatur, 149 ss.
Jansenius. Error ejus circa salvificam Dei voluntatem, et reprobationem, 529, 554.
Janssens (Ill[mus]) O. S. B: de ejus opinione circa rationem qua Deus cognoscit futura contingentia, 407.
Joachim. Error ejus circa unitatem divinae essentiae, 167, 682, 768.
Justificatio: notio ejus, 821.
Justitia. Quo modo sit in Deo, 505 s.

K.

Kant. Ejus sententia de modo quo homo admittit existentiam Dei, 27.

L.

Lamennais. Ejus traditionalismus, 31.
Lateranense IV concilium damnat Pantheismum, 101; definit simplicitatem Dei aliasque divinas perfectiones, 167, 176, 210, 232, 254, 309, 325, 607; nitide exponit dogma SS. Trinitatis, 682, processionem Spiritus a Patre et Filio, 711.
Lessius. Ejus sententia de praedestinatione propter praevisa merita exponitur et refutatur, 573.
Lex aeterna est ratio divinae sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum, 498, est ultima ratio moralitatis, *ib.*; ratione distinguitur a providentia, 527.
Liberalitas est formaliter in Deo, 502.
Libertas. Notio, 416, 469 s. Libertas indifferentiae non componi potest cum physica praedeterminatione voluntatis humanae, 417 s. Libertas indifferentiae competit Deo, 471 ss.; qualis in eo sit, 475 s.
Liturgia. In precibus liturgicis docetur: sanctitas Dei, 496, providentia, 518, SS. Trinitas, 651-653; ostenditur diversa suppositio terminorum *Creator, Deus, Dominus*, 879-882; in liturgia summum locum occupat SS. Trinitas, 894.

Locutiones specialiter attendendae circa SS. Trinitatem, 874 ss.
Lombardus (Petrus) rite propugnat simplicitatem Dei, 167, 682.
Longanimitas metaphorice dicitur de Deo, 510.
Lugdunense II concilium definit Spiritum procedere a Patre et Filio, 711.
Lumen gloriae requiritur ad visionem intuitivam Dei, 303, 304, 306.
Lullus R. contendit SS. Trinitatem positive demonstrari posse, 847.

M.

Macedonianismus est haeresis contra SS. Trinitatem, 675.
Magnanimitas metaphorice dicitur de Deo, 510.
Magnificentia est formaliter in Deo, 504.
Malebranche est auctor Ontologismi, 36.
Malum cognoscit Deus, 371; vult *per accidens* malum naturae et poenae; malum culpae permittit, 442-451. Malum ordinat Deus, 449. Existentia mali non repugnat providentiae divinae, 539-541. Solvuntur quaedam dubia circa illud, *ib.*
Mansuetudo metaphorice dicitur de Deo, 510.
Memoria non inest formaliter Deo, 349.
Messias. Divina personalitas ejus inuitur in V. T., 647.
Miraculum. Ex miraculo non potest inferri directe Deum existere, 90.
Misericordia. Quo sensu sit in Deo, 503.
Missio. Notio, 812-814. Missio distinguitur in visibilem et in invisibilem, 815.

Fide constat a Patre mitti Filium et Spiritum; etiam a Filio mitti Spiritum, 811. Hoc dogma explicatur, 816. — Missio divina est temporalis, 817; non fit missio Filii ad humanitatem assumptam, 818; missio differt ab apparitione, datione, adventu, 819.

Omnis missio divinae personae pertinet ad ordinem supernaturalem, 820. Missio invisibilis Filii et Spiritus non fit nisi secundum donum gratiae sanctificantis, 821, 823.

Licet tres personae inhabitent justo, tamen duae tantùm mittuntur, 822. Missio Spiritus ad Ecclesiam, 825.

Visibilis missio ordinatur ad invisibilem, 826. Visibilis missio Filii est principium invisibilis missionis; visibilis missio Spiritus est indicium invisibilis missionis, 827. Quid censendum de missionibus in V. T. 828.
Modalismus est haeresis contra SS. Trinitatem, 672.
Modernismus provenit ab Agnosticismo et fundatur in negatione valoris objectivi intellectus humani, 28 s.; complectitur agnosticismum, immanentismum vitalem, evolutionismum, 41, 95.
Molina. Ejus sententia circa praedestinationem, 569; circa principium identitatis comparatae, 753.
Monarchianismus est haeresis contra SS. Trinitatem, 671.
Monolatria non fuit religio populi Israël, 262.
Monotheismus ostenditur viguisse semper in populo Israël, 261. — Fuit primitiva religio Sinensium, 850.
Moralitas. Notio, 497 s.
Motus. Notio, 58. Omne quod movetur ab alio movetur, 59 ss. Quo sensu vivens moveat semetipsum, 61. — Ex motibus seu mutationibus corporum concluditur ad existentiam alicujus entis quod est supra universum corporeum et prima causa omnium mutationum, 58-63. — Deus non movet se cum transitu de potentia ad actum, 335.
Multitudo actu infinita: de ejus possibilitate, 68, 70, 373[bis].
Mysterium. Notio, 829, 844. Non perit ratio mysterii ex hoc quod distincte cognoscatur in quo sit mysterium, 789 s.

N.

Neo-apologetica exponitur et refutatur, 37-40.
Nicaenum concilium definit divinitatem Filii, 665.
Nomina alia dicuntur *proprie* de Deo, alia *metaphorice*, 196, 317 ss.; distinguuntur in substantiva et adjectiva; substantiva autem in abstracta et concreta, 869. Regulae observandae circa usum nominum in sermone

de SS. Trinitate 870-872, 875 s. V. SUPPOSITIO.

Nomina Dei diversa indicantur, 155; nomen ejus maxime proprium est Jahve, 149, ss., 320.

Nomina, quae significant perfectiones simplices, dicuntur de Deo *proprie*, 317, non sunt synonyma, 318, dicuntur tantum analogice de creaturis et de Deo, 319. Quaenam dicantur de Deo substantialiter, quaenam ex tempore, quaenam sint incommunicabilia, 322; de usu nominum circa mysterium SS. Trinitatis, 867 ss.

Nominalismus asserit falsum circa distinctionem attributorum ab essentia Dei, 134.

Notio divinarum personarum est id quod est nobis propria ratio cognoscendi personam, 785. Quinque sunt notiones, *ib.*

O.

Obligatio. Ejus ratio nequit salvari in Traditionalismo, 35, nec in sententia tenente valorem argumenti *deontologici* ad demonstrandam existentiam Dei, 84, nec in sententia asserente *peccare* hominem qui deliberate eligit id quod est minus perfectum, 87[bis].

Occam reponit metaphysicam Dei essentiam in cumulo omnium perfectionum, 163.

Odium non est formaliter in Deo, 432.

Ollé-Laprunc. Ejus sententia de certitudine quam *moralem* vocat et de adhaesione mentis in existentia Dei, 38-39.

Ontologismus exponitur et refutatur, 36. Connexio ejus cum pantheismo, 106. Condemnatio ab Ecclesia, 107.

Oratio mentalis juvatur cognitione de SS. Trinitate, 895 ss.

Ordo. Ex ordine rerum demonstratur existentia entis intellectu praediti, quod sit causa ordinis, 76, 258. — Quid ordo historicus, 89.

P.

Pantheismus. Notio, 100. Condemnatio ejus ab Ecclesia, 101. Connexio cum ontologismo, 106, Pantheismi falsitas elucet ex simplicitate Dei, 183.

Pater. Est in Deo Persona SS. Trinitatis, 635, 638, 641-643. Quo sensu dicatur Pater major Filio, 803. — Patri appropriatur divina aeternitas, 860, unitas, 861, potentia, 862, rerum creatio, 864.

Pater est *alius* a Filio, non *aliud*, 876.

Paternitas est in Deo realis relatio, 741, incommunicabilis, 745, constitutiva primae personae SS. Trinitatis, 762; quo sensu sit prior ad generationem, 763. — Paternitas, formaliter et praecisive ut relatio, non est perfectio, 800 s.

Patientia metaphorice dicitur de Deo, 310.

Peccabilitas nulla est in Deo, 471.

Peccatum. Notio ejus, 87[bis]. Ejus causa unica est peccator, 451, non Deus, 452, 495.

Perfectio divina. Notio, 185 ss. Demonstratio, 187 ss. Perfectiones *simplices* omnes sunt formaliter in Deo, 190 ss.; perfectiones mixtae, virtualiter et eminenter, 192, 205, de analogia perfectionum Dei cum perfectionibus creaturarum, 291.

Perfectio moralis ab homine acquirenda juvatur consideratione de perfectionibus divinis, 327 ss., 628 s.

Persae. In eorum religio non est origo dogmatis SS. Trinitatis, sed praesertim *dualismo* adhaerent, 850.

Persona. Notio, 756 ss. Sunt in Deo personae, 760, tres, 766.

Persona in divinis materialiter significat relationem incommunicabilem, quà subsistentem, 761. Nota constitutiva divinae personae est relatio incommunicabilis, 762. Nomen persona, divinis applicatum, duplici titulo est analogum, 764. — Adnotatio circa usum nominis *persona*, 765.

Philo quid docuerit de Deo et de Verbo, 852.

Philoponus est tritheita, 680.

Pius X damnat Modernismum, 42; declarat posse *demonstrari* existentiam Dei, 53, 103.

Plato. Qualis fuerit ejus notio de Deo, 851.

Plotinus. In ejus systemata invenitur apparens quaedam similitudo cum dogmate SS. Trinitatis, sed realiter habetur radicalis differentia, 853.

Pneumatomachi negant divinitatem Spiritus Sancti, 667.

Poena: notio ejus, 444.

Polytheismus. Notio, 259; falsitas, *ib.* Non fuit religio populi Israël, 262. Qualis fuerit apud Aegyptios, 850.

Possibilia. Quo sensu sunt necessaria, aeterna, 88. Deus cognoscit possibilia, 364. Mere possibilia distinguuntur ab ideis divinis, 392. Ad omnia intrinsece possibilia sese extendit potentia Dei, 613.

Potentia. Notio, 606. Omnipotentia inest Deo, 607-611. Potentia divina est infinita, semper in actu, non tamen necessario producens effectus ad extra, 611-613; est activa tantum 614; terminus ejus est effectus ad extra productus, 615.

Potentia divina distinguitur in absolutam et ordinatam, 616 s. Potentiâ absolutâ potest Deus facere alia quam ea quae fecit, 618, etiam meliora, 619.

Potentia, ut videtur, distinguitur formaliter ab intellectu, non a voluntate, 620 ss. — Potentia divina appropriatur Patri, 862.

Praedestinatianismus pluries damnatus ab Ecclesia, 552 ss.

Praedestinatio. Notio, 548. Existit in Deo, 550-555, estque infallibilis et immutabilis, 556 s.; non tamen impedit conatus ad acquirendam perfectionem, 558.

Praedestinatio, quatenus importat electionem aliorum prae aliis ad salutem, est, a parte Dei, gratuita seu independens ab omni merito vel exigentia praedestinati, 559-562. — Nemo potest, absque speciali revelatione, certam habere cognitionem de sua praedestinatione, sed de illa haberi potest cognitio probabilis ac conjecturalis, 563. Nobis incertus est numerus praedestinatorum, 564 s.

Circa ulteriorem explicationem praedestinationis, variae theologorum sententiae, 566: S. Augustini, 567, 904, S. Thomae, 568, Molinae, 569, Bannezianorum, 570, Suarezii, 571, 591, Vasquezii, 572, 590, Lessii, 573, Catharini, 574.

Exponitur doctrina quae tenenda videtur 575: praedestinatio est *una, simul ad gratiam et ad gloriam,* 576 ss., consequenter merita praescita non sunt causa electionis salvandorum, 579 s.; formalis ratio praedestinationis est definitus ordo mediorum in finem quibus salvantur salvandi, praesupposita praescientia et electione divina, 582-589.

Praedestinatio salvandorum potest juvari precibus sanctorum, 581.

Praedestinationis adaequate sumptae unica ratio est divina bonitas communicanda; conditio autem est praescientia meritorum, 589. — In causando aliter se habet praedestinatio ac reprobatio, 596 s. Praedestinatio est causa gratiae, meriti et gloriae, 598. V. *Reprobatio.*

Praedeterminatio physica voluntatis creatae componi nequit cum libertate indifferentiae, 417; nec cum doctrina s. Thomae, 420.

Praedicatum: de modo quo praedicantur nomina substantiva et adjectiva de essentia divina et de Personis divinis, 869 ss.

Praescientia divina quo modo sit causa rerum, 387 ss. Quo sensu dici possit : ideo Deus praecognoscit res quia futurae sunt, 388 ss. Praescientia Dei non aufert libertatem creaturae, 412.

Praesentia Dei in creaturis explicatur, 217-221, 228-230.

Prioritas ac **posterioritas** non datur inter Personas divinas, 796 ss.

Principium identitatis comparatae non fallit in divinis, 752.

Priscillianismus continet negationem SS. Trinitatis, 677.

Processio. Notio, 699 s, 731[bis]. In Deo non dari potest alia processio quam *secundum operationem* et *per modum operati,* 694 ss. Processioni connectitur relatio, 698.

Est in Deo realis processio Filii a Patre, 699; haec processio est secundum operationem *intellectus,* 700-702; est proprie dicta *generatio,* 707 ss.

Est in Deo altera processio, 710, quae est secundum operationem *voluntatis,* 721, nec est generatio, 725, sed dicitur *spiratio,* 726.

Processiones *ad intra* in Deo cognoscuntur a nobis sola revelatione, sunt necessariae, aeternae, non possunt esse nisi duae, 729 s.

Propositiones negativae et affirmativae possunt formari de Deo, 323 ss.

Proprietas, in materia SS. Trinitatis, sensu stricto, dicitur ratio distinctiva quae uni tantùm ex personis convenit, 786. Quatuor sunt proprietates, *ib.*

Providentia. Notio, 512, 525. Est in Deo, 513-520; respicit omnia existentia, 521, 526, non tollit libertatem electionis, 522, nec efficaciam precum, 523. Distinguitur ratione a gubernatione, 525 s., a scientia, 527, ab arte, a lege aeterna, a beneficentia, *ib.* — Providentiae divinae non repugnat existentia malorum, 539-543, nec inaequalis distributio bonorum, 544 ss., nec prosperitas peccatorum, 546 s., nec calamitas justorum, *ib.* V. *Praedestinatio.*

Prudentia est formaliter in Deo, 509.

Pulchritudo. Notio, 274 s. Deus est ipsa pulchritudo, 276 ss. De modo quo manifestatur pulchritudo Dei, 277, 278. — Pulchritudo divina appropriatur Filio, 860, etiam pulchritudo rerum, ut effectus, appropriatur Filio, 864.

Q.

Quaternitas admitti non potest in Deo, 682, 768.

R.

Ratio humana est fons theologiae, 13, 14; multipliciter operatur in eam, 15. — Rationis usus praecedit fidem, 34.

Ratio humana, etiam in statu naturae lapsae, est essentialiter et physice capax cognoscendi veritates naturales, etiam morales ac religiosas, 39, 83 s., 95.

Ratio humana nequit detegere existentiam SS. Trinitatis nec intrinsecam ejusdem rationem percipere, 829-832; sed supposita revelatione hujus mysterii, ratio humana potest illud credendum proponere, ulterius explicare, vindicare ab objectionibus, illustrare analogiis, 833.

Multae rationes, h. e. similitudines intentionales, sunt fundamentaliter in Deo, 120, 130.

Ratiocinium. Ejus valor non dependet a materia circa quam versatur, 29.

Rationalistae duplici genere argumentorum impugnant dogma SS. Trinitatis, 684 ss. Specialiter ad SS. Trinitatem applicantes theoriam de evolutione religionum, contendunt naturaliter explicare originem illius dogmatis christiani ex antiquioribus religionibus et ex doctrinis philosophicis, 848-854. V. MODERNISMUS.

Realistae exaggerati: quid doceant de distinctione attributorum Dei, 136.

Redemptio est universalis, 532. Redemptio non est Filio tribuenda *per appropriationem,* 865.

Reid. Ejus sententia de adhaesione intellectuali ad existentiam Dei, 27.

Relatio. Notio, 733, distinguitur relatio praedicamentalis et transcendentalis, 734.

Distinguitur relatio realis et rationis tantum, 736. In reali relatione distinguendum est esse *in* et esse *ad,* 737. Relationi reali non repugnat ut vel inhaereat substantiae vel sit ipsa subsistens, 738.

In Deo sunt reales relationes, 740, scilicet quatuor, 741, quae ratione sunt simpliciter et adaequate distinctae ab essentia divina, sed realiter cum illa identificantur, adeoque sunt subsistentes, 742-744.

In Deo, solae illae relationes, quae ad invicem opponuntur, sunt ab invicem realiter distinctae, 745; tales sunt tres, 746. In Deo, relationes sunt realiter idem ac processiones, 747; relatio et processio sunt etiam ratione simpliciter idem et non differunt nisi secundum quid, 748.

Ex recta intellectione de iis quae ad relationem pertinent, ostenditur non fallere in divinis principium identitatis comparatae, 749-756.

Relationes divinae sunt realiter idem ac *actus notionales,* 784 s.

Religio ut virtus juvatur consideratione de SS. Trinitate, 894.

Renouvier. Ejus sententia de modo quo homo admittit Dei existentiam, 27.

Reprobatio. Notio, 592. Existit in Deo, 593-595.

In causando aliter se habet reprobatio ac praedestinatio, 596 s., reprobatio non est causa peccati, 598; est pars providentiae, 599-601. — Finis reprobationis est gloria ex-

trinseca Dei; conditio, manifestatio justitiae divinae, 602 s. Reprobatio est posterior praescientiae de peccatis ut possibilibus vel futuribilibus, 604 s. V. PRAEDESTINATIO.

Res. Significatio propria illius vocabuli, 873, 885.

Roscellinus est tritheita, 631.

Rosmini docet, supposita revelatione SS. Trinitatis, ejus existentiam demonstrari posse, 847.

Rousselot: quaedam ejus sententia refutatur, 83bis.

S.

Sanctificatio creaturarum appropriatur Spiritui Sancto, 864.

Sanctitas. Notio, 489. Inest formaliter Deo, 490-496. Dei sanctitas consistit formaliter in amore divinae bonitatis, 500 s. Virtutes, quarum ratio est formaliter in Deo, indicantur, 501-509; aliae non nisi metaphorice dicuntur de Deo, aliae ne metaphorice quidem, 510.

Sapientia. Notio, 18. — Sapientia divina appropriatur Filio, 862.

Scepticismus vitandus, 21, 96, 110 ss.

Schell erronee opinatur de cognoscibilitate SS. Trinitatis, 847.

Schleiermacher. Ejus sententia de modo quo homo admittit existentiam Dei, 27.

Scientia. Notio, 3. Theologia est scientia fidei, 5 ss.

Haec scientia juvat ad acquirendam perfectionem moralem, 327 ss, nominatim ad exercendam orationem mentalem, 628 s., 895.

Divina scientia dividitur: 1°) in scientiam simplicis intelligentiae, visionis, mediam, 374 s., 2°) in scientiam necessariam et liberam, 376 s., 3°) in speculativam et practicam, 378 s., 4°) in scientiam approbationis et improbationis, 380. — Divina scientia est causa rerum, 383 ss. V. COGNITIO.

Scotus docet distinctionem formalem ex natura rei dari inter essentiam Dei ejusque attributa, 138, refutatur, 139; reponit metaphysicam Dei essentiam in infinitate radicali, 163; non admittit operationem divinam esse formalem rationem ubiquitatis, 214. — Censet divinas ad intra relationes ab essentia divina distingui *ex natura rei*, 755. — Censet Spiritum S. posse realiter distingui a Filio etiamsi non procederet ab illo, 767. — Censet Verbum in Deo procedere secundum cognitionem ipsius essentiae divinae tantum, 772.

Scriptura S. est fons theologiae, 14.

Signa rationis diversa distinguenda sunt in Deo, 575.

Similitudo creaturae cum Creatore explicatur, 194, ostenditur radix analogicae cognitionis, 195.

Simplicitas. Notio, 166. Deus est omnino simplex, 168 ss., nec potest in compositionem cum aliis venire, 182; ex quo sequitur falsitas pantheismi, 183. Ex Dei simplicitate deducitur ejus unicitas, 257. — Simplicitas divina non repugnat incomprehensibilitati divinae, 313, nec Trinitati, 770, 792.

Sinenses. Qualis fuerit antiqua illorum religio, 850.

Species quatenus significat pulchritudinem appropriatur Filio, 860.

Spencer. Ejus sententia de incognoscibilitate Dei, 27.

Spes non est formaliter in Deo, 433.

Spiratio est nomen accommodatum quo designetur origo tertiae personae SS. Trinitatis, 726.

Spiritus Sanctus est tertia persona SS. Trinitatis, 637, 640, 642 s.; procedit a Patre et Filio, 711-716, 720, 727, 731bis.

Haec persona procedit ut Deus amatus in Deo amante se, 724, recte vocatur Spiritus, Amor, sed non eodem omnino modo ac Filius vocatur Verbum, 726, 866. Spiritus S. non realiter distingueretur a Filio nisi procederet ab illo, 767. — Spiritus S. procedit in Deo secundum omnem amorem divinum, quatenus hic terminatur objective et ad ipsum Deum et ad omnes creaturas, 772 ss. Exponitur alia sententia de hac re, 778.

Spiritui Sancto appropriatur divina fruitio, 860, connexio, 861, bonitas, 862, creaturarum sanctificatio, 864.

Suarez tenet essentiam Dei metaphysisam ponendam esse in intellectualitate Dei, 163.

Docet objectivam veritatem futuribilium esse medium objectivum in

quo Deus illa cognoscit, 424; haec sententia refutatur, 425. — Docet praedestinationem esse proprie in voluntate divina et electionem salvandorum ad gloriam esse in signo priori ad electionem mediorum quibus salvantur, inde tenet etiam reprobationem antecedentem negativam, 571; haec sententia refutatur, 591, 604. — Rejicitur ejus opinio circa valorem principii identitatis comparatae, 754. — Tenet Verbum in Deo procedere secundum cognitionem et essentiae divinae et trium Personarum et omnium creaturarum *ut possibilium*, 772. Tenet paternitatem divinam ex proprio conceptu esse realem perfectionem, 800. Rejicitur ejus opinio qua tenet divinam immensitatem esse rationem propriam *circuminsessionis*, 810.

Subordinatianismus. Qualis fuerit in scriptis quorumdam Patrum, 663, 855. Qualis est haereticus, 673.

Subsistentia. Quisnam sit sensus illius vocabuli, 768 s.

Substantiva nomina: quomodo praedicantur de Personis divinis, 870, 872; quomodo *supponunt* pro essentia divina et pro Personis, 879 ss., 885.

Supercomprehensio voluntatis creatae non est modus quo Deus cognoscit actus liberos hypothetice futuros, 422.

Supernaturalitas. Notio ejus exponitur, 301[bis], 820, 824.

Suppositio terminorum. Notio, 878. De diversa suppositione terminorum *Deus, Dominus, Creator*, 879-882. Regulae generales circa suppositionem terminorum in sermone de SS. Trinitate, 879, 885.

Systema theologicum definitur, 16.

T.

Tempus. Notio, 243.

Tentatio: qua ratione Deus velit tentationes, 449[bis].

Testimonium generis humani: quid valeat ad demonstrandam existentiam Dei, 79 s.

Theologia. Notio 3, 4. — Est scientia fidei, 5, distincta ab apologetica, 6 s. Dividitur in *theoreticam* et *practicam*, 8; in *speculativam* et *positivam*, 9 s. Dogmaticae theologiae divisio, 11. Theologiae principia exhibentur, 12-16; ejus praestantia describitur, 17. — Quomodo theologiae studium sit ordinandum ut ducat ad perfectionem moralem, 19-21. Theologia multum juvat ad perspiciendam pulchritudinem Dei, 278.

Thomas Aq. (S). Doctrinae ejus majora pronuntiata sunt sancte servanda, 16, 20, 55, 75, 148, 206.

De quinque viis quibus demonstrat existentiam Dei, 58 ss.; de methodo ejus in inquirendo quid sit Deus, 116 s.; de distinctione inter essentiam et attributa Dei, 140 s.; de ipsa essentia Dei, 161, 163, 164; de infinitate Dei et de reali distinctione inter essentiam et esse, 206-207; de ratione formali ubiquitatis divinae, 213 s.; de immutabilitate divina, 237 ss.; de aeternitate, 244 s.; de unicitate Dei, 257; de causa polytheismi, 259; de pulchritudine, 274 ss.; de supernaturalitate intuitivae Dei visionis, 302, 304; de modo quo Deus nominatur a nobis, 317 ss.; de vita Dei, 331, 335; de cognitione Dei, 344 ss., 361, 363, 371 ss., 370, 388, 392, 400.

S. Thomae doctrina non potest componi cum sententia Bannezianorum de praedeterminatione physica voluntatis, 418, 420, 522. Quid docet de necessitate quam rebus imponit voluntas divina, 487; de misericordia quatenus haec attribuitur Deo, 503; de praedestinatione, 568, 581; de reprobatione, 596 ss.; de potentia Dei absoluta et ordinata, 616; de distinctione inter potentiam Dei et voluntatem, 622; de beatitudine divina, 626 s.

S. Thomae scholastica expositio de SS. Trinitate refertur per totum nostrum librum II. Specialiter indagatur ejus sententia de objectione desumpta ex principio identitatis comparatae, 750 ss., de objecto cognito et amato secundum quod procedunt in Deo Verbum et Spiritus Sanctus, 779, de appropriatione, 857-863.

Timor non est formaliter in Deo, 433.

Toletanum XI concilium composuit vel suum fecit symbolum egregium quoad doctrinam de SS. Trinitate, 677, specialiter de relationibus, 740,

762; de circuminsessione, 809; de modo loquendi de SS. Trinitate, 874.

Traditio est fons theologiae, 14.

Traditionalismus exponitur, 30-32, refutatur, 33-34.

Trias quaedam, quae invenitur apud antiquas religiones, non connectitur cum dogmate SS. Trinitatis, 854.

Tridentinum concilium definit Deum non esse causam operum malorum quae homines faciunt, 452; supponit fidem de praedestinatione Sanctorum, 553.

Trimurti est quaedam religiosa conceptio apud Indos, quae est omnino diversa a dogmate SS. Trinitatis, 849.

Trinitas est mysterium stricte dictum, 630 s., 829-831; quod intellectus humanus, recta inquisitione, perfectius cognoscere potest, 833. Trinitas nobis revelata fuit a Christo, 631, 635-637, 641, 644 ss.; eadem doctrina continetur in scriptis inspiratis N. T., 638-640, 642-643; in doctrina Patrum ante concilium Nicaenum, 654-663, et postea, 664 ss. Praecipui errores circa Trinitatem indicantur, 669-686.

Mysterium SS. Trinitatis consistit proprie in hoc quod in ipso Deo sunt relationes reales, 788. — Ex dogmate SS. Trinitatis acquiritur perfectior cognitio de essentia divina, 792.

SS. Trinitatis vestigia dantur in irrationalibus creaturis, 834, et imago in rationalibus, 835-837.

Quo sensu et quaenam admittenda sint argumenta probabilia ad existentiam SS. Trinitatis, 838-843.

Exponuntur et refutantur sententiae secundum quas SS. Trinitati non competit ratio mysterii proprie dicti, 844-854.

Mysterium SS. Trinitatis veluti per seipsum est probabile argumentum divinae suae originis, 855; est excellentissima materia orationis mentalis, 628, 895.

Tristitia non est formaliter in Deo, 432.

Tritheitae negant unicitatem divinae naturae, 679.

U.

Ubaghs. Ejus traditionalismus, 31.

Ubiquitas. Notio, 210; competit Deo, 211-213. Ratio formalis ubiquitatis divinae est operatio divina, 214 s.; Deus solus est ubique, 216, et quidem immensè, 217. Quo modo Deus sit in omnibus entibus et quo modo specialiter in quibusdam, 218-220. Ubiquitas est realiter idem ac immanentia divina, 221.

Unicitas. Notio, 255. Unicitas Dei demonstratur, 254-258; propugnatur contra *polytheismum*, 259, et contra *dualismum*, 260.

Unitas in Deo appropriatur Patri, 861.

V.

Valentinum concilium. Doctrina ejus de praedestinatione, 552.

Vasquez docet praedestinationem ad gloriam esse post et propter praevisa merita, 572; haec sententia refutatur, 590. — Tenet Verbum in Deo procedere secundum cognitionem essentiae divinae, et Patris et Filii, 772.

Vaticanum concilium. Ejus doctrina de cognoscibilitate Dei, 51 ss., de haeresi Pantheistarum, 101, de simplicitate Dei, 167, de Dei infinita perfectione, 176, 186, 260, immensitate, 211, immutabilitate, 232, aeternitate, 246, unicitate, 254, 259, de duplici genere nostrae cognitionis circa Deum, 280, 630; de Dei incomprehensibilitate, 309, vita, 331, cognitione, 340, 354, volitione, 340, libertate, 471, providentia, 513, omnipotentia, 607, beatitudine, 625.

Definit immutabilitatem dogmatum, 688; existentiam mysteriorum proprie dictorum, 830.

Ventura. Ejus traditionalismus, 31.

Veracitas. Notio, 264. Deus est ipsa veracitas, 267, 507.

Verbum est nomen omnino proprium secundae personae SS. Trinitatis, 700, 708, 731[bis], 866.

De origine doctrinae de Verbo Dei, 703-705; de illius nominis significatione apud Joannem, 706.

Verbum procedit a Patre secundum omnem cognitionem divinam, quatenus haec terminatur objective et ad Deum et ad omnes creaturas, 772-776. Exponitur alia sententia de hac re, 778.

Veritas. Notio, 264. Deus est ipsa veritas ontologica, 265, ipsa veritas lo-

gica, 266; ipsa veracitas, 267. — Veritas in Deo appropriatur Filio, 862, 866.

Vestigium SS. Trinitatis invenitur in creaturis, 834.

Viennense concilium asserit supernaturalitatem visionis intuitivae Dei, 297.

Virtutes theologicae et morales excercendae juvantur consideratione de mysterio SS. Trinitatis, 893 ss.

Visio intuitiva Dei. Notio, 292, existentia, *ib.*, supernaturalitas, 297. Ad intuitivam Dei visionem requiritur lumen gloriae, 303. In intuitiva Dei visione, subjective spectata, dantur diversi gradus perfectionis, 305-308. In illa visione non datur species impressa, 304. De objecto illius visionis, 296, 307, 314.

Vita. Ex origine vitae in hoc mundo deducitur argumentum ad demonstrandam existentiam Dei, 81.

Vita est proprie et perfectissime in Deo, 331-535; Deus est sua vita, ipsa vita subsistens, causa omnis vitae, 336, 337; omnia, quatenus cognita a Deo, sunt vita in ipso, 338.

Volitio infinite perfecta est in Deo, 427 s., est realiter idem ac Deus, prorsus independens, aeterna, immutabilis, 429. In Deo sunt formaliter amor et gaudium, 431, non autem desiderium, *ib.*, nec odium, 432, nec fuga, nec tristitia, *ib.*, nec spes, nec audacia, nec desperatio, nec timor, nec ira, 433. Quomodo illa dicantur metaphorice de Deo, 434.

Volitionis divinae objectum materiale primarium et objectum formale est ipsa Dei bonitas; alia non sunt nisi objectum materiale secundarium, 435. Volitio Dei, circa ea quae non sunt Deus, est libera, 436, 471-474.

Deus vult seu amat actu omnia existentia, 437, ab aeterno, 439, inaequaliter, 440 s.

Deus nullum malum vult *per se;* sed mala naturae et poenae vult *per accidens ;* mala culpae permittit, 442-449. Quo sensu sit Deus causa mali, 450, 491-493; Deus non est causa peccati, 452, 495.

Libera Dei volitio est causa rerum, 477; divinae volitionis nulla est causa, 478-479..

Volitio Dei absoluta semper impletur; non tamen omnibus rebus necessitatem imponit, 483-486. Actus liberi eveniunt necessitate infallibilitatis, 488.

Deus vult, voluntate antecedente, quae est conditionata, omnes homines salvos fieri, 529-536. De modo quo illa voluntas adimpletur, 537 s. — V. VOLUNTAS.

Voluntas est facultas *appetitiva,* non cognoscitiva, 29; influxum habet in operationes intellectus, 39.

Voluntas est in Deo, 427. Voluntas divina distinguitur 1°) in necessariam et liberam, 453; 2°) in absolutam et conditionatam, 454; 3°) in antecedentem et consequentem, 455; 4°) in voluntatem beneplaciti et signi, 460-467. — Voluntas Dei salvifica erga omnes homines demonstratur et explicatur, 529-538. — V. VOLITIO.

Z.

Zelus metaphorice dicitur de Deo, 510.

Zoolatria qualis fuerit apud Aegyptios, 850.